Universitätsbibliothek Paderborn

# Novæ Observationes Et Additiones Ad A. R. P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Consultoris Commentaria In Rubricas Missalis Et Breviarii Romani

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis usque ad præsens emanatis

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Missalis

**Merati, Gaetano Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1740**

**VD18 10783695-002**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39964**

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. U38.

G. V
9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES

AD

A.R.P. D. Bartholomæi Gavanti Congreg. Cleric. Regul. S. Pauli ac Sac. Rit. Congregat. Conſultoris

# COMMENTARIA IN RUBRICAS

MISSALIS ET BREVIARII ROMANI;

Adjectis Summorum Pontificum & Sac. Rit. Congreg. Decretis uſque ad præſens emanatis.

*Authore*

R. P. D. CAJETANO MARIA MERATI

Cler. Reg. & ejusdem Sac. Rit. Congregat. Conſultore.

**Tomi I. Pars II.**

Complectens III. & IV. Partem Commentariorum Gavanti in Rubricas Miſſalis.

*Permiſſu Superiorum.*

*Auguſtæ Vindelicorum.*

Sumptibus Jodoci Henrici Müller Bibliopolæ,

Anno MDCC XL.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*N. Baccarius Epiſc. Bojanen.*
*Viceſgerens.*

# IMPRIMATUR.

Jo. Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX TITULORUM

## Tertiæ & Quartæ Partis novarum Obſervationum & Additionum in Rubricas Miſſalis.

### PARS TERTIA

*Defectibus circa Miſſam adhibet Remedia Titulis duodecim.*


DE Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus. I. 425
De Defectibus Materiæ. II. 426
De Defectu Panis. III. ibid.
De Defectu Vini. IV. 431
De Defectibus Formæ. V. 436
De Defectibus Miniſtri. VI. 437
De Defectu Intentionis. VII. ibid.
De Defectibus Diſpoſitionis Animæ. VIII. 442
De Defectibus Diſpoſitionis Corporis. IX. 443
De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus. X. 445
De Rubricis præceptivis, & directivis. XI. 446
De Obligationibus aliis Sacerdotum circa Miſſam. XII. 458


### PARS QUARTA

*Complectitur Rubricas proprias, & Titulos decem novem.*


DE Rubricis Miſſarum de Adventu. I. 466
De quatuor Temporibus Adventus. II. 475
De Natali Domini, & Feſtis ſequentibus. III. 484
De Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam. IV. 503
De Dominicis à Septuageſima uſque ad Feriam. 4. Cinerum. V. 505
De Feria 4. Cinerum uſque ad Dominicam de Paſſione. VI. 508
De Dominica de Paſſione, & Hebdomada majori. VII. 521
De Feria quinta in Cœna Domini. VIII. 543
De Feria ſexta in Paraſceve. IX. 573
De Sabbato Sancto. X. 606
De Die ſancto Paſchæ usque ad Feſtum Trinitatis. XI. 650
De Feſto Trinitatis, Corporis Chriſti, & Dominicis poſt Pentecoſten. XII. 664
De Rubricis propriis Miſſarum de Sanctis. XIII. 700
De Benedictione Calendarum, & Proceſſione in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis. XIV. 701
De Feſtis, in quibus cantandæ ſunt duæ Miſſæ in Collegiatis. XV. 714
De Rubricis Miſſarum communis SS. XVI. 716
De Rubricis Miſſarum Votivarum in fine Miſſalis. XVII. ibid.
De Rubricis Miſſarum pro Defunctis. XVIII. 719
De Rubricis Benedictionum. XIX. 720


### PARS QUINTA

*Caret novis Obſervationibus & Additionibus.*

NOVÆ

# NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES AD GAVANTI COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

## PARS TERTIA.

### Tit. I. De Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus.

I. GAvant. pag. 152. col. 1. *Accedit verbum cum intentione ad elementum, & ſi Sacramentum.*) Quæ verba ferè decerpta ſunt ex D. Auguſtino Tract. in Johannem *cap. ſeu num.* 80.

II. Gavant. pag. 152. col. 2. *Collegit hos defectus in Miſſa, &c.*) Nonnullas perbreves Annotationes in eam, quæ habetur in Romano Miſſali, Rubricam de occurrentibus in Miſſarum celebratione defectibus, optimè collegit ad commodiorem uſum, diſtrictamque adhibendam diligentiam in ejusdem Rubricæ regulis rite ac rectè ſervandis, Petrus Matthæus de Rubeis Florentinus, quæ Florentinæ editæ ſunt apud Zenobium Pignonium 1626. Fusè etiam egerunt de hac materia, nimirum de defectibus in celebratione Miſſæ occurrentibus, S. Thomas *part.* 3. *quæſt.* 74. *& ſeq.* Silvius *ibidem in Comment. ad textum D. Thomæ, præſertim verò ad quæſt.* 83. *art.* 6. *& ſeqq.* Nec non Paulus Maria Quarti *part.* 3. *tit.* 1. *& ſeqq* Layman *in Theol. Morali lib.* 5. *tract.* 4. Card. de Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 4. *& ſeqq.* Claudius la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *tract.* 1. *in variis quæſt.* Wiggers *de Sacram. quæſt.* 14. *& ſeqq.* Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt.* 297. *& ſeqq.* & Biſſus *tom.* 1. *v. defectus.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. II. De Defectibus Materiæ.

I. Rubr. pag. 152. & Gavant. ibid. col. 1. lit. a *Sit coram Sacerdote, &c.*) Materia conſecranda juxta diſpoſitionem hujus Rubricæ, & mentem omnium Doctorum, debet eſſe Sacrificanti moraliter præſens, ita ut conſecrata non cenſeatur, ſi non ſit coram Sacerdote, ſed à tergo, aut poſt interjectum parietem, aut ſub mappa, vel Corporali latens, aut magno intervallo diſtans; quia in his caſibus non verificarentur illa pronomina demonſtrativa, quæ habentur in formulis utriuſque Conſecrationis: *Hoc eſt Corpus meum; Hic eſt Calix, &c.* Hinc tamen non fit, ut materia conſecranda præ manibus teneri debeat, nec eſt neceſſe, ut ſonus verborum ad eam perveniat, neque ut actu videatur, quia Hoſtiæ conſecratæ in Pyxide clauſa ſuper Corporali exiſtente validè ſunt conſecratæ, quamvis juxta Rubricas debeat Sacerdos aperire Pyxidem, in qua Particulæ conſecrandæ poſitæ ſunt, & dum fit oblatio, & dum verba Conſecrationis proferuntur. S. Thomas *in 4. diſt. 2. quæſt. 8. art. 1.* Bonacina *diſp. 4. quæſt. 8. punct. 6.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 2. ſect. 7.* Wiggers *de Sacram. quæſt. 74. art. 2. dub. 1.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. III. De Defectu Panis.

I. Gavant. pag. 152. col. 1. lit. b *Vult eſſe triticeum, &c.*) Certiſſimum eſt, panem, qui eſt materia conſecranda in Sacrificio Euchariſtico, debere eſſe triticeum, non ſolùm ex neceſſitate præcepti, ſed etiam ex neceſſitate Sacramenti, ita ut in alia materia facta Conſecratio irrita ſit: ideoque panis, qui conficitur ex leguminibus, ùt piſis, fabis, lentibus, & aliis ſimilibus, non eſt materia idonea ad conſecrandum Corpus Chriſti; ſic etiam panis, qui conficitur ex fructibus arborum, ut ex amygdalis, caſtaneis, glandibus, neque etiam ille, qui ſit ex hordeo, oriza, milio, &c. eſt materia apta hujus Sacramenti, ſed is ſolus eſt idoneus ad conſecrandum, qui conficitur ex tritico: conſtat enim, Chriſtum Dominum in pane triticeo Sacrificium celebraſſe, & Sacramentum Euchariſticum inſtituiſſe. Panis autem iſte triticeus debet eſſe coctus per modum aſſationis, ùt in furno, aut intra calidi ferri laminas, ſicùt modò coquuntur Hoſtiæ, quæ conſecrantur, aut alio ſimili modo; unde cruda paſta, vel etiam frixa, aut elixa in aquis, non eſt materia apta Sacramenti: rurſus paſta butyro, lacte, oleo, aqua roſacea, vel ſimili non elementari liquore ſubacta, & toſta, non eſt pariter materia idonea hujus Sacramenti, quia tales paſtæ, non ſunt verè, & propriè panis uſualis, ſed aliud quoddam obſonii genus, quocunque nomine illud appelletur. Wiggers *ſuprà loc. cit.* Layman *ſuprà loc. cit. cap. 2. aſſer. 3.* Bonacina *diſp. 4. quæſt. 2. punct. 1. num. 3.* Hoſtia rubea, qua epiſtolas ſolemus ſigillare, admixta ſcilicet cinnabrio, eſt materia dubia, & multorum judicio invalida, quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur à ratione panis uſualis; quando autem materia eſt verè dubia, ſicùt eſt panis admixtus cum granis alterius generis in magna quantitate, ita ut dubitetur, utrùm poſſit cenſeri panis verè triticeus, tunc non licet ea uti, ſed potiùs à Sacrificio eſt abſtinendum, undecunque illud dubium oriatur, ſive ex permixtione eorum, quibus conſtat,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſive ex corruptione, quia panis corruptus ſubſtantialiter non eſt apta materia ad validam Conſecrationem.

II. Gavant. pag. 152. col. 2. lit. c *Sed quid ſi panis confectus ſit ex amylo, &c.)* Licet amylum ex tricico fiat, tamen triticum illud arte, & longa in aquis maceratione ſolvitur in lacteum quemdam humorem, & poſteà vehementi calore Solis, aut ignis exſiccatur; ita ut perdat propriam rationem farinæ triticeæ, ùt ex ſapore, odore, & aliis accidentibus facilè colligitur, & conſequenter perdit aptitudinem, ut ex illo panis triticeus conficiatur, unde talis panis ex amylo confectus non eſt materia apta ad conſecrandum, D. Thom. *part.* 3. *quæſt.* 24. *art.* 3. *ad* 4. & alii communiter.

III. Gavant. poſt Rubr. n. 3. pag. 153. col. 1. lit. c *In fermentato nunquam licet apud Latinos, &c.)* Certum eſt de fide, utrumque panem, tum azymum, tum fermentatum, ſufficere ad valorem Conſecrationis, quia uterque eſt verè panis triticeus, conſequenter mixtio fermenti nec per ſe eſt neceſſaria, neque contraria validitati Conſecrationis panis. Illæſa igitur fide, & materia Sacramenti, Latini azymum, Græci fermentatum uſurpant; ſuus igitur utrique uſus permitti debet, quod quidem Anno 1439. in Concilio Florentino, cui tam ipſi Græci, quàm Latini ſubſcripſerunt, ſtatutum fuit his verbis: *Definimus inſuper, in azymo ſive fermentato pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ Occidentalis, ſeu Orientalis conſuetudinem.* Conſtat etiam hoc ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 13. & ex *cap. Ad abolendum, de Hæreticis*; item ex Epiſtola Leonis IX. *ad Michaëlem Cærularium*, in qua declarat Summus Pontifex, controverſiam de pane azymo, vel fermentato, fidem non ſpectare, ſed meram diſciplinam, quæ varia eſſe poteſt pro varietate locorum, & perſonarum, integra ſemper, & illæſa remanente Fide.

Ritus conſecrandi in pane azymo, ùt diximus, viget apud Latinos, qui quidem eſt magis conveniens, ùt docet D. Thomas *in* 3. *part. quæſt.* 7. *artic.* 4. & omnes Doctores Latini, inſiſtentes facto Chriſti, qui verè conſecravit in pane azymo, inſtituit enim, & confecit Sacramentum prima die azymorum; quod tamen negant Græci, opinantes, Chriſtum anticipaſſe eſum agni Paſchalis una die ante tempus in lege præſcriptum, & idcirco putant adhibuiſſe panem fermentatum. Cæterùm, juxta communiorem, & probabiliorem ſententiam, Chriſtus non anticipavit eſum agni, voluit enim etiam in eſu agni legem perfectè implere, unde veriſimile non eſt, contra legem anticipaſſe tempus; & eſto anticipaſſet, probabilius eſt, manducaſſe agnum cum pane azymo juxta legis præceptum. Sed quidquid ſit de diverſis opinionibus, quas ſectantur Latini, & Græci, circa prædictum Chriſti factum, certum eſt, omnes nedum licitè poſſe, ſed etiam teneri, ſub præcepto ſuæ propriæ Eccleſiæ Ritum reſpectivè ſervare; conſequenter Græci in fermentato, & Latini tenentur conſecrare in azymo, ſub pœna peccati mortalis; tum quia hoc expreſsè præcipitur à Concilio Florentino in *Literis unionis*, & à Pio V. *Conſtit.* 12. tum quia unusquisque tenetur ſub gravi obligatione ſuæ propriæ Eccleſiæ ſervare conſuetudinem in re gravi; hæc autem conſuetudo in utraque Eccleſia ceu graviſſima nunc habetur, quamvis antiquitus non fuerit talis obligatio, ſed, ùt alibi diximus, liber fuerit uſus apud utramque Nationem, ſive azymi, ſive fermentati.

Utrùm autem Latini, peregrinantes & tranſeuntes per Regiones & loca Græcorum, eorumdem Ritum ſervare debeant, & è contrà Græci, tranſeuntes per loca Latinorum, debeant horum Ritui ſe accommodare conſecrando in azymo, eſt dubium, quod diſce-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptatur à Doctoribus; Ledeſma *in* 4. *part.* 1. *quæſt.* 15. *art.* 4. *dub.* 2. ſuſtinet, debere ſingulos ſervare Ritum loci, per quem tranſeunt, atque ideò Latinos, tranſeuntes per loca Græcorum, teneri celebrare in fermentato, & è contra Græcos in azymo, in locis Latinorum, & peccare ſi aliter faciant, quia multi putant, generaliter advenas, & peregrinos obligari ad ſervandas leges illius loci, per quem tranſeunt.

Suarez verò *diſputat* 44. *ſect.* 3. Fagundez *in præcepta Eccleſiæ præcept.* 3. *libr.* 2. *cap.* 2. Silvius, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur noſter Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 99. docent, liberum cuique eſſe, unum vel alterum Ritum ſervare, & ſe conformare Ritibus & conſuetudinibus locorum, per quæ tranſeunt.

Vaſquez verò *in* 3. *part. diſput.* 174. *cap.* 3. & Averſa *quæſt.* 2. *ſect.* 4. in ea verſantur ſententia, quòd tam Græci, quàm Latini peregrinantes, ſemper & ubique ſervare tenentur morem ſuæ Patriæ, & Eccleſiæ, non verò locorum, per quæ tranſeunt; & id colligunt ex diſpoſitione Leonis IX. *in Epiſtola citata:* quia Rituum novitas & mutatio poſſet eſſe cauſa committendi defectus in Miſſa, quidquid ſit de aliis legibus, & conſuetudinibus. Quarti denique ſupracitatus cum diſtinctione procedit, dicendo, quòd Sacerdos Latinus, quando peregrinando tranſit per loca & Regiones Græcorum, ubi ſunt Templa Latini Ritus, tenetur in azymo, ſi eligat celebrare in prædictis Latinorum Templis, & idem è contrà docet de Sacerdote Græco, qui peregrinatur in Regionibus Latinorum, in quibus ſunt Templa Græcis conceſſa, ut poſſit morem patrium ſequi, tunc enim tenentur ſinguli ſuum Ritum ſervare, nec eſt licitum variare; hanc ſententiam tradunt etiam *Suarez, Coninch, Averſa, & Diana locis citatis*, monentes, non licere Sacerdoti Latino in propria Regione moranti conſecrare in fermentato, etiamſi celebrare velit in aliqua Eccleſia Græcorum, quæ ibi exiſtat; ſimiliter nec Græcis in propria Regione exiſtentibus licitum eſſe celebrare in azymo, etiamſi celebrare velint in aliquo Templo Latinorum ibi exiſtente, quia non licet recedere à conſuetudine univerſali propriæ Patriæ. Ita præſertim Coninch, quamvis oppoſitum doceat Nugnus *in* 3. *parte quæſt.* 74. *art.* 4. *concluſ.* 6. & quidem, ait Quarti, faciliùs excuſari poteſt Græcus recedens à more ſuæ Eccleſiæ, quæ eſt pars, quam Latinus à more Eccleſiæ Latinæ, quæ eſt caput. Nihilominùs Sacerdotes Græci rigorosè adeò ſuum Ritum ſervant, ut non ſolùm peregrini, ſed etiam incolæ in alma Urbe, quando accedunt ad celebrandum in Romanis Baſilicis, aliiſque Eccleſiis, ſemper utantur fermentato, nunquam verò azymo; unde, ſi Sacerdos Latinus ſe transferat in Græciam, animo perpetuò ibi manendi, ubi non haberet proprias Eccleſias, & accederet ad celebrandum in Eccleſiis Græcorum, illi ſuaderem ad ſervandum Ritum Latinorum celebrando in azymo; quapropter ſententiæ Quarti non adhæreo, docenti, tunc Sacerdotem Latinum teneri celebrare juxta Ritum Eccleſiæ Græcæ, & Regionis, in qua ſedem, & domicilium fixit, quia jam eſt factum membrum illius novæ Eccleſiæ; ob hanc enim rationem teneretur etiam ſervare totum Ritum Græcum in Miſſæ celebratione.

IV. Gavant. pag. 153. col. 1. lit. f *A Conſecratione incipiat. Eſt communis ſententia*) Si Celebrans facta conſecratione advertat, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, & poſita alia, præſcribit Rubrica ſuperior, quòd faciat oblationem, ſaltem mente conceptam, & poſteà incipiat à conſecratione, ſcilicet ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur, &c.* Quam quidem ſententiam communem eſſe adſtruit Gavantus. Ex quo autem Rubrica præſcribit, in tali caſu incipi debere ab illis verbis, *qui pridie quàm pateretur*, non verò ab aliis præcedentibus, nimirum -- *Quam oblationem*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*rem tu Deus*, *&c.* quibus ſubnectuntur illa verba deprecatoria -- *Ut nobis Corpus*, *&* *Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui*, *&c.* Ex quo, inquam, non jubet Rubrica, reaſſumenda eſſe hæc ultima verba in his caſibus, optimè inferunt Auctores infrà allegandi, Eccleſiam Latinam judicare, validè conſecrari Euchariſtiam ſine illa Oratione, ſive abſque illis verbis deprecatoriis, quibus petitur, ut Panis oblatus fiat Corpus, & Vinum Sanguis Chriſti Domini. Neque dici poteſt: Oratio illa, quæ à Sacerdote pronunciata jam fuerat, moraliter perſeverat; in caſu ſiquidem propoſito non aderat ſuper aram, & multò minùs ſuper Corporale materia idonea, & apta ad validam Sacramenti conſecrationem, non enim aderat, ùt ſupponimus, Panis, ſeu Hoſtia triticea, ad quam verba illa deprecatoria, *ut Panis iſte fiat Corpus Chriſti*, tanquam forma conſecrationis referri poſſent; atque ideò evincitur, illa verba nullo modo eſſe formam neceſſariam ad Euchariſticum Sacramentum conficiendum. Auctores, qui ita ratiocinantur, ſunt, ſi non omnes, ſaltem plures ex illis, qui ſuſtinent, verba, quæ requiruntur tanquam eſſentialia, & neceſſaria ad formam conſecrationis, eſſe illa, quæ in conſecratione Euchariſtiæ pronunciavit Chriſtus Dominus, nimirum: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, vel: *Calix Sanguinis mei*; non verò preces, ſive quæ præcedunt apud Latinos, ſive quæ ſequuntur apud Græcos, aliaſque Orientales Nationes, quæ, quamvis vim ſuam habeant ad divinam opem & Spiritus Sancti virtutem impetrandam ſupra propoſita dona, atque religioſè ſint retinenda, non tamen ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ac validæ conſecrationis, ſed neceſſitate præcepti, utpote verba in Canone contenta.

Hanc controverſiam jam diu ferè ſopitam his diebus excitavit Antonius Auguſtinus Toutteè recens illuſtrator operum S. Cyrilli Hieroſolymitani, in tertia ex ſuis eruditiſſimis Diſſertationibus, quas præmiſit ſuæ editioni operum prædicti S. Patris Cyrilli. Rurſus hanc eandem quæſtionem noviſſimè tractavit Petrus le Brun *tom.* 3. *ſuarum explicationum pag.* 212. ubi præfati Touttee opinionem ſectatus, acerrimè, & fuſiori calamo popugnat, formam Euchariſtiæ perfici non tantùm verbis Chriſti, ſed etiam precibus ab Eccleſia inſtitutis, ita ut ex duplici illa forma partiali, & inadæquata, verbis ſcilicet Chriſti, & precibus Eccleſiæ moraliter conjunctis, coaleſcat forma totalis, & eſſentialis Euchariſtiæ. Omnem lapidem movit, nihilque omiſit laudatus le Brun, ut veri ſpeciem ſuæ opinioni appingeret. Contra hunc ultimum Auctorem inſurrexit P. Bougeant è Societ. Jeſu, qui duo opuſcula in lucem emiſit, & in poſtremo præſertim ſui Adverſarii opinionem validis rationum momentis, necnon Sanctorum Patrum auctoritatibus evertit, & profligavit. Contra primum verò ex præfatis Auctoribus doctam exaravit, non minus quàm eruditam, evulgavitque Diſſertationem clariſſimus vir Joſephus Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum. Cæterùm communem Latinorum ſententiam tuentur Cardinalis Bellarminus *libr.* 4. *de Euchariſtia cap.* 14. necnon Cardinalis Bona *libr.* 2. *de rebus Liturgicis cap.* 13. & Cardinalis Perronius *in tract. de Euchariſtiæ Sacramento.* Quibus adhærent Goar ad Liturgiam Chryſoſtomi *num.* 139. Sixtus Senenſis *lib.* 6. *Bibliothecæ Sanctæ Annotatione* 3. Gaſpar Juvenin *diſſert.* 4. *de Sacramento Euchariſtiæ quæſt.* 3. *cap.* 2. & recentiſſimè Honoratus Tournely in ſuis prælectionibus Theologicis de Sacramento Euchariſtiæ *artic.* 8. Græci quoque ipſi acerrimè propugnant hanc Latinorum ſententiam, inter quos recenſentur doctiſſimus Card. Beſſarion *lib. de Euchariſtia.* Allatius *lib.* 3. *de perpetua utriusque Eccleſiæ conſenſione cap.* 25. *& exercitat.* 25. *ad hiſtoriam Concilii Florentini.* Petrus Arcudius *lib.* 3. *ſuæ concordiæ cap.* 27. necnon Nicolaus Comnenus Papadopoli *in ſuis prænotionibus myſtagogicis reſp.* 5. *ſect.* 5.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Apud Latinos omnes hæc ſententia ita communis fuit, ut tempore Concilii Florentini, cùm Græci Latinis ſuſpecti forent circa formam conſecrationis Euchariſtiæ, quaſi verbis Chriſti eam non perficerent, à Summo Pontifice Eugenio IV. ea de re non ſemel interrogati, ita catholicè ſatisfecerunt, ut Pontifex eos tanquam fratres *in Fide ſecum* conjunctos compellaverit. Ita narratur in Concilio Florentino *ſeſſ.* 25. *Porro,* inquiunt Græci, *hoc ita diſſolutum eſt* (dubium ſcilicet, quod propoſitum ipſis fuerat) *fateri nos diximus, per hæc verba transſubſtantiari Sacrum Panem, & fieri Corpus Chriſti: ſed poſteà, quemadmodùm & ipſi* (Latini) *dicitis: jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in ſublime Altare tuum, ita nos quoque oramus dicentes: ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis Panem hunc pretioſum Corpus Chriſti ſui, & quod in Calice iſto eſt, pretioſum Sanguinem Chriſti ſui, transmutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut fiant Communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, non fiant in judicium, aut condemnationem noſtram.* Quibus quidem verbis disertè declararunt Græci, per preces, quas poſt Chriſti verba proferunt in divinis myſteriis peragendis, ſe non poſtulare, ut ſimpliciter Panis fiat Corpus Chriſti, ſed ut nobis fiat, hoc eſt fructum ejus ſpiritualem percipiamus ad purgationem Animæ, & peccatorum remiſſionem. Paulò enim poſt ajunt: *De Myſteriis autem fatemur, ea conſecrari per Domini voces, licèt nos poſteà invocando dicamus: fiat Corpus, & Sanguis Chriſti:* ùt legere eſt apud Labbæum, & Coſſartium *tom.* 13. *Concil. edit. Pariſienſis pag.* 491. & 498.

Hæc omnia confirmantur ex iis, quæ ſuprà allegatus Cardinalis Beſſarion expreſſit in Concilio Florentino, & quæ referuntur à clariſſimo Mabillon Muſæi Italici *tom.* 1. *pag.* 243. qui poſt relatam illam Græcorum confeſſionem addit: *Confeſſio hæc non levis eſt momenti ad perſuadendum Græcorum de Euchariſtia Fidem, de qua tot & tanta controverſiæ à Calviniſtis nuper excitatæ ſunt. Confeſſio hæc duas habet partes, nempe, Conſecrationem verbis Chriſti Domini confici, non precibus illis, quæ poſt verba ſacra fiunt à Græcis; atque his verbis panem & vinum in Chriſti Corpus & Sanguinem mutari, & transſubſtantiari.* Ex quibus Mabillonii verbis liquet, ipſum quoquoque accedere communi Latinorum ſententiæ in hac celebri controverſia, cui quidem ſententiæ maximum præſidium additur ex Decreto Eugenii IV. Summi Pontificis, ſeu Inſtructione Armenorum, in qua hæc leguntur: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum, nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.* Hæc laudatus S. P. ùt videre eſt apud Labbæum citatum *tom.* 13. *Conciliorum pag.* 347. *&c.*

Quòd ſi interpretatio Card. Beſſarionis, Arcudii, & aliorum Græcorum non placeat, dicendum erit, invocationem prædictam Spiritus Sancti non reſpicere tempus, quo profertur, ſed quod conſecrationem antecedit: Ac ſi Sacerdos tanti myſterii ſublimitate extra ſe raptus, ſuæque memor fragilitatis, id quod jam factum ex fide credit, quaſi efficiendum conſideret, ac propterea oret, ſic panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui: Neque enim abſurdum videtur, quod jam conceſſum eſt, ac ſi nondum conceſſum foret, iteratis precibus poſtulare. Interpretationem hanc pluribus exemplis illuſtrat doctiſſimus Renaudotius in Comm. ad Liturgiam Copticam S. Baſilii pag. 250. In baptiſmalibus enim Officiis præter orationes prævias, tam ad fontis benedictionem, quàm ad exorciſmos, reliquaſque ceremonias, dicuntur aliquæ etiam prolatis verbis: *Ego baptizo*, vel ſecundùm ritum Orientalem: *baptizetur ſervus Chriſti &c.* & poſtulatur à Deo, ut illis, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, gratiam Spiritus Sancti concedat. Id habetur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur in Rituali Severi pag. 98. *Tu Domine hos ſervos tuos, qui nunc baptizati ſunt regenerationis lavacro, ſanctifica in veritate tua, imple eos gratia Spiritus Sancti tui.* Neque id obſervatur ſolummodò in Ritualibus Græcis, Syris, Copticis, aliisque Orientalium, ſed in Latinis etiam antiquis. Nemo tamen dubitat, quin remiſſio peccatorum, plenitudo gratiæ, & Spiritus Sancti, in baptiſmo collata fuerit. Ita in Officio Chriſmatis, etiam poſt orationem, quæ formæ rationem habet, oratur ad obtinendum Spiritum Sanctum. In Ordinatione ſimiliter ad finem uſque Officii preces ad Deum fiunt, ut ordinato, non modò gratiam Sanctitatis myſterio ſuo convenientis, ſed poteſtatem, auctoritatemque tribuat, quam per impoſitionem manuum, & verba Sacramentalia, jam conſecutus eſt. Id etiam patet ex reliquis Sacramentorum Officiis. Non omittendæ hìc videntur preces, quæ ab Eccleſia fiunt in Agenda Defunctorum, in quibus perſpicuum eſt, Eccleſiam reſpicere tempus, quod obitum defuncti immediatè præcedit. Nemo tamen adeò deſipuit, ut crederet, Eccleſiam exiſtimare, nondum factum eſſe judicium, cùm illas fundit preces, *non intres in judicium, &c.* Aut poſſe defunctum ab Inferni ſuppliciis liberari, cùm addit, ne pœnas inferni ſuſtineat. Ratio horum eſt, quia orationes hujusmodi non rigidè accipiendæ ſunt, quaſi vel dubitetur de certitudine promiſſionum Chriſti, vel de virtute verborum Sacramentalium &c. Unica enim, & quaſi indiviſa animo concipitur tota actio, quæ celebrandorum Sacramentorum formam, orationesque complectitur, verbis tamen, & ritibus exprimi nonniſi ſucceſſivè poteſt. Qui argumentorum contra ſententiam hanc à Touttée & le Brun allatorum ſolutionem videre deſiderat, adeat cit. PP. Bougeant, & Orſium in diſſert. ab illis editis.

Cæterùm cùm in pluribus Orientalium liturgiis, prolatis Chriſti verbis, populus immediatè fateatur, ſe credere, verè eſſe Corpus Chriſti, quod à Presbytero conſecratum eſt, ùt videri poteſt apud Renaudotium variis in locis; *præſertim tom. 1. pag. 517.* perſpicuum eſt, Orientales non credere, invocationem Spiritus Sancti, quæ in illorum Liturgiis ſubſequitur, neceſſariam eſſe ad valorem Conſecrationis.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IV. De Defectu Vini.

I. Rubric. num. 1. pag. 154. & Gavant. ibid. col. 1. lit. n *Acetum non fit Sacramentum*) Materia Sacramenti Sanguinis, ſine qua confici non poteſt, eſt vinum naturale de vite, idque conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ Dominum Salvatorem in hujus Sacramenti Inſtitutione, vino naturali, nempe ex vite, uſum fuiſſe ſemper docuit, & credidit; hinc ſequitur, liquores ex granis, fecibus vini, aut cereviſiæ, vi ignis elicitos, aut ex piris, pomis, vel fructibus aliis quamvis expreſſos, item ex aqua, & melle decoctos, non eſſe materiam aptam, aut ſufficientem, conſecrationis Sanguinis Domini Noſtri JEſu Chriſti. Sequitur pariter, acetum, tametſi ex vino factum fuerit, non eſſe materiam Sanguinis, quia non eſt vinum, ſed vini corruptela. Ita pariter vinum igne diſtillatum, vulgò Aqua vitæ, non poteſt validè conſecrari, quia probabiliùs videtur non retinere formam vini, ſed transmutari in mixtum nobilius. Quarti *part. 3. tit. 4. dub. 9.*

II. Rubrica num. 1. pag. 154. & Gavant. ibid. col. 1. lit. o *De Uvis acerbis &c.*) Liquor ſive ſuccus ex uvis immaturis expreſſus, non eſt materia apta ad hoc Sacramentum, quia nondum eſt vinum, ſed omphacium,

Ita-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Italicè *agreſto*. Item vinum ex uvis corruptis, ſeu decoctis, aut ſiccatis, non eſt ſufficiens materia Conſecrationis Calicis, propter eandem rationem. Rurſus vinum illud, ſeu potiùs liquor ex uvis ſecundò, aut tertiò compreſſis, magna aquæ copia ſuper infuſa, & qui vocari ſolet *lora* non eſt materia apta ad hanc conſecrationem, quia, tametſi aliquem præſeferat ſaporem, & odorem vini, ob nimiam tamen aquæ copiam, & ob vini paucitatem, quæ reperitur in talibus uvis, nullo modo credibile eſt habere ſpeciem vini, ſed eſſe vel naturæ aquæ, aut alicujus tertiæ ſubſtantiæ. Vinum quoque melle & aromatibus in magna quantitate conditum, & decoctum, non eſt materia ſufficiens Calicis, quia cum tali permixtione & decoctione deperditur vini ſubſtantia. Modica tamen permixtio non officeret validitati Conſecrationis, ſed nullo modo facienda eſſet propter Sacramenti reverentiam. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 5. *ad* 3. Wiggers 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 5. *num.* 41. & Gerlacus Vinitor *part.* 3. *tit.* 4. *in adnot.* §. 2. & 3. Uva denique non eſt materia valida Conſecrationis Sanguinis, neque liquor in uvis adhuc contentus, quia non eſt ſimpliciter vinum.

III. Gavant. pag. 154. col. 2. lit. o *Et vinum etiam congelatum, &c.*) Utrùm vinum congelatum ſit materia ſufficiens ad hanc Conſecrationem, non conveniunt Theologi; ſententiam negativam amplectuntur Alanus, Armila, Henriquez, Ledeſma, Nugnus, apud Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 100. verùm probabilior nobis videtur ſententia, quam ex Suarez ſequitur Gavantus *hic*, quam etiam tuetur, communemque vocat noſter P. Quarti *ſuprà part.* 3. *tit.* 4. *dub.* 8. nimirum tale vinum eſſe materiam validam, dummodo congelatio tanta non ſit, ut ſpeciem vini ſolvat. Ratio autem hujus ſententiæ eſt, quia vinum congelatum retinet naturam, & proprietates vini, adeò ut, ſi ſpecies conſecratæ poſt Conſecrationem congeleſcant, ſub iiſdem remaneat procul dubio Sanguis Chriſti Domini, ùt planè ſupponit Rubricæ *de defectibus* apud Gavantum *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 11. *pag* 164 ubi dicitur: *Involvatur Calix pannis calefactis, ut aſſumatur.*

Neque urget contra hanc ſententiam, ſi dicatur, aquam congelatam non eſſe materiam ſufficientem Baptiſmi; nam ablutio, quæ non poteſt eſſe, niſi aqua actu fluat, eſt materia eſſentialis, & proxima Baptiſmi; potatio verò actualis nullatenus pertinet ad eſſentiam Euchariſtiæ; & reverà in ſpeciebus, ùt mox diximus, poſt Conſecrationem congelatis, remanet vera ratio Sacramenti, quamvis ſic congelatæ potabiles non ſint. In praxi tamen obſervandum eſt, quòd ubi contingit, vinum eſſe congelatum ante Conſecrationem, liquefiat, antequàm verba Conſecrationis proferantur, aliàs conſecrando vinum ita congelatum, quamvis valida eſſet Conſecratio, ùt diximus, non eſſet tamen licita, & graviter peccaret, qui vinum congelatum conſecrare attentaret, priuſquàm eſſet liquefactum.

IV. Gavant. pag. 154. col. 1. lit. p *Fit Sacramentum, cum peccato tamen, &c.* Si vinum cœperit aceſcere, vel fuerit aliquantulùm acre, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat. Nihilominùs ſi urgeat neceſſitas celebrandi, ſeu non poſſit Sacerdos abſque nota omittere Sacrum, ùt inter Regulares contingit, qui ſecundùm regulam celebrare tenentur, nec eſt in eorum poteſtate aliud vinum habere, non peccant ſubditi eo vino utentes ad uſum Sacrificii; ita tenet laudatus P. Quarti *loc. cit. dub.* 12. hac ratione motus, quia cùm defectus ſit levis, non obſtans valori Sacrificii, cùm certum ſit, tale vinum eſſe verum vinum, licet aliquantulùm acidum, vel acre, non tenetur Sacerdos cum notabili incommodo Sacrificium illud omittere; & quamvis tali vino uti, ſit contra reverentiam Sacrificii, ea tamen irreverentia non imputatur Celebranti,

ſed

ſed Superiori, vel Miniſtro, qui eſt cauſa voluntaria illius.

V. Rubric. num. 2. pag. 154. & Gavant. ibid. col. 1. lit. q *Muſtum de uvis tunc expreſſum, &c.*) Muſtum de uvis recenter expreſſum, adeoque valdè impurum, validè quidem conſecratur, quia veram ſubſtantiam vini habet, ſed non decenter, ac licitè; quia, quamvis ſit verum vinum, eſt tamen imperfectum, & non ſatis decoctum, ac defecatum, quæ accidentalis imperfectio, ac fecis admixtio, dedecet tanti Sacramenti dignitatem, & idcirco graviter delinqueret, qui extra neceſſitatem in muſto conſecraret.

VI. Gavant. pag. 154. col. 1. lit. r *Miſceri aqua vinum eſt de præcepto Eccleſiæ, &c.*) S. Bernardus *epiſt. 69. ad Guidonem* innuit, ſua ætate quosdam aſſeruiſſe, aquam ita neceſſariò in Calice miſcendam, ut ſine illa mixtione nulla eſſet conſecratio. Alexander Alenſis verò 4. *part. quæſt.* 12. ſcripſit, aquam neceſſariam eſſe neceſſitate, non quidem Sacramenti, ſed præcepti divini; hunc ſecuti ſunt Hoſius *c.* 14. Confeſſionis, & Alphonſus à Caſtro *Hæreſi* 7. Verior tamen ſententia eſt illa, quam tenet Gavantus *hic*, mixtionem ſcilicet aquæ cum vino neceſſariam eſſe ex præcepto Eccleſiæ tantùm. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *c.* 7. his verbis: *Monet deinde S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent.* Hujusque Ritus triplicem ſubdit rationem. Primò, quia Chriſtum Dominum ita obſervaſſe creditur. Creditur, inquam, pia quadam credulitate, non fide divina: id enim revelatum fuiſſe non conſtat, ùt advertit Durandus in 4. *ſenten. diſt.* 9. *quæſt.* 5. Secundò, quia è latere Domini aqua ſimul cum ſanguine fluxit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Tertiò, quia ſic Populi Fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur. Deinde *Canone* 9. *ejusdem ſeſſionis*, quid credendum ſit circa hunc Ritum mixtionis aquæ cum vino in Calice, definit his verbis: *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ Ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantùm vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eò quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit.* Ubi Sacroſancta Synodus non attingit diverſas Theologorum ſententias circa exemplum Chriſti, & aquæ miſcendæ neceſſitatem, ſive Sacramenti, ſive præcepti divini, aut Eccleſiaſtici, ſed ſolùm definit præcisè contra Novatorum errores, & calumnias, non eſſe contra Chriſti inſtitutionem, quòd in Miſſa nonnulla ſecretè proferantur, quòd alia lingua, quàm vulgari, Sacrificium celebretur, & quòd aqua vino admiſceatur. Ex quo tamen Canone non infertur: ergo de fide eſt, aquam vino eſſe miſcendam, ſed ſolummodò infertur: ergo de fide eſt, admixtionem aquæ cum vino in Calice non eſſe contra Chriſti inſtitutionem.

Prædictum Ritum miſcendi aquam in vino conſecrando antiquiſſimum eſſe ex præſcriptione Eccleſiæ, & juxta Chriſti inſtitutionem, colligitur ex S. Juſtino, qui floruit ſecundo Eccleſiæ Seculo *Apol.* 2. ubi ait: *Ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini.* Item ex S. Irenæo, qui initio tertii ſeculi ſic ſcripſit *lib.* 4. *cap.* 57. *Accipiens Dominus panem, ſuum Corpus eſſe confitebatur, & temperamentum Calicis, ſuum Sanguinem confirmavit.* Ex S. Cypriano pariter, qui eodem mediante ſeculo vixit, *in epiſt.* 63. totus eſt, ut probet contra aquarios, nec vinum purum, nec aquam puram, ſed utrumque mixtum, eſſe offerendum in Miſſæ Sacrificio: *Dominica traditio*, inquit, *ſervetur, neque aliud fiet à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix ..... mixtus vino offeratur .....* Eadem veritas eruitur pariter ex Conciliis; nam Carthaginenſe tertium Anno 397. *cap.* 24. ſic habet: *In Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Chriſtus obtulit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum.* Trullanum quoque ſeu Quiniſextum Anno 692.

*Can.* 32. *Si quis*, inquit contra Armenos, *Epiſcopus, vel Presbyter, non ſecundùm ordinem ab Apoſtolis traditum facit, & aquam vino non miſcens, ſic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ùt imperfectè Myſterium enuncians, & quæ tradita ſunt, innovans.* Concilium quoque Antiſſiodorenſe *Can.* 8. Vormatienſe *Can.* 4. Triburienſe *Can.* 19. vinum aqua mixtum offerri decreverunt. Dicitur etiam, quòd Alexander I. idem conſtituerit, non quòd auctor hujus mixtionis fuerit, ùt nonnulli perperàm aſſeruerunt, ſed quia adversùs hæreticorum errores, quod ex Apoſtolica traditione acceperat, ſcripto confirmavit. Circa hoc argumentum longam ſcripſit epiſtolam ad Cæcilium Cyprianus, quam laudat Auguſtinus *lib.* 4. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 21. & hoc Domini præceptum eſſe affirmat, cujus transgreſſio graviſſimum peccatum ſit, & hujus ineffabilis Sacramenti mutilatio.

Prædictis Sacrorum Conciliorum ſanctionibus, & SS. Patrum doctrinis, confutantur Hydroparaſtæ, ſive Aquarii, & Encratitæ, qui ſola aqua utuntur in Myſteriis, itemque Armeni, qui ſolum vinum adhibent, quosque ſemper damnavit Eccleſia. Aquariorum mentionem faciunt Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromatum*, Irenæus *lib.* 5. *cap.* 1. Auguſtinus de hæreſibus *cap.* 64. Epiphanius *hæreſi* 46. adverſus Encratitas, Theodoretus *lib.* 1. *hæreticarum fabularum cap.* 20. Armenos damnavit Concilium Trullanum ſuprà allatum, eosque doctiſſimè convellit noſter Pater Clemens Galanus *tom.* 2. *ſecundæ partis conciliationis Eccleſiæ Armenæ cum Romana, tract. de nova lege, quæſt.* 4. §. 3. *ſect.* 2. Hi enim, dum Aquariorum errorem declinant, in alium errorem lapſi ſunt, ſolum nempe vinum offerentes; ſive ut per ſolum vinum unam dumtaxat in Chriſto naturam deſignent, à Jacobo Syro Eutychianæ blaſphemiæ propagatore ſeducti, ùt Nicephorus indicavit *lib.* 18. *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ cap.* 53. ſive aquam non miſcentes cum vino, ut à Græcis ſepararentur, ſicùt ex quadam illorum Hiſtoria colligitur, de qua mentionem facit Card. Bona *lib.* 1. *cap.* 23.

Modicum tamen aquæ vino à Sacerdote in Altari miſceri debet, non, ùt ſuprà diximus, ob neceſſitatem Sacramenti, neque præcepti Divini, ùt volunt Alenſis, Caſtro, & alii, quos citat, & ſequitur Valentia *de Euchar. diſp.* 6. *quæſt.* 2. *punct.* 1. & Granado *in* 3. *part. controv.* 6. *tract.* 2. *diſp.* 4. *ſect.* 1. ſed præcepti tantùm Eccleſiaſtici ſub mortali peccato obligantis, ùt tenet Quarti *part.* 2. *tit.* 7. *dub.* 3. *cum aliis*, ob rationes ſuprà adductas; modicum, inquam, aquæ admiſcendum eſt in vino conſecrando, quia, ſi major pars aquæ, quàm vini admiſceatur, ſi non invalida, ſaltem valdè dubia eſſet Conſecratio; ſi æqualis pars ſit aquæ, & vini, erit pariter periculum, ne aqua vinum extenuet, & ſpeciem amittat, unde ſemper erit, etiam in hoc caſu, ſaltem valdè dubia Conſecratio: apponenda ergo aqua eſt in minima quantitate, præſertim in his partibus, ubi vina ſunt debiliora, & plus eſt periculi corruptionis vini, quod maximè vitandum eſt. Aqua autem, etiam in quacunque parva quantitate adhibita, ſufficiens eſt ad præceptum præfatum Eccleſiaſticum adimplendum.

Confirmantur hæc omnia ex Sacris Eccleſiæ Sanctionibus; capite enim *Perniciosus tit.* 41. *de celebr. Miſſarum*, Honorius III. perſtringit eos, qui majorem quantitatem de aqua ponebant in Sacrificio, quàm de vino, cùm ſecundùm rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quàm de aqua ponendum. In Concilio pariter Triburienſi habito Anno 895. *Can.* 19. ſtatuitur, *ut duæ ſint partes vini, tertia aquæ.* In Conſtitutionibus verò Sarisburienſibus Anno 1217. in Anglia, præſcriptum fuit, quòd *in Sacramento Dominici Sanguinis, major pars vini, & modicum aquæ ponatur.* In Synodo verò Colonienſi habita Anno 1280. ſancitum fuit, quòd *in Calice duæ guttulæ, vel tres de aqua apponantur*; & Eugenius IV. in

ſuo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuo Decreto pro Armenis, Anno 1438. ſtatuit, *ut ipſi etiam Armeni univerſo Chriſtiano Orbi ſe conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululùm aquæ admiſceant.* Hinc Ordinarium Monachorum Burſfeldenſium relatum ab Edmundo Martene *in lib. 2. cap. 4. §. 21. de antiq. Monach. Ritibus*, præſcribit, ut cum parvo cochleari fiat aquæ mixtura in omni Miſſa; Monachi etiam Carthuſienſes, & Eccleſiæ ferè omnes in Germania optimè utuntur parvo cochleari, ut tutiùs immittant nonniſi parvam aquæ quantitatem in Calicem.

Vinum autem conſecrandum, cui modica aqua admiſceri debet, poteſt eſſe albi, vel rubei coloris, ad arbitrium Sacerdotis. In Concilio Provinciali quarto Eccleſiæ Beneventanæ habito Anno 1374. *tit. 7. cap. 4.* ſancitum fuit, quòd *nullus cum vino multùm albo celebret, ſi poſſet in loco rubeum reperiri, & commodè inveniri; cùm magis vinum rubeum, quàm album Sanguini conformetur.* Qui Canon deſumptus eſt ex Statutis Synodalibus Eccleſiarum Cadurcenſis, Ruthenenſis, & Tutelenſis Seculo 13. nuper editis ab Edmundo Martene *tom. 4. Theſ. Anec. pag.* 706. & aliam hujus Ritus rationem aſſignant Statuta Synodalia Eccleſiæ Meldenſis ab eodem Martene vulgata. *Vinum*, inquiunt, *potiùs rubeum miniſtretur in Calice, propter ſimilitudinem vini albi cum aqua.*

Verùm in Concilio Provinciali primo Eccleſiæ Mediolanenſis, quod habetur in Actis ejuſdem Eccleſiæ, à S. Carolo conditis, præſcribitur, quod *ornamenta & inſtrumenta Altarium pro celebratione Miſſæ pura ac munda ſint, præſertim Corporalia, ac purificatoria, quamobrem etiam vino albo, ubi poſſint, tantummodò ad Miſſæ Sacrificium Sacerdotes utantur.* Idem etiam præſcribitur in aliquibus aliis Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis. Hæc eadem diſpoſitio reperitur in Conſtitutione Synodali Didaci Eſcolani Epiſcopi Majoricenſis edita Anno 1659. & relata à Stephano Baluzio in ſuis eruditis notis ad epiſtolam 63. S. Cypriani, in qua Conſtitutione leguntur hæc præciſa verba: *Cùm Sacroſanctum Altaris Sacrificium, in quo fons omnis ſanctitatis & nitoris retinetur, minùs decenter peragatur, dum vinum rubeum conſecratur, cùm ſic mundities Altaris vix conſervari poſſit; ideò hortamur omnes hujus Diœceſis Presbyteros, ut poſthac vino albo in celebratione Miſſarum utantur.* Hæc autem eſt communis praxis ferè omnium Eccleſiarum, uti nimirum vino albo, quia ſic mundities mapparum, corporalium, & purificatoriorum faciliùs conſervatur. Diligenter tamen advertere debent Sacriſtæ, ne præparent in urceolis vinum ita album, ut confundi poſſit cum aqua; contingere enim poſſet, ſicùt aliquando accidit, ùt refertur in vita B. Coletæ, quæ habetur in Actis SS. apud Bollandum die 6. Martii *cap. 12. fol. 564. num. 109.* quòd conſecretur aqua loco vini. Interim talem errorem committendo, Sacerdos non peccaret mortaliter, quia inopinato caſu turbatus, aqua pro vino ſumpta, non conſecraret vinum. *Diana tract. 14. de celebr. Miſſ. reſol.* 70.

VII. Gavant. pag. 155. col. 1. poſt Rubr. n. 7. *Ne, inquit, ſequatur corruptio Sacramenti, &c.)* S. Thomas 3. *part. q. 83. art. 6. ad 4.* intendit convellere Græcorum morem, qui bis aquam in Calice infundunt, ſemel frigidam ante Conſecrationem, cùm in protheſi ſancta dona præparant, pungente Sacerdote panem Sancta Lancea, & dicente: *Unus Militum lancea latus ejus aperuit, ſtatimque exivit ſanguis, & aqua:* & Diacono infundente vinum, & aquam; deinde calidam poſt Conſecrationem, immediatè ante Communionem, petente Diacono à Sacerdote, ut aquam fervidam benedicat, illo verò benedicente his verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum, jugiter, nunc, & ſemper, & in Secula Seculorum. Amen.* Tum Diaconus infundit aquam calidam in Calicem, dicens: *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.* Scriptores Græci apud Goar in notis ad Miſſam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chryſoſtomi *num.* 167. & apud Arcudium *lib.* 3. *ſuæ Concordiæ cap.* 39. reddunt rationem hujus ſecundæ mixtionis aquæ, dicentes, fieri hanc mixtionem, tum quia aqua calida è latere Chriſti exivit, tum quia per eam fervorem Sancti Spiritus intelligi volunt. Hunc Græcorum Ritum nonnulli è noſtris Theologis ignorantes, vel utramque mixtionem confundunt, ùt Eſtius *Oratione Theologica* 16. vel putant eos aquam non apponere, ùt Innocentius III. *lib.* 4. *de Sacrif. Miſſa cap.* 32. & Guido Carmelita in catal. hæreſum; vel aquæ calidæ infuſionem impugnant, ùt Umbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus, in invectiva adversùs Nicetam Pectoratum. Sed immeritò, ùt ait Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 9. §. 4. hac de cauſa Græci vexantur, hunc enim Ritum præſcribunt in ſuis Liturgiis SS. Patres, Baſilius, & Chryſoſtomus, uſuque perpetuo Orientalis Eccleſiæ Sacerdotes doctrina & ſanctitate conſpicui comprobarunt. Ex ignoratione itaque hujus approbati Ritus, ait præfatus doctiſſimus Bona, procedit ſententia, quæ convellit præfatam mixtionem aquæ cum vino jam conſecrato; quaſi exinde ſequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua ſui parte, quæ ratio corruit etiam ex antiqua conſuetudine, quæ olim in Eccleſiis Latinis vigebat, miſcendi vinum non conſecratum cum Sanguine pro Communione Populi, ùt colligitur ex primo, ſecundo, & tertio Ordinibus Romanis, quin ullum timeretur periculum corruptionis Sacramenti.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Tit. V. De Defectibus formæ.

I. Gavant. pag. 156. col. 2. poſt Rubr. num. 1. §. *Porro S. Thom. quæſt.* 78. *art.* 3. *vult, excepto enim, &c.*) Quamvis particula *enim* in utraque Conſecrationis forma eſſentialis non ſit, neque neceſſaria neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de præcepto proferenda, ideoque, ſi quis eam omitteret, graviter peccaret. Ita etiam in forma Conſecrationis Calicis, ſeu vini, omnia verba, quæ exprimuntur in ſuperiori Rubrica, ſunt de integritate, & neceſſitate præcepti, & quamvis etiam ad eſſentiam Sacramenti pertinere aſſerat D. Thomas *loc. ſupracit.* nihilominùs alii Theologi quamplurimi cenſent, ad validitatem tàlis formæ ſufficere prima illa verba: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, reliqua verò quæ ſequuntur, quamvis non ſpectent ad formæ Conſecrationis eſſentiam, non licet tamen ea omittere ſine gravi ſacrilegio, tum quia Eccleſia vult, omnia illa verba proferri in forma Sanguinis, tum quia oportet tutiſſima ratione conſecrare, adhibendo ſcilicet etiam prædicta reliqua verba eodem modo, intentionemque habendo eo modo, & per ea verba conſecrandi, quibus Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit; tum etiam quia D. Thomas *ſupracit.* aliique multi volunt, omnia verba notata in Miſſali ſpectare ad eſſentiam formæ Sanguinis.

In hoc Sacrificio verba utriusque formæ, Corporis, & Sanguinis, debent proferri à Sacerdote, ùt induente, ac ſuſtinente Perſonam Chriſti, non verò in Perſona ejusdem Sacerdotis, ideoque omnia verba Canonis, incipiendo à verbis: *Qui pridie, &c.* uſque ad *Unde memores*, dicuntur à Sacerdote hiſtoricè, ſeu recitativè. Sola autem verba, quæ utrique formæ eſſentialia ſunt, ſcilicet, *Hoc eſt enim Corpus meum*; *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, &c.* proferuntur à Sacerdote, non tantùm materialiter, & recitativè, ſed etiam formaliter, ſignificativè, & enunciativè. Cæterùm aliæ quæſtiones, ſpectantes ad validitatem prædictarum formarum, videri poſſunt apud Theologos, præſertim verò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rò Zachariam Paſqualigum *de Sacrif. Miſſæ tract. 1. quæſt. 319. & ſeqq.* Quarti *part. 3. tit. 5. ſect. 1.* & Suarez *loc. à Gavanto cit.*

II. Gavant. pag. 156. col. 1. poſt Rubr. num. 2. *Sanè verba ea tantùm, &c.*) Optimè docet hìc Gavantus, in prædicto caſu repetenda eſſe tantùm verba Conſecrationis in ſuperiori Rubrica expreſſa. Unde non approbantur illi, qui putant, ſi Conſecratio panis iteranda ſit, incipiendum, & repetendum eſſe de neceſſitate Sacramenti ab illis verbis: *Qui pridie, &c.* ſic Calix ab illis verbis: *Simili modo, &c.* Satis enim eſt, iterare ſolam formam expreſſam in Rubrica *n. 2.* & in Canone Miſſæ contentam.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti
### Tit. VI. De Defectibus Miniſtri.

I. De Defectibus Miniſtri, tum eſſentialibus, tum accidentalibus, tum proximis, tum remotis, fusè, & doctè diſſerit Paulus Maria Quarti *part. 3. tit. 6.* omnino videndus ab iis, qui ſatisfacere volunt ſuæ curioſitati in hac materia.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti
### Tit. VII. De Defectu Intentionis.

I. Rubr. num. 1. pag. 157. *In his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio, &c.*) In hac Rubrica quatuor adducuntur caſus, in quibus non ſequitur Hoſtiæ, & vini Conſecratio, ex ſolo defectu intentionis in Sacerdote conſecrante. Nomine intentionis intelligitur deliberata voluntas faciendi aliquid, puta Sacramentum; intentio enim communiter definitur volitio efficax finis, unde differt intentio à ſimplici volitione, ſeu complacentia finis, ſive boni alicujus; quia ſimplex voluntas, ſeu complacentia reſpicit finem ſine habitudine ad conſecutionem. Intentio autem eſt volitio efficax tendens in finis conſecutionem. In caſu ergo noſtro actus, quo Miniſter vult conficere Sacramentum, dicitur intentio, quia eſt actus liber voluntatis tendentis in illum finem, & diſtinguitur ab attentione, quæ eſt actus intellectus conſiderantis id, quod agitur.

Dividitur autem intentio, quò ad rem noſtram pertinet, in actualem, & virtualem, in habitualem, & interpretativam. Actualis intentio eſt volitio actu exiſtens faciendi Sacramentum, & offerendi Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini, vel faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit, & per ſe ipſam immediatè concurrens ad Sacramentum, & Sacrificium peragendum, cum prolatione formæ ſuper materiam præſentem.

Intentio virtualis dicitur illa, quæ præceſſit in ſe, ſed virtute permanet in aliquo effectu ab ea relicto, quo excitantur potentiæ externæ ad actiones requiſitas, quibus perficitur Sacramentum initio propoſitum, vel per impreſſionem in imaginativa relictam, vel per connexionem actuum ſequentium cum primo, quo quis ad agendum humano modo ſe applicuit, nec actu contrario interrupit; v. g. incipit quis Sacerdos ſacris veſtibus ſe induere ex animo conſecrandi, & offerendi Sacrificium, ſicùt Chriſtus inſtituit, & vi illius voluntatis accingit ſe operi, pergendo ad Altare, &c. poſteà tamen mente diſtrahitur, & interim facit omnia neceſſaria ad Sacrificium, manendo tamen ſemper mentis ſuæ compos; hic dicitur habere in-

intentionem virtualem conſecrandi, & offerendi Sacrificium, etiamſi in ipſo actu Conſecrationis, dum profert formam, nullam habeat actualem intentionem.

Intentio habitualis dicitur illa, quæ præceſſit aliquando, & omnino deſivit, nec per aliquem effectum, aut virtutem relictam influit in actionem externam, quamvis actu contrario revocata non fuerit: Nam voluntas ſemel habita, & multò magis frequenter habita, dicitur habitualiter remanere, donec revocetur; Unde dicitur etiam quis ex habitu aliquid facere, quando ſola frequentia actuum præteritorum ductus aliquid operatur, e. g. fricat quis barbam, nullo præcedente actu, quo ad eam operationem applicetur, eo modo quo etiam à dormiente, amente, & ebrio id ipſum fieri contingit.

Intentio interpretativa eſt diſpoſitio voluntatis, quæ talis eſt, ut interpretemur aliquem conſenſurum, aut facturum, ſi res propoſita in ejus mentem veniret, vel de ea moneretur; ſic dicitur, quòd fidelis adultus, qui ex vi morbi uſum rationis amiſit, habeat intentionem interpretativam recipiendi Sacramentum extremæ unctionis, quamvis de eo nunquam cogitaverit, quia ex ejus anteacta vita colligimus, quòd prædictum Spirituale beneficium & Sacramentum expeteret, ſi rationis ſuæ compos eſſet.

Dividitur prætereà intentio in abſolutam, & conditionatam; abſoluta eſt voluntas abſoluta, qua ſimpliciter, & ſine modificatione, ſeu conditione aliqua, vult conficere v. g. Sacrificium Miſſæ. Conditionata verò intentio eſt voluntas conſecrandi v. g. Hoſtiam ſub hac conditione, ſi priùs non fuerit validè conſecrata.

Denique, quod ad rem noſtram ſpectat; Dividitur intentio in implicitam, & explicitam: Intentio implicita procedit in adminiſtratione, ſeu confectione Sacramenti, ſecundùm generalem, & confuſam rationem; ùt v. g. volo conſecrando, nempe proferendo formam conſecrationis, facere, quod facit Eccleſia Catholica, ſeu quod Chriſtus inſtituit. Explicita dicitur intentio, quæ ſecundùm ſpecificam rationem procedit; ùt in caſu noſtro, volo conficere Sacramentum Corporis Chriſti &c. volo offerre Sacrificium Euchariſticum Summo Deo, in recognitionem ſupremi ſui Dominii ſuper omnes Creaturas.

Ex prædictis intentionibus, intentio actualis, & explicita, quamvis optima, atque adeò optanda, non eſt tamen neceſſaria ad valorem Conſecrationis, & hæc eſt communis omnium Theologorum ſententia; Sufficit enim in caſu noſtro ſola intentio virtualis, & implicita, quales ſuprà explicavimus. Intentio autem habitualis profectò non ſufficit, quia eſt ſine advertentia rationis, & poteſt reperiri, ùt diximus, etiam in dormiente, amente, & ebrio: qui tunc non operantur humano modo. Hìc advertere lubet, quòd antiqui Theologi intentionem virtualem aliquando vocarunt habitualem, ùt colligi poteſt ex iis quæ docet D. Thomas *in 3. part. Quæſt. 64. Art. 3.* nempe Sacerdotis accedentis ad baptizandum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, docetque, perfici Sacramentum ex virtute primæ intentionis, etiamſi in ipſo exercitio cogitatio Sacerdotis ad alia rapiatur. En igitur intentionem habitualem confundi cum virtuali.

Intentio interpretativa multò minùs ſufficit, quàm habitualis, ad conficiendum quodcunque Sacramentum, quia non eſt intentio, ſed pura diſpoſitio ad intentionem concipiendam; & quamvis ſufficiat ad recipiendum Sacramentum, ùt ſuprà innuimus, tamen non eſt ſufficiens ad Sacramentum miniſtrandum, & conficiendum, quia ſuſcipiens Sacramenta paſſivè ſe habet, conferens autem activè: major autem requiritur perfectio in agente, quàm in patiente, & ſic requiritur perfectior intentio in miniſtrante, quàm in ſuſcipiente Sacramentum; Et

reve-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reverà Chriſtus voluit quidem, Sacramenta diſpenſari etiam pueris, & eis, qui non ſunt ſui compotes, noluit tamen diſpenſari à pueris, & ratione non utentibus, ſed à ſolis Miniſtris rationali modo agentibus; Sapientem enim decet de ſuis bonis ita diſponere, ut etiam in auxilium amentium conferantur, & diſtribuantur, non tamen per miniſtros, ſeu diſtributores fatuos, vel non agentes rationali modo, ùt optimè ponderat Quart. *part. 3. Tit. 7. Dub. 3. in fine.*

Intentione conditionata uti non debet Sacerdos, niſi quando facto diligenti examine dubitat, an Hoſtia, vel Vinum fuerit conſecratum, v. g. quando ob mentis evagationem, aut alias cauſas Sacerdos certus non eſt, ſe Verba conſecrationis protuliſſe; in tali caſu poteſt iterum ſub conditione conſecrari Hoſtia, vel Calix; verum tamen eſt, quòd non ſemper eſt ratio dubitandi, an forma omiſſa fuerit, ex hoc præcisè, quòd Sacerdos non meminerit, ſe eam protuliſſe; quare quando Sacerdos recitat orationes Conſecrationis formam conſequentes, non debet adhuc ſub conditione Conſecrationis verba repetere, quamvis tunc non meminerit, ſe eа protuliſſe, ſed potiùs ut ſuæ conſulat quieti, quærere debet à Miniſtro, an Hoſtiam, & Calicem elevaverit, ut inde arguat, ſe verè protuliſſe formam Conſecrationis, ſi talis elevatio ſecuta fuerit. Admittat verò rationem dubitandi, ſi non elevaverit dictam Hoſtiam &c. Præſcindendo igitur à dicto dubio, non debet Sacerdos uti intentione conditionata, ſed ſemper regulariter loquendo debet uti intentione abſoluta in Sacramento conficiendo, & Sacrificio peragendo; & quando uti poteſt intentione conditionata, conditio debet eſſe vel de præſenti, vel de præterito, ut poſſit ſtatim habere ſuum effectum, & tranſire in abſolutam. Nunquam enim poteſt uti intentione conditionata de futuro, & maximè ea conditione, quæ humano modo cognoſci non poteſt, nam hujusmodi intentiones conditionales de futuro ſuſpendunt conſenſum, ſeu voluntatem conſecrandi, donec impleta ſit talis conditio; quod nullo modo poteſt fieri.

II. Gravis agitatur quæſtio inter Theologos, utrùm ad valorem Sacramenti ſufficiat intentio faciendi quidem exteriùs quod facit Eccleſia, adhibendo materiam, & formam à Chriſto inſtitutam, & in Eccleſia conſuetam, ſed absque animo interno, & absque intentione conficiendi Sacramentum, imò animo, & intentione interna jocandi, & illudendi, modò hic animus non manifeſtetur exteriùs; controvertitur, inquam, an hæc interna intentio non conficiendi Sacramentum, mente ſolùm concepta, & exteriùs non manifeſtata, obſtet valori Sacramenti, ſi aliàs Miniſter exteriùs exhibeat ſeriò Ritus omnes Eccleſiæ, & exequatur ea quæ facit Eccleſia. Ratio dubitandi eſt, quia talis Miniſter habet ſuo modo intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, id eſt quoad actiones externas, & materiales. Hoc autem videtur ſufficere ad ſalvandas definitiones Conciliorum circa intentionem, quæ requiritur in Miniſtro Sacramentorum.

Prima ſententia ſuſtinet, non vitiari Sacramentum ex defectu intentionis merè internæ Miniſtri nolentis conficere Sacramentum, ſed ad validitatem Sacramenti ſufficere ſolas actiones externas modo explicato. Hanc acerrimè tuetur Ambroſius Catharinus, aſſerens, ſtare omnino, atque valere Sacramentum, ſi Miniſter dumtaxat intendat celebrare Ritum illum externum, quem Eccleſia celebrat, illumque re ipſa liberè, ſeriò, omnique ſemoto joco exteriùs adminiſtret, materiam adhibens, formamque pronuncians in iis maximè circumſtantiis, ex quibus determinatur ad agendum tanquam Eccleſiæ Miniſter: Nihilque obeſſe valori Sacramenti, ſi intus occulta mente contrariam intentionem animo gerat, nolitque clam, atque ſecretò, actionem illam Sacramentalem eſſe,

qua-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qualem illam Chriſtus inſtituit. Ita ille ſententiam ſuam expoſuit in Opuſculo *de intentione Miniſtri*, quod pendente Concilio Tridentino elucubravit, & ita his præcisè verbis refert, ac vindicat præfati Auctoris mentem Jacobus Hyacinthus Serry Ordinis Prædicatorum Doctor Sorbonicus, & in Academia Patavina Primarius Sacræ Theologiæ Profeſſor, in ſuo Opuſculo, cui Titulus; *Ambroſii Catharini Vindiciæ*, & in alio ſimili Opuſculo inſcripto: *Vindiciæ Vindiciarum &c.* Catharini ſententiæ ſubſcripſerunt Alphonſus Salmeron *tom.* 13. *in Epiſtolas Pauli lib* 1. *part.* 3. *diſp.* 2. Vignerius, Marius Scribonus, Zacharius Paſqualigus, Vincentius Contempſonius, & alii relati à Serry *cap.* 5. *n.* 3. ſui primi Opuſculi.

Secunda ſententia communior inter Theologos docet, requiri neceſſariò in Miniſtro Sacramenti intentionem internam conficiendi Sacramentum, ſaltem implicitam, quæ habetur in intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & non ſufficere ſolam, & nudam actionem externam, etiamſi ſeriò peractam, ſine ulla intentione interna, & multò magis cum intentione interna directè oppoſita, nempe cum intentione non faciendi rem ſacram, & non miniſtrandi Sacramentum. Hanc Sententiam tuentur ferè communiter Theologi, præſertim verò Suarez *Diſput.* 13. *ſect.* 2. Coninch *quæſt.* 64. *art.* 8. *num.* 58. Diana *part.* 10. *quæſt.* 11. *Reſol.* 67. & recentiſſimè non ſolùm dignitate, ſed etiam ſapientia, & pietate Eminentiſſimus Card. Gotti Ordinis Prædicatorum, *tom.* 13. *ſuæ Theologiæ quæſt.* 7. *dub.* 4. Hæc autem ſecunda ſententia eſt omnino tenenda, ſaltem in praxi, ut fatetur etiam ipſemet Serry *cap.* 14. §. 7. & alii ſuæ ſententiæ ſectatores; cùm in Sacramentis conficiendis, licitum non ſit ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore; Atqui hæc ſecunda ſententia eſt tutior, immò ſola tuta eſt, & ſecura, ergo hæc eſt omninò amplectenda; major propoſitio negari profectò non poteſt, cùm ab Innocentio XI. anno 1679. proſcripta fuerit hæc propoſitio: *Non eſt illicitum in Sacramentis conſecrandis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore;* minor etiam conſtat, cùm tutior ſit ſententia, quæ aſſerit præter externam, requiri etiam aliquam intentionem internam, virtualem ſaltem, & implicitam; quàm illa, quæ aſſerit, etiam ſine tali intentione interna, immò cum intentione etiam contraria confici Sacramentum, dummodò ſeriò Miniſter exteriùs operetur, & appareat circumſtantibus ob Ritus, quos ponit, velle Sacramentum conficere.

Probatur etiam hæc ſecunda ſententia ex eo, quòd Alexander VIII. die 7. Septembris 1690. damnavit hanc propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem Ritum externum, formamque Baptiſmi obſervat, intus verò in corde ſuo reſolvit, non intendo facere quod facit Eccleſia.* Hæc autem Pontificia condemnatio, non ſolùm comprehendit illum, qui jocosè, ac mimicè ponit totum Ritum externum Baptiſmi, ſine intentione interna, ſed etiam illum, qui Ritum externum ſeriò peragit in collatione Baptiſmi, ſed intra ſe habet intentionem non faciendi rem ſacram, non conferendi Sacramentum, non faciendi quod facit Eccleſia, ſed jocosè omnia peragere; licèt talis intentio ab eo exteriùs non manifeſtetur. Qua propter ſi Baptiſmus ita collatus, cum ſolis Ritibus externis ſeriò poſitis, ſed ſine ulla intentione interna, eſt juxta mentem præfati Pontificis omnino irritus, idem ſentiendum eſt de omnibus aliis Sacramentis, nimirum ea eſſe omnino irrita, & nulla, ſi in Miniſtro non habeatur interna voluntas, virtualis ſaltem, & implicita, faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus inſtituit. Et reverà ad validitatem Sacramenti requiri talem intentionem in Miniſtro, faciendi nimirum quod facit Eccleſia,

ſia, docuit Martinus V. anno 1418. in fine Concilii Conſtantienſis; Eugenius IV. anno 1439. in Concilio Florentino Decret. de unione Armenorum; & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de Sacram. in genere can.* 11. quæ quidem Concilia intelligenda ſunt non de ſola intentione materiali, faciendi quod exterius facit Eccleſia, ſed etiam de intentione formali, ſeu interna, faciendi quod facit Eccleſia, ſeu quod Chriſtus inſtituit, ſive faciendi actionem illam, ut Sacramentalem, & in illa ſe gerendi ùt Chriſti & Eccleſiæ Miniſtrum.

Denique apertè colligitur veritas hujus noſtræ ſententiæ ex Rubrica *num* 1 *pag.* 157. in qua ſtatuitur, validam non eſſe conſecrationem: *Si quis non intendit conſi. ere, ſed deluſoriè aliquid agere*, quæ verba loquuntur profectò de intentione interna deluſoriè aliquid agendi. Rurſus in eadem Rubrica *punct.* 3. legitur: *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio*; Nempe requiritur intentio determinata conſecrandi talem vel talem Hoſtiam; quia autem in prædicto caſu non eſt major ratio, cur illa, vel iſta ſit conſecrata, ideò nulla intelligitur conſecrata, ex ſolo defectu talis intentionis internæ determinatè conſecrandi hanc, vel illam Hoſtiam: quòd ſi ſufficeret ad illas conſecrandas ſolus Ritus externus ſeriò peractus, nempe materia conſecranda præſens ſuper Corporali, & verba Conſecrationis prolata à Sacerdote veſtibus ſacris induto &c. hæc omnia habentur etiam in hoc Sacerdote habente hanc internam intentionem conſecrandi non omnes undecim Hoſtias, ſed ſolùm decem ex illis, ſed non determinando, quas decem velit conſecrare, & exteriùs apparet, omnes illas undecim conſecrare velle, & nihilominùs certiſſimum eſt, quòd ex ſolo defectu talis internæ intentionis, vel conſecrandi omnes illas Hoſtias, quas habet præſentes, vel ex illis undecim conſecrandi ſolùm decem, non determinando tamen, quas decem intendat conſecrare; ex ſolo, inquam, defectu talis internæ intentionis, & talis internæ determinationis, omnes illæ undecim Hoſtiæ inconſecratæ remanent, quamvis habeatur totus Ritus externus ſeriò peractus, qui requiritur ad talium Hoſtiarum conſecrationem; quæ omnia magis confirmantur ex eo, quod, quando ex illis undecim Hoſtiis, decem determinatè quis vult conſecrare, & unam determinatè non intendit conſecrare, iidem omnino Ritus externi adhibentur ſuper illas decem, quas prædictus Sacerdos intendit determinatè conſecrare, ac ſuper illam unam, quam determinatè non intendit conſecrare, & nihilominùs ex defectu ſolius intentionis internæ, ſuper prædictam illam unam, hæc juxta ſenſum, & doctrinam Rubricæ, non cenſetur conſecrata. Semper igitur firmum remanet, etiam ex textu litterali, & ſenſu prædictæ Rubricæ, à Summis Pontificibus editæ, & à S. R. E. approbatæ, immò ab univerſali Eccleſia acceptatæ, firmum, inquam, remanet, ad validam Conſecrationem prædictarum Hoſtiarum requiri, præter Ritum externum ſeriò peractum, etiam internam intentionem eas conſecrandi.

Alia argumenta, quibus prædicta communis, probabilior, & tutiſſima ſententia comprobatur, legi poterunt apud laudatum Eminentiſſimum Gotti, ſicùt etiam ſolutiones difficultatum, quas contra eandem afferunt Auctores primæ ſententiæ.

III. Gavant. pag. 158. col. 1. poſt Rubr. n. 4. *Gutta verò quæ ſunt extra Calicem, aut intra, &c.*) Optimè hic reſolvit Gavantus adhærens ſententiæ Suarez, quòd ſi in Calicis pede, vel extra cuppam, aliquæ guttæ vini hæreant, non cenſentur conſecratæ, niſi tamen Sacerdos expreſsè, ſed non ſine ſacrilegio, prædictas quoque guttas conſecrare ab-

abſolutè intendat. Rurſus non cenſentur pariter conſecratæ guttæ illæ vini, quæ intra Calicem, ſive in interiori Calicis ſuperficie, à reliquo vino ſeparatæ hærent; nam hæc videtur eſſe communis, & optima Eccleſiæ intentio, conſecrandi nimirum omnem liquorum conſecrabilem, qui per modum unius continui in Calice continetur. Hanc ſententiam tuetur etiam Ægidius Coninch *queſt.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 43. Buſſembau *lib.* 6. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 3. Claudius La Croix *in ſuis Additionibus ibidem.* Biſſus *lit. S. n.* 18. §. 39. ubi advertit, quòd ſi Sacerdos, poſt vini infuſionem in Calicem, videat aliquas guttas diſperſas intra eundem Calicem, ne oriatur de iis dubium, utrùm ſint conſecratæ, eas uniat cum toto vino; vel quod facilius, & decentius eſt, eas purificatorio extergat, & ſi non extergantur, neque uniantur cum reliquo vino, non cenſeantur conſecratæ, cùm Sacerdos habere debeat prædictam intentionem, ùt dixi, conſecrandi, non hujusmodi guttas ſeparatas, ſed tantùm vinum illud, quod eſt in Calice per modum unius.

# Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

## Tit. VIII. De Defectibus Diſpoſitionis Animæ.

I. Rubr. num. 1. pag. 158. *Sed graviſſimè peccat, &c.)* Præfata Rubrica non ſolùm intelligenda eſt de notoriè excommunicato, & aliis cenſuris, vel irregularitate impedito, quòd nimirum graviſſimè peccet, ſi in tali ſtatu celebret, ſed etiam de occultò irretito ejusmodi pœnis Eccleſiaſticis, putà qui occultè Clericum percuſſit, vel aliquem occidit. Si quis tamen ſcienter audit Miſſam ejusmodi Sacerdotis occultè irretiti, graviter non peccat juxta ſententiam Navarr. *conſ.* 59. *tit. de ſentent. excom. tom.* 2. ſicùt peccaret ille, qui audiret Miſſam Sacerdotis notoriè excommunicati, &c.

II. Rubr. num. 2. pag. 159. *Graviter peccat, &c.)* Non ſolùm Sacerdos, ſed alius quicunque, qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, tenetur ex præcepto Eccleſiæ præmittere Confeſſionem Sacramentalem, antequàm ad Communionem Sacram accedat, ùt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *de SS. Euchar. Sacram. cap.* 7. *& Can.* 11. ubi ait: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Et deinde addit: *Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab ipſis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum decrevit, modò non deſit illi copia Confeſſoris; quòd ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Ex quibus verbis colligitur, Sacerdotem conſcium ſibi peccati mortalis, nunquam poſſe celebrare ſine prævia Confeſſione, niſi concurrentibus duabus his circumſtantiis, nempe cùm urget neceſſitas celebrandi; & cùm deeſt copia Confeſſarii; & quamvis gravis difficultas ſit, quando cenſeatur deeſſe copia Confeſſarii, & quanta debeat eſſe neceſſitas celebrandi; Gavantus tamen ſuprà ſufficienter explicat quænam ſit neceſſitas urgens, & quænam dici poſſit inopia Confeſſarii.

III. Gavant. pag. 159. col. 2. §. At S. Thom. &c. in fin. *Debet autem, quamprimùm poterit, confiteri, &c.)* Ne Sacrificaturi habentes conſcientiam peccati mortalis, prætextu neceſſitatis, & inopiæ Confeſſarii, non inſtituta Sacra Confeſſione, ſed elicita tantùm contritione celebrent, præcipit, ùt diximus ſuprà, Tridentina Synodus, ut Sacerdos

dos quamprimùm poſteà confiteatur, nempe poſt Miſſam celebratam. Sed intra quod tempus confiteri oporteat, ut quis dicatur quamprimùm confiteri, variæ ſunt Doctorum ſententiæ: aliqui putant, quòd Sacerdos ſtatim poſt Miſſam debeat confiteri, ſi habeat copiam Confeſſarii; alii verò putant, ſufficere, ſi ſaltem intra triduum Confeſſario ſe præſentet, eique conſcientiam ſuam aperiat. Videri poſſunt Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 7.* Coninch *quæſt. 8. art. 4. dub. 2.* Wiggers *quæſt. 8. art. 5. dub. 5.* & alii, qui agitant hanc quæſtionem; certum tamen eſt apud omnes, Confeſſionem neceſſariò requiri, antequàm dictus Sacerdos, etiamſi verè contritus, iterum celebret; & hoc purum non eſſe conſilium, ùt aliqui opinati ſunt, ſed præceptum; idque conſtat ex Propoſitione ab Alexandro VII. damnata *n. 38.* in qua habetur - - Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum. Ad hoc etiam facit altera Propoſitio ab eodem Alexandro proſcripta *num. 39.* in qua damnatur, quòd illa particula *quamprimùm*, à Tridentino uſurpata, intelligi debeat, *cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IX. De Defectibus Diſpoſitionis Corporis.

I. Gavant. pag. 160. col. 1. poſt Rubr. num. 1. *Ante omnem cibum, &c.*) Eſt præceptum Eccleſiæ ab Apoſtolis derivatum, ut quicunque velit celebrare, aut communicare, jejunus ſit, jejunio naturali, hoc eſt ſine omni cibo, & potu, etiam in minima quantitate, à media nocte uſque ad Communionem, ita ut ne per modum quidem medicinæ quidquam ſumi poſſit. Prædictum autem jejunium naturale, ſervandum eſt ab initio diei naturalis, in qua celebrandum, vel communicandum eſt, quæ dies naturalis computatur, & incipit à media nocte, terminat verò in mediam noctem ſequentem. Dubium oritur, quid agendum ſit, ubi ejuſmodi dies naturalis non poteſt diſtingui à media nocte, in mediam noctem, uti contingit in Regionibus Septemtrionalibus prope Polum, in quibus per ſex menſes eſt perpetuus dies, & per alios ſex, eſt perpetua nox, nempe ab uno Æquinoctio ad alterum; ad quod dubium reſpondendum eſſe crediderim, quòd ſicùt initium diei artificialis in his Regionibus, in quibus non eſt Aurora phyſicè, juxta Decretum editum die 18. Septembris 1634. & datum in noſtro Indice ſub *num. 276.* pro licita Miſſarum celebratione, debet attendi Aurora moraliter, & politicè, quando ſcilicet ibi terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum conſuetudinem; ita moraliter, & politicè attendi debet media nox in illis, nempe deſumi debet media nox à momento illo medio, inter initium ceſſationis laboris, & inchoationis ejuſdem laboris, juxta probatam dictarum Regionum conſuetudinem.

Rurſus quoniam dictum naturale jejunium debet incipere à puncto mediæ noctis præcedentis diem, in qua ſumenda eſt Euchariſtia, dubium aliud oritur, quæ regula ſit ſervanda, dum ob diſcrepantiam horologiorum, non poteſt benè colligi, an tranſierit media nox; ſunt enim varia horologia in eadem Civitate, quorum unum indicat mediam noctem fuiſſe jam tranſactam, alia verò non. Sed in hoc caſu reſpondetur, ſervandam eſſe regulam illam, quæ ſervari ſolet, quando circa reſolutionem alicujus rei dubiæ, duæ extant opiniones æquè probabiles, quo caſu arbitrarium eſt, utram illarum amplecti, & propterea poteſt quili-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bet audito primo ſigno, ſeu horologio, indicante mediam noctem eſſe transactam, ſolvere jejunium naturale, & die ſequenti celebrare, & communicare, ſi poſtmodùm alia horologia diſcrepent, & indicent noctis medietatem. Ita colligitur ex Sanchez *de Matrim. lib. 2. diſp. 41. n. 40.* & ex Quarti *part. 3. tit. 9. dub. 3.* ubi addit, poſſe ſequi prædictam ſententiam (dummodo non conſtet de alicujus horologii errore) tunc enim poſſumus conformari etiam ultimo horologio; quare ſi ex ultimo quis dignoſcat, ſe non comediſſe ante illius ſignum, mediam noctem indicans, poterit mane ſequenti communicare. Ita etiam Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 36. & part. 4. tract. 3. reſol. 19.* ubi citat varios alios Doctores pro hac ſententia.

II. Gavant. pag. 160. col. 1. poſt Rubr. num. 3. *Qui vult quantitatem vini, vel aquæ eſſe valdè parvam, &c.*) Si contingat in ablutione oris, modicum aliquid aquæ commiſceri ſalivæ, & per modum ſalivæ deglutiri, juxta ſententiam D. Thomæ, à Gavanto allatam, & juxta mentem Rubricæ, non violatur jejunium naturale, etiamſi ſtilla illa aquæ in ſalivam non ſit converſa; non enim de converſione illa poteſt facilè conſtare: ſatis igitur eſt ut non violetur jejunium naturale, quòd modica illa aqua ita ſalivæ permixta ſit, ut non poſſit ſeparari, & per modum unius trajiciatur. Ita pariter, qui guſtat aliquid jurulenti, ſive liquidi, ſolùm ut percipiat ſaporem, & exſpuit, non frangit jejunium naturale, etiamſi cenſeatur aliquid relinqui in palato, quod per modum ſalivæ deglutiatur. Ita Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 6.* & Gerlacus Vinitor *part. 3. tit. 9. in adnot. §. 3.*

III. Gavant. pag. 160. col. 1. ad eand. Rubr. *Si advertat Sacerdos poſt mediam noctem, &c.*) Si reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes inter dentes, vel in gingivis, trajiciantur caſu poſt mediam noctem, eſt communis ſententia, quòd non impediant Communionem pro ſequenti die, cùm per ipſas non frangatur jejunium naturale, quia non ſumuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Vult tamen Suarez citatus à Gavanto, necnon Paludanus, quem ſequuntur pariter Vaſquez, Filucius, Layman, Card. de Lugo, vult, inquam, Suarez, per tales reliquias, ſi deglutiantur poſt mediam noctem ex induſtria, violari jejunium, & conſequenter Communionem impediri; unde juxta hanc ſententiam, antequàm deglutiantur, debent tales reliquiæ exſpui. Verùm cùm prædictæ reliquiæ cibi, præcedenti die ſumpti, non ab extrinſeco recipiantur hodie, ſed receptæ fuerint heri, reputantur tanquam partes heſternæ comeſtionis jam ſumptæ, & ideo ſemper retinent moralem comeſtionem cum illa. Quapropter quamvis ſenſibiliter habeantur in gingivis, & ex induſtria deglutiantur, non conſtituunt novam comeſtionem moraliter, ſed heſternam perficiunt, & complent; ideoque per ipſas ita deglutitas non violatur jejunium naturale, & conſequenter non impeditur Com̃unio. Hanc ſententiam, quam probabiliorem cenſet, tenet Quarti *part. 3. tit. 9. ſect. 1. difficult. 1.* citans Dianam *part. 3. tract. 4. reſol. 37.* qui ibidem citat alios Auctores.

Si quis tamen aromata, aut ſaccharum in ore ponit ante mediam noctem, ut paulatim emolliatur, & trajiciatur, idque duret poſt noctis medium, cenſetur violaſſe jejunium naturæ, unde iſte impeditur à Communione. Ratio eſt, quia id, quod poſt mediam noctem trajicitur talis ſacchari, vel præter intentionem, vel ex induſtria, non eſt reliquia cœnæ præcedentis, ſed pars ejus cibi, cujus comeſtio fit per continuam liquefactionem, & trajectionem, unde eſt comeſtio, quæ verè, & per ſe durat poſt mediam noctem, & conſequenter violat jejunium naturale: Quarti *ſuprà difficult. 2.* & alii communiter, quapropter ſi quis indormitet cum ſaccharo in ore, de quo dubitat, an ante mediam noctem totum deglutierit, non poterit ſequenti die celebrare, aut communicare.

Si quis deglutiat ſanguinem, aut aliquem alium humorem à capite in os deſcendentem, non frangit jejunium naturæ, quia quidquid ab intrinſeco provenit, nec ore ab extrinſeco ſumitur, verè non comeditur, & ideò non ſolvit jejunium naturale, neque proinde impedit per ſe ſumptionem Euchariſtiæ. Wiggers *de Sacram. Euchar. quæſt.* 80. *artic.* 8. n. 37. Henriquez *n.* 8 *cap.* 50. & Gerlacus Vinitor *ſuprà tit.* 9. *in adnot.* §. 6.

Cenſetur pariter jejunus etiam ille, qui poſt mediam noctem deglutivit aliquid non comeſtibile, ſcilicet oſſiculum, fruſtulum metalli, cretam, papyrum, ungues, vel aliquid ſimile. Ita tenet Quarti *ſuprà diffic.* 3. citans pro hac ſententia nonnullos Auctores, quamvis contrariam teneant Henriquez *lib.* 8. *cap.* 47. Bonacina, Reginaldus, & alii allegati ab eodem Quarti *ſuprà*, quos tamen non ſequitur, ſed refellit.

Idem Quarti *difficult.* 4. quæſtionem proponit, an ſumptio tabaci, Communionem impediat: & ſuſtinet, quòd ſi tabacum ſumatur in pulvere per nares, ùt communiter fieri ſolet, non ſolvitur jejunium naturæ, etiamſi aliquid deſcendat in ſtomachum, quia illa ſumptio non eſt comeſtio, cùm non fiat per os; ſicùt de aqua attracta per nares, dici debet, licèt aliqua pars ejus trajiciatur in ſtomachum, ùt fatentur communiter DD. ſic etiam, ſi tabacum ſumatur in fumo, non frangitur jejunium naturæ, quia fumus non eſt cibus, nec potus, & trajectio ejus in ſtomachum fit per modum reſpirationis, non per modum comeſtionis. Major difficultas eſt de tabaco ſumpto in folio, & retento in ore; ſed etiam hoc ita ſumptum, quia non retinetur in ore ad comedendum, nec ipſum folium deglutitur, jejunium naturale non violat, quamvis cauſare poſſit trajectionem alicujus humoris ex capite defluentis in ſtomachum, qui non violat jejunium, ſicùt non violat ſaliva. Et quamvis aliquis tabaci ſuccus deglutiretur, quia trajicitur cum ſaliva, & per modum ſalivæ, non ſolvit jejunium naturale, juxta communem Doctorum ſententiam, ùt docet Quarti *ſuprà*. Verùm ſi folium in os admiſſum trajiciatur integrum in ſtomachum, vel aliqua ejus particula ex induſtria, certum eſt, violare jejunium, & impedire Communionem; quod idem dicendum eſt, ſi pulvis tabaci ore ſumeretur, & per actionem vitalem trajiceretur in ſtomachum. Ita docent Alphonſus de Leone, Marchantius, Eſcobar, Averſa, Paſqualigus, & alii, quos affert, & ſequitur noſter Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1. *& part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 3. ubi latè diſcutit hanc quæſtionem.

IV. Gavant. pag. 160. col. 1. §. *Duo tamen, &c.*) Præter caſus adductos à Gavanto ibì, in quibus non jejunus Sacerdos, poteſt Euchariſtiam ſumere, adeſt etiam alius caſus, in quo à quocunque non jejuno Euchariſtia ſumi poteſt, nempe neceſſitas ipſius ſumentis; ùt ſi quis periculosè ægrotet, & ſit mortis periculum, ſi ſequens dies expectetur ad ei præbendam Communionem; ex quo tamen inferri non poteſt, quòd liceat non jejuno Sacerdoti conſicere Euchariſtiam, ad eam infirmo miniſtrandam; quamvis enim receptio viatici ſupponatur de jure divino, nihilominùs ægrotus non tenetur ad illud recipiendum, niſi cùm adeſt copia Euchariſtiæ, non autem quando deficit ex cauſa alterius.

V. Nonnulla alia, quæ ſpectant ad Ritus ſervandos pro tribus Miſſis, quæ juxta Sacros Canones celebrari poſſunt in Nativitate Domini, mox trademus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad *tit.* 3. *part.* 4.

## Tit. X. De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus.

*Caret novis Obſervat. & Additionibus.*

# Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

## Tit. XI. De Rubricis præceptivis & directivis.

I. Gavant. pag. 166. col. 2. §. *Reliquum eſt &c. Omiſſa item diſtinctione in præceptivas ſub mortali, & præceptivas ſub veniali, &c.*) Non ſolùm reperitur Auctor, qui diſtinguit Rubricas, in præceptivas ſub mortali, & præceptivas ſub veniali, ſed etiam legitur ſententia Fagundez, *in præcepta Eccleſiæ, præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 21. *num.* 7, qui ſuſtinet, Rubricas Miſſalis communiter non obligare ſub peccato mortali, immò addit *num.* 9. Rubricas Miſſalis non præcipere, ſed conſulere, & inſtruere; quibus verbis, ùt notat Quarti *in quæſt. proœmial. ſect.* 2. *punct.* 1. jam excludit etiam peccatum veniale in transgreſſionibus Rubricarum, quia conſilia nullam obligationem inducunt.

Sed hæc ſententia, ùt optimè oſtendit idem Quarti, eſt procul dubio falſa, & plusquàm falſa, & contra communem DD. ſententiam-Victorianus verò Premoli *in memor. Cler.* 3. *part. cap.* 9. aſſerit, prædictam opinionem Fagundez ſe refutaſſe, ùt damnatam; ex Bulla enim Pii V. initio Miſſalis appoſita, & ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 7. *Can.* 13. & *ſeſſ.* 22. apertè conſtat, adeſſe præceptum, & non merè conſilium ſervandi Rubricas, & Sacros Ritus ab Eccleſia præſcriptos; hæc ſecunda ſententia ex Diametro oppoſita docet, omnes Rubricas habere vim obligandi ſub peccato mortali ex genere ſuo; ſed ratione parvitatis materiæ poſſe transgreſſionem talium Rubricarum eſſe tantùm peccatum veniale. Ita Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem diſp.* 83. *ſect.* 3. Molfeſius *tract.* 1. *cap.* 7. *num.* 22. Averſa *de Sacrif. quæſt.* 11. *ſect.* 12. Coninch, Puteobonellus *de Sacrif. Miſſ. quæſt.* 5. *art.* 9. *num.* 8. *pag.* 419. *edit. Mediolan.* 1710. *ejusdem Congregationis cum Gavanto*, Lezana, Bonacina, & alii, quorum ſententia, ait Quarti, ſi rectè intelligatur de Ritibus adhibendis in ipſa Miſſæ recitatione, eſt abſolutè vera.

Tertia ſententia media, diſtinguit cum Gavanto hoc locò Rubricas, in præceptivas, & directivas, docetque, Rubricas præceptivas obligare ſub peccato mortali ad ſervandos Ritus in eis præſcriptos. Rubricas verò directivas nullam imponere obligationem, ſed eſſe conſilia, & inſtructiones. Ita Gavantus, Marchinus *de Sacram. Ordinis tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. Tamburinus *in Opuſc. de Sacrif. Miſſæ lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. Premolus *loc. ſupracit. part.* 3. *cap* 1. Auctores, qui adhærent huic ſententiæ, cenſent præceptum contentum in Bulla Pii V. ſervandi Rubricas, non extendi indifferenter ad omnia, quæ in Rubricis continentur, cùm plura ſint minutiſſima, nec materia apta præcepti. Hinc Card. de Lugo *Diſput.* 20. *de Euch. ſect.* 2. *n.* 7. ait, *certum eſt, non omnia, quæ in Rubricis Miſſalis exiguntur, afferre obligationem gravem*: & *ſect.* 4. *n.* 105. docet cum aliis, nonnulla eſſe materiam inſtructionis, & directionis, non verò præcepti, quapropter communiter Rubricæ ſunt præceptivæ, ſed multæ etiam ſunt directivæ.

Noſter tamen Quarti ſuprà *in quæſtionibus proœmialibus ſect.* 2. *punct.* 2. ſuſtinet, omnes Rubricas, ſeu Regulas Miſſalis præſcribentes Ritus ſervandos à Sacerdote in ipſo actu Celebrationis Miſſæ, eſſe præceptivas; & in materia gravi obligare ſub mortali; illumque ratione parvitatis materiæ, vel inadvertentiæ, earum transgreſſionem, eſſe culpam venialem, & hanc aſtruit eſſe mentem DD. qui ſecundam ex allatis ſententiis tuentur, & præter Auctores ibi allegatos, addit etiam Henrich *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 3. Nugnum 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. Reginaldum *lib.* 33. *num.* 210. Peyrinum *in formul.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*mal. lit. M. cap. 1. num. 1.* probatque hanc ſententiam ex eo, quòd præceptum contentum in Bulla Pii V. expreſsè loquitur de Ritibus ſervandis in ipſo actu legendi, vel decantandi Miſſam, abſque ulla exceptione; ergo extenditur ad omnia verba, & actiones, ex quibus Miſſa componitur; unde ſequitur, Sacerdotem ſub peccato mortali ex genere ſuo nihil omittere poſſe eorum, quæ recitanda præſcribuntur in Miſſa; ita ut cujuslibet partis omiſſio ſit peccatum, vel mortale, ſi materia gravis ſit, & notabilis, vel veniale, ſi materia ſit levis, & modica; & ita etiam docet noſter Diana *part. 5. tract. 5. reſol. 63.* ubi alios citat Auctores, quos ipſe ſequitur. Nihil pariter eſt addendum precibus, quæ in Miſſali præſcribuntur, quia etiam id expreſsè cavetur præcepto Pii V. in Bulla ſæpiùs citata. Idem omnino dicendum eſt de Ritibus, & Ceremoniis, quæ in actione conſiſtunt, nempe teneri Sacerdotes ſub peccato mortali ex genere ſuo, nihil eorum omittere, & nihil eis addere ob eandem rationem. Monet autem cit. Quarti, non eſſe hanc obligationem accipiendam in rigore Metaphyſico, cùm ſimus in moralibus, ſed morali, & humano modo, ita ut ſatis ſit, eam diligentiam adhibere, quam timorati Sacerdotes, & ſui muneris ſtudioſi adhibere ſolent.

Idem Quarti tenet, Rubricas continentes ea, quæ recitari, vel fieri debent à Sacerdote, ante Miſſæ celebrationem, vel immediatè poſt Miſſam, eſſe non præceptivas, ſed directivas ſecundùm ſe, & ſub conſilio: quare niſi aliunde conſtet de præcepto, tales Rubricæ non imponunt obligationem, in quo ſenſu fatetur, ſe adhærere tertiæ ſententiæ ſuprà relatæ. Docet prætereà, regulas Miſſalis de Ritibus ſervandis, non ab ipſo Sacerdote, ſed à Miniſtris, & ab aliis circumſtantibus, & Choro aſſiſtentibus, communiter eſſe directivas, quia præceptum ſæpiùs replicatum Pii V. ad illas minimè extenditur, unde non obligant ad culpam, niſi aliunde, vel ex conſuetudine, vel ex vi juris naturalis vitandi ſcandali, ea obligatio naſcatur. Turrinus tamen *part. 1. ſect. 1. cap. 1.* refragatur prædictæ Quarti ſententiæ, quoad hanc ultimam partem, & contendit, prædictum præceptum Pii V. æquè obligare Sacerdotem, & Sacros Miniſtros, cùm & ille, & iſti requirantur ad celebrandam Miſſam juxta præſcriptum prædicti S. Pii V. & aliorum Pontificum, qui Sacras Rubricas condiderunt, & approbarunt.

II. Gavant. pag. 167. col. 1. n. 1. *Quando in Rubricis habetur hæc vox, graviſſimè, &c.)* Quærit Gavantus, quænam ex Rubricis ſint præceptivæ, & quænam directivæ tantùm, & ſtatuit, tunc Rubricas cenſendas eſſe præceptivas, quando habetur hæc vox, *graviſſimè, ſeu graviter peccare eum*, qui tales regulas transgreditur; ſic etiam n. 2. docet, Rubricas eſſe præceptivas, quando earundem materia pertinet ad integritatem Sacramenti, ſeu Sacrificii. Quarti tamen *ſuprà ſect. 2. §. Prima regula*, adſtruit, hanc Gavanti regulam eſſe valdè diminutam, ex eo quòd Rubricæ, quibus præſcribuntur ea, quæ legenda ſunt in Miſſa, ex. gr. Epiſtola, Evangelium, aliæ Orationes, & partes notabiles Canonis, non exprimunt, omittentem peccare mortaliter, nec ſpectant ad integritatem Sacrificii; & ſimiliter Ritus, qui in actione conſiſtunt, ùt oblatio Hoſtiæ, & Calicis poſt Offertorium; & tamen revocari non poteſt in dubium, tales Ritus, alios quidem in verbis, alios verò in actione conſiſtentes, eſſe præceptivos, & eorundem transgreſſores peccare mortaliter; hinc infert, prædictam regulam à Gavanto traditam, eſſe inſufficientem, quam ipſemet Gavantus videtur deſtruere *num. 14. in fine pag.* 169. ubi docet indefinitè, Rubricas eſſe præceptivas, neque oppoſitum eſſe probabile. Quapropter ſententia Suarez, Quarti, Puteobonelli, & aliorum ſuprà, aliis ſententiis eſt præferenda.

III.

III. Præter Rubricas Miſſalis, quæ conſiderantur tanquam regula proxima, & immediata Sacrorum Rituum Miſſæ, tum Privatæ, tum Sollemnis, adſunt etiam S. R. C. Decreta, quæ cenſeri debent pariter tanquam regula proxima eorundem Rituum, quia hæc S. C. facultatem habet interpretandi, & declarandi, quæcunque dubia, quæ inſurgunt circa Ritus Eccleſiaſticos, ùt colligi poteſt ex Conſtitutione 74. Sixti V. quæ incipit: *Immenſa bonitas, &c.* & reverà ad prædictam Congregationem confluunt omnes Eccleſiæ, & Ordines Regularium, ex toto Orbe, pro negotiis Rituum, & ejus reſolutiones, atque Decreta habentur tanquam Pontificis oracula. Oritur autem quæſtio, utrùm prædicta Decreta S. R. C. debeant reputari tanquam regulæ præceptivæ, vel ſolùm tanquam regulæ directivæ; ſed antequàm hoc dubium reſolvatur, prænotare debemus, quòd non omnes memoratæ Sac. Congregationis declarationes ſunt, aut dici debent Decreta rigoroſè ſumpta, etiamſi de illis authenticè conſtet. Hæ igitur reſolutiones dumtaxat Decreta rigoroſa cenſenda ſunt, quæ à dicta Congregatione emanant in forma rigoroſa Decreti, vel ſaltem in fine habent aliquam Decreti clauſulam. Ita Decretum rigoroſum, & præceptivum certè cenſeri debet illud editum die 11. Januarii 1681. in quo ſequentia ad Rubricas Breviarii leguntur -- *Sacra Rituum Congregatio ad Relationem Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalis Columnæ, inſtantibus Ceremoniarum Magiſtris Baſilicæ Principis Apoſtolorum, declaravit, & decrevit, occurrente Feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium, ex hoc contingat transferri, non eſſe ob id protrahendam etiam recitationem Antiph.* Alma Redemptoris, &c. *ſed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illa dimiſſa, juxta diſpoſitionem Rubricæ, & ejusdem laudabilem obſervantiam in Baſilica Vaticana, ſumendam eſſe Antiph.* Ave Regina Cœlorum, &c. *ſublatoque quolibet alio aſſerto difformi quorumcumque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine, ita ab omnibus, qui Breviario Romano utuntur, parformiter ſervari mandavit. Hac die 11. Januarii* 1681.

*Pro Eminentiſſimo Domino Cardinali Fachenetto Præfecto.*

*N. Cardinalis Ludoviſius.*

*Loco* ✠ *ſigilli.*

*Bernardinus Caſalius S. R. C. Secr.*

Rurſus ejusdem generis eſt aliud Decretum editum die 24 Januarii 1682. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, in quo ſequentia verba leguntur -- *Cùm alias Sacrorum Rituum Congregatio decreverit, Officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Feſtorum mobilium; quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum Kalendarii proprii, vel translatis, vel demum ſemel per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis. Et Sacra eadem Congregatio reſpondit, prædicta Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis, ex vi Kalendarii proprii à Sede Apoſtolica approbati, quamvis ſub Ritu ſemiduplici de præcepto celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere. Si autem occurrant eodem die, in quo aliàs aliquod Feſtum translatum poni deberet, tunc, liberum fore declaravit eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulteriùs ad aliam diem non impeditam transferri. Proùt etiam omiſſo Officio, quod ſemel per hebdomadam, aut per menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari poſſe decrevit. Et*

*ita*

*ta ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur, ſervari mandavit. Die* 24. *Januarii* 1682.

*Cæſar Cardinalis Facchinettus.*

*Loco ✠ ſigilli.*

*Bernardinus Caſalius S. R. C. Secr.*

Præfatæ duæ Sac. Congregationis reſolutiones, & aliæ iis ſimiles habent conditiones profectò requiſitas ad rigoroſum Decretum; hujusmodi autem reſolutiones, & declarationes verè obligant in utroque foro, ſi aliàs authenticè de ipſis conſtet, aliasque habeant conditiones requiſitas à Theologis, & Canoniſtis, ad vim obligandi inducendam.

Si verò declarationes S. R. C. ſunt ſolùm reſponſiones, ſeu reſolutiones dubiorum eidem propoſitorum ab aliquo Eccleſiaſtico, vel ab aliquibus Ceremoniarum Magiſtris, ſive ab aliquo Regularium Ordine, vel ab aliquibus Epiſcopis, ùt frequenter contingit, & tales reſponſiones ab ipſa Congregatione emanent, nulla adjecta clauſula rigoroſi Decreti, aliquid prohibentis, vel præcipientis, tunc juxta nonnullorum opinionem prædictæ declarationes cenſentur regulæ tantùm directivæ, non verò præceptivæ Sac. Rituum obſervandorum; reputantur ſiquidem tanquam ſapientiſſimorum virorum reſponſa, quæ oppoſitæ ſententiæ probabilitatem non tollunt.

Verùm quando adſunt hujusmodi reſolutiones, & habentur Auctores contrarium firmantes, in tali conflictu debent præferri Sacræ Congregationis deciſiones aliis quibuscunque Doctoribus contrarium aſſerentibus, ùt pluribus relatis tradit Urſaya hujus almæ Urbis celebris Advocatus, *Diſcept. Eccl. tom.* 1. *part.* 1. *diſcept.* 1. *ſub num.* 7.

Hujus ſecundi generis Decretorum, ſeu Declarationum exempla plurima habemus in noſtro Indice Decretorum, in quibus non continetur clauſula rigoroſa Decreti habentis vim legis præceptivæ, ſed ſolùm continentur ſimplices S. C. reſponſiones, ſeu declarationes ad dubia ſibi propoſita, quæ nihilominùs, ùt dixi, debent debito reſpectu ab omnibus ſervari, ſi de eis authenticè conſtet, & præferri cuicunque contrariæ opinioni, ab aliis DD. aſſertæ. Vel de hujusmodi S. C. Decretis, ſeu declarationibus ſentiendum eſt cum Turrino *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. § *Quæres ſecundò*, inducere eandem obligationem, quam induxit Rubrica, vel materia, cujus eſt Decretum, vel interpretatio, & ratio eſt, ùt dicit ipſe, tum quia ſunt acceſſoria illi Rubricæ, & habent eandem naturam; tum quia, qui declarat, nihil novi inducere dicitur, *l. hæredes palam*, *ff. ſi quis poſt teſtam.* Ergo habent eandem vim obligandi (infert Turrinus) niſi nova obligatio addatur. Idem Turrinus §. *Quæres primò*, quæſtionem movet, utrùm interpretationes, & declarationes Sac. Congregationis ſequi debeant Viri Eccleſiaſtici, nòn tantùm in eo peculiari caſu, pro quo feruntur, verùm etiam in aliis ſimilibus? & reſolvit affirmativè, quia prædictæ reſponſiones maximam habent auctoritatem, & in omnibus ſimilibus caſibus vim habent interpretationis generalis, ibique præbet exemplum, v. g. S. C. declaravit, ſignum, quod fit cum Patena poſt Orationem Dominicam, debere eſſe ſignum Crucis, ùt habetur in Decreto dato in noſtro Indice ſub *num.* 205. Ex hac declaratione, ait Turrinus, inferri poteſt, quòd quotieſcunque Rubrica dixerit, *ſignat*, vel *ſignat ſe*, ſemper de ſigno Crucis, talem Rubricam intelligendam eſſe, quod eſt in multis locis, v. g. poſt oblationem Calicis, quando Sacerdos dicit: *Veni Sanctificator, &c.* ait Rubrica: *ſignat manu dextera*; idem legitur initio Canonis, & Conſecratione Calicis, ubi Rubrica dicit: *dextera ſignat ſuper eum, &c.*

Cæterùm quando hujusmodi declarationes referuntur ab aliquo Auctore, non cenſentur ſufficienter propoſitæ, neque habentur pro canonicè publicatis, ſed tunc ſemiplenam tantùm habent fidem, nec major eis adhibenda fides eſt, quàm illis Doctoribus, qui eas referunt, ùt de iis, quæ à Gratiano referuntur in ſuo Decreto, docet Bonacina *de legibus diſput.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 3. *in fine.* Igitur ut præfatæ declarationes, & reſolutiones S. R. C. obligandi vim habeant, & plenam fidem mereantur, & contrariæ opinionis probabilitatem deſtruant, debent eſſe ſufficienter propoſitæ, & publicatæ, quia ſicuti lex nullam vim habet, niſi publicetur, ùt eſt communis omnium DD. ſententia, ita etiam legis interpretatio, cùm ſit ejusdem naturæ cum lege, nullam habet vim obligandi, tanquam legis deciſiva declaratio, niſi ſit ſufficienter propoſita, & publicata.

IV. Gavant. pag. 167. col. 2. num. 4. *Rubricas aliquas eſſe ſtrictioris juris in Miſſis Conventualibus, &c.)* Docet Gavantus, Rubricas præſcribentes Miſſas Conventuales in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, eſſe ſtrictioris juris, adeoque præceptivas, & quidem ſub gravi, & *num.* 7. *pag.* 168 confirmat hanc ſententiam, quia addit in Feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, &c. etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, &c. duas eſſe cantandas Miſſas in Collegiatis, & Cathedralibus, unam de Feſto poſt Tertiam, alteram de Feria poſt Nonam; quando igitur omittitur Miſſa Conventualis in prædictis Eccleſiis, & rurſus quando omittitur Miſſa Vigiliæ, vel Feriæ in illis diebus, in quibus cantanda præſcribitur poſt Miſſam Conventualem alicujus Feſti occurrentis, omnes illi peccant, qui ſunt in cauſa, ut non celebrentur tales Miſſæ, quia quando omiſſio eſt peccaminoſa, qui eſt cauſa omiſſionis, eſt cauſa peccati, ùt pluribus relatis tenet, & probat Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis tom.* 2. *quæſt.* 894. *ſub num.* 3. *&* 4. *ac quæſt.* 898. *ſub num.* 1. *& ſeqq.* Solùm Miſſa Sollemnis de die omitti poteſt in caſu, de quo Ceremoniale Epiſc. loquitur *lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 31. ubi habetur, quòd ſi Epiſcopus voluerit ex ſua particulari devotione in Feſto SS. Corporis Chriſti celebrare, & SS. Sacramentum pro Proceſſione facienda conficere, poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die Miſſa Sollemni, &c. propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem.

Quoniam verò cum Gavanto ſermonem habemus hìc de Miſſis Conventualibus, congruum, & valdè perutile nobis videtur, exhibere hoc loco omnia Decreta à S. R. C. edita, quæ pertinent ad præfatas Miſſas Conventuales.

1. Si Proceſſio Litaniarum majorum terminetur ad Eccleſiam S. Marci, cantetur ibi Miſſa de S. Marco, non verò de Rogationibus. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Hiſpalen.* & in noſtro Indice datur ſub *num.* 18.

2 Si Eccleſiæ Dedicatio occurrat in Feſto Nativitatis B. M. V. fiat de ea (nempe de Dedicatione) Miſſæ duæ cantentur, & infra Octavam fiat de digniori. S. R. C. 16. Octobris 1604.

Hoc Decretum refertur à Gavanto in Theſauro Sacrorum Rituum *tom.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 5. *ſub num.* 4. & refertur pariter à nobis in Indice Decretorum ſpectantium ad Breviarii Rubricas, in calce ejuſdem *tomi* 2. collecto. Refert etiam Fajoli hoc Decretum in ſuo Kalendario perpetuo rationali, in Adnotationibus ad Menſem Septembris *lit. D. ſub num.* 1. *pag.* 247.

In prædicto caſu Decreti allegati patet ratio, ob quam Feſtum Dedicationis præferri debet Feſto Nativitatis B. M. V. nam Feſta, quæ ſunt claſſis ſuperioris, ſicùt eſt Dedicatio Eccleſiæ, quæ eſt primæ claſſis, præferri debent ſemper aliis, quæ ſunt inferioris, ſicùt eſt Nativitatis B. M. V. quæ celebratur ſub Ritu ſecundæ claſſis; in pari autem claſ-

ſe

ſe pro Feſti prælatione attenditur dignitas perſonæ, cujus Feſtum celebratur, de qua re fuſiùs diſcurremus in Obſerv. & Addit. noſtris ad Rubricas Breviarii Romani. Quòd autem in prædicto eventu occurrentiæ Dedicationis Eccleſiæ cum Feſto Nativitatis B. M. V. cantari debeant duæ Miſſæ, hoc ſtatutum conſonat Rubricæ generali VI. de Tranſlat. Feſt. in qua habetur, quòd in Eccleſiis, ubi titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto, &c.

3. Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, ac Dominica, ac die Octava. S. R. C. 15. Martii 1608. *In Alexandrina*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 80.

4. Miſſa Conventualis de Feſto, ſeu de Feria occurrenti, omnino cantanda eſt, non obſtante quacunque contraria conſuetudine. S. R. C. 28. Januarii 1612. *In Oſcen.* & in noſtro Indice ſub *n.* 120.

5. Miſſa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, qui debet tantùm curam Animarum Parochianorum habere. S. R. C. 7. Julii 1612. *In Ulyſſiponen.* & in noſtro Indice ſub *n.* 127.

6. Miſſæ Votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiam ſi cantetur Miſſa Votiva. S. R. C. 2. Maji 1626. *In Burgen.* & in noſtro Indice ſub *n.* 198.

7. Non poteſt omitti altera ex duabus Miſſis cantandis de Feſto, & de Feria; S. R. C. 16. Maji 1626. & 28. Auguſti 1628. *In Burgen. & Tarantina*, & in noſtro Indice ſub *n.* 199.

8. Miſſa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegiatis, omnino eſt dicenda ultra Miſſam Feſti, & abuſus ſunt reformandi. S. R. C. 16. Januarii 1627. *In Januen.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 203.

9. Ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium. S. R. C. 26. Januarii 1627. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 204.

Hoc Decretum refertur etiam à Gavanto *part.* 1. *tit.* 4. *ſub num.* 3. *lit.* p. & iterum in Manuali Epiſcoporum v. Miſſa Conventualis ſub *n.* 5. Item à Paſqualigo de Sacrif. novæ legis *tom.* 2. *quæſt.* 892. *ſub n.* 1. & Clericato de Sacrif. Miſſæ ſub *n.* 16.

Advertendum tamen eſt, quòd hoc Decretum intelligendum eſt, ſalva ſemper Rubrica de Votivis aſſignatis ſingulis diebus in fine Miſſalis, de quibus nos quoque ſermonem habuimus præfata *part.* 1. *tit.* 4. in noſtris Obſervat. & Additionibus *ibidem*.

10. Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos, ut à Cappellanis in Quadrageſima, cantare faciant Miſſam cum Diacono, & Subdiacono. S. R. C. 17. Julii 1627. *In Nicen.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 212.

11. Conſuetudo contraria induci non poteſt, non cantandi Miſſam Conventualem de die. S. R. C. 16. Januarii 1628. & in noſtro Indice datur ſub *n.* 204.

12. Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro Anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die verò Depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defunctis, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *In Januen.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 233.

13. Miſſæ duæ non debent cantari eadem die ejusdem Sancti in Eccleſia, in qua celebratur Feſtivitas dicti Sancti. S. R. C. 3. Auguſti 1652. *In Mediolanen.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 307.

Crederem tamen, quòd in aliquo caſu poſſit cantari duplex Miſſa ejusdem Sancti, ſeu Sollemnitatis, præſertim quando celebrantur exequiæ alicujus Defuncti, cujus cadaver eſt præſens in Eccleſia eo die, quo non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, etiamſi cadaver ſit præſens, in tali, inquam,

caſu crederem, poſſe celebrari, ſeu cantari duplicem Miſſam ſollemnem ejus Feſtivitatis, primam ſolitam Conventualem, quæ applicatur pro Benefactoribus, ſecundam verò pro Defuncto, de quo fiunt exequiæ præſente ejus cadavere.

14. Qui habent privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, in diebus infra Octavam occurrentibus, debent dicere Miſſam Conventualem de Feria currenti, cum commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. Ita S.R.C. 24. Januarii 1682. ad tertium dubium, & datur in noſtro Indice ſub *n* 460.

Hoc Decretum eſt omnino conforme iis, quæ præſcribit generalis Rubrica III. Miſſalis *de Feria, & Vigil an.* 2. ubi nonnulla etiam nos addidimus, & obſervavimus, ſpectantia ad hoc Decretum, unde ne eadem hìc repetantur, iterum legi poſſunt, quæ ibi tradita ſunt de Miſſis dicendis, & cantandis, in Vigiliis infra aliquam Octavam occurrentibus.

Adverte tamen, quòd in die Octava Miſſa principali non eſt de Feria; nam Rubrica Miſſalis loquitur de diebus infra Octavam, non verò de die Octavæ, in qua in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, & Regularibus, ubi adeſt conſuetudo, cantari debent duæ Miſſæ Conventuales, prima de Octava poſt Tertiam, & ſecunda de Feria illa Quadrageſimali poſt Nonam, in qua ſecunda Miſſa nulla fit commemoratio Octavæ, ſicuti in prima non fit commemoratio Feriæ, & in hac ſecunda Miſſa Præfatio debet eſſe de Quadrageſima, etiam ſi Octava haberet propriam, juxta ea, quæ diximus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad *Tit. XII. primæ Partis*, & ſic etiam docet Guyetus *in Heortologia libr.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 1. At in illa Miſſa Conventuali Feriæ, quæ deberet dici in diebus infra Octavam, cùm in hac debeat fieri commemoratio Octavæ (quia nulla debet cantari Miſſa Conventualis de Octava) ſi talis Octava præfationem haberet propriam, hæc deberet dici, non verò Præfatio de tempore, inhærendo iis, quæ à nobis tradita ſunt dicto *Tit. XII. primæ partis*; nimirum ob eandem rationem, ob quam die 14. Decembris, ſi in ea occurrat Feria Temporum, debet cantari unica Miſſa Conventualis de tali Feria, ſed cum commemoratione Octavæ Conceptionis, ejuſdemque Præfatione. Jo. Baptiſta Pittonus contrariam tenet ſententiam *in ſua collectione Deciſionum ad Sacros Ritus ſpectantium pag.* 302. & citat pro ſe Guyetum, ſed Auctor iſte non loquitur, niſi de Miſſa illa Conventuali Feriæ, in qua nulla fit commemoratio Octavæ, & quæ dicitur poſt aliam Conventualem prædictæ Octavæ, non verò de illa Miſſa Conventuali Feriæ, quæ ſola cantatur, & in qua fit commemoratio Octavæ, cùm dicatur non in die Octavæ, ſed in una ex diebus infra Octavam, de qua Miſſa nunc loquimur, adeoque bene ponderari debet diſcrimen, quod intervenit inter hanc Miſſam, & aliam ſecundam Conventualem Feriæ, quæ cantatur in die alicujus Octavæ.

15. Sacerdos, qui celebrat Miſſam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare ſymbolum, non poteſt illam proſequi, eo tempore, quo à choro cantatur ſymbolum prædictum. S.R.C. 17. Decembris 1695. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 510.

16. In Eccleſia Cathedrali, quæ habet privilegium recitandi Officium S. Crucis qualibet Feria VI. non impedita, non poteſt cantari unica Miſſa Feriæ cum commemoratione Sanctæ Crucis, quando in dicta Feria VI. occurrit Feria, quæ habet Miſſam propriam. S. R. C. 5. Julii 1698. *In Collect. ad vigeſimum primum dubium*, & in noſtro Indice ſub *n.* 533.

17. In Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de duplici primæ claſſis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C.

5. Ja-

5. Julii 1698. *In Collen. ad 14. dubium*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 528.

Hæc reſolutio non ſupponit recitationem Officii duplicis primæ claſſis in Dominica prima utriusque temporis, neque in Dominica Paſſionis, neque in Dominica Palmarum, quæ cùm ſint pariter primæ claſſis, excludunt alium duplex primæ claſſis. Eſt igitur intelligenda reſolutio præfata de aliis Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus poteſt fieri Officium duplex primæ claſſis, in quo caſu eſſet cantanda unica Miſſa Conventualis de Feſto, non verò alia de Dominica, quia Dominica non reputatur Feria, cùm in ea recitetur Officium novem Lectionum. Si enim reputaretur Feria, tunc eſſent cantandæ duæ Miſſæ in Cathedralibus, & Collegiatis, ùt fit in omnibus Feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, nempe prima de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam, ut tradit etiam Gavantus *tit. 7. primæ Partis num. 2.* & in comprobationem ſui aſſerti, quod Dominica non venit nomine Feriæ, adducit Decretum S. R. C. datum in Indice *Tom. II.* hujus theſauri, in quo agitur de Rubricis Breviarii.

Rurſus in ſequelam hujus reſolutionis optimè advertunt Monachi Caſſinenſes in ſuo Kalendario Anni 1734. die 21. Martii, in qua occurrit Dominica ſecunda Quadrageſimæ cum Feſto S. Benedicti Monachorum Occidentalium Patriarchæ, quod ipſi celebrant ſub Ritu duplici primæ claſſis cum Octava, ex privilegio Clementis Papæ X. optimè, inquam, advertunt, quòd in prædicta Dominica non debet ab ipſis cantari, niſi unica Miſſa de Feſto, non verò etiam alia de dicta Dominica. Quare autem omitti debeat Miſſa Conventualis de Dominica in tali caſu, & non eſſet omittenda Miſſa de Feria, quando Dominica eſt nobilior; optimam aſſignat rationem Gavantus in ſuo Commentario ad ſupradictam Rubricam generalem *Tit. VII. primæ Partis*, & ex eo Biſſus *lit. F. n. 18. §. 8.*

18. Si in Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſimplex in Cathedralibus, & Collegiatis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 521.

19. In Miſſa Conventuali dierum ſollemnium, quæ absque cantu, & miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 556.

20. Miſſa, quæ à quibusdam Regularibus poſt horas Canonicas dicitur ſine cantu, poteſt dici Conventualis. S. R. C. 14. Februarii 1705. & in noſtro Indice datur ſub *n.* 592.

21. In Miſſa Conventuali, quæ non cantatur ſollemniter in Feſtis ſecundæ claſſis, debet fieri commemoratio de Feſto ſimplici, quando de eo in Officio facta eſt commemoratio ad Laudes; aliter tamen dicendum eſt, ſi talis Miſſa reputetur tanquam Sollemnis. S. R. C. 14. Febr. 1705. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 592.

Apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part. 2. lib. 3. in Animadverſ. ad tit. 4. ſub n. 14. pag. 34.* juxta impreſſionem Lucanam de Anno 1723. legitur ſequens Decretum, quod tamen in Regeſtis S. Congregationis reperiri non potuit, ſaltem ſub iis terminis; verùm ex his, quæ affert Scarfantonus ibidem, videtur de hoc Decreto non eſſe dubitandum.

22. Miſſa Conventualis cantanda eſt poſt Tertiam, non autem abſolutis omnibus Horis Canonicis, non obſtante contraria conſuetudine. Ita reſolvit S. R. C. 18. Junii 1589. *In Chatacen.*

Cùm talis reſolutio ſit conſona ſacris Rubricis, & conſuetudini omnium Eccleſiarum, eſt profectò ſervanda, etiamſi de ipſa authenticè non conſtet, utrùm verè à S. R. C. edita fuerit.

Veriſſimum eſt, quòd Miſſa Conventualis, & ſollemnis, in Feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta à Choro hora Tertia, celebratur. In Feſtis verò ſimplicibus, & Feriis per Annum, dicta Hora Sexta; ſed in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temp. etiam infra Octavam Pentecoſtes, & Vigiliis, quæ jejunantur, quamvis ſit dies ſollemnis, Miſſa de tempore debet cantari poſt Nonam.

In Miſſis Feriarum Quadrageſimæ, Quatuor Temp. Rogat. & Vigil. etiamſi dupl. & ſemidupl. Feſtum, vel Octava occurrat in Eccleſ. Cathed. & Colleg. cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam; ſed in Feriis Rogat. & in Vigil. in quibus habentur Miſſæ propriæ, cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto, alia de Feria Rogat. & Vigil. absque ullà utrorum commemoratione; in Miſſa enim de Feſto omittitur commemoratio illius Feriæ, ſeu Vigiliæ, & è contrà in Miſſa Conventuali Vigiliæ nulla fit Feſti currentis commemoratio. In Feſtis tamen majoribus primæ claſſis nihil fit de Vigilia occurrente, ùt videre eſt in Rubr. general. 3. de Feria, & Vigilia, apud Gavantum.

In Manuali Epiſcoporum Gavanti, in Additionibus v. *Miſſa Conventualis*, ſubnectuntur etiam ſequentia Decreta.

23. Planetis plicatis in Miſſa uti poſſunt Regulares in Eccleſiis propriis inſignioribus. S.C. *apud Alcozer in ſuo Ceremoniali.*

24. Si ob Terræ frigiditatem Populus veniat tardè pro ſollemni Miſſa, tardiùs etiam recitetur Hora Tertia, potiùs quàm decantetur poſt Tertiam. *Eadem apud eundem, ibidem.*

25. Celebrans, & Miniſtri ſedere poſſunt, dùm cantatur Epiſtola, & Graduale. *Eadem apud eundem, ibidem.*

Verùm, cùm de his tribus Decretis non conſtet, utrùm verè ſint edita à S. R. C. idcirco non merentur niſi eam fidem, quæ adhiberi poteſt Auctoribus, qui ea referunt.

26. Conſtat quidem ex Decreto authentico, emanato 31. Julii 1665. quòd tam Celebrans, quàm Aſſiſtentes, in Veſperis & Miſſa ſedere debent in ſcamno, & non in ſede coriacea. Quod Decretum exhibetur in noſtro Indice ſub *n.* 428.

Alia ex dicto Manuali Epiſcoporum ibidem referuntur Decreta ſub Titulo Miſſæ Conventualis, quæ tamen ſpectant ad Ritus cujuscunque Miſſæ Sollemnis, præſertim verò ad thurificationem, quæ Decreta nos jam collegimus, & dedimus ſuo loco, in quo de talibus Ritibus ſermonem habuimus, & ideò hìc ea prætermittimus.

Alia Decreta pertinentia ad Miſſam Conventualem lubet hìc tradere, quæ ab aliis Congregationibus, nempe Epiſcoporum, vel Concilii Tridentini edita fuerunt, quia juvare poſſunt ad varia dubia reſolvenda circa prædictas Miſſas Conventuales.

27. Miſſa Conventualis in Feſtis dicenda eſt tempore æſtivo hora decima quarta, tempore verò hyemali hora decima ſeptima, Ita reſolvit S. Cong. Epiſcop. die 27. Julii 1602. *in Caſtellaneta* 75. §. 11.

28. In Feriis autem poteſt dici paulò citiùs, modò non valdè diluculò; eadem Sac. Cong. 20. Februarii 1701. *Aliff.* 86. §. 2. & *Caſtellaneta* 17. *Septembris Anno* 1702.

29. Conventualis Miſſa cantari debet quotidie in Collegiatis, quarum Clerus eſt numeroſus, & redditus non tenues. Ita Cong. Epiſcoporum die 14. Januarii 1603.

Hæc tria Decreta leguntur apud Nicolium v. Miſſa ſub *n.* 6. & eadem refert pariter Clericat. de Sarif. Miſſæ initio operis, Venetiis editi Anno 1727.

30. Canonici Cathedralium, & Collegiatarum, accipiunt fructus ſuorum Canonicatuum ſub onere inſerviendi Eccleſiæ in celebratione Divinorum Officiorum; quæ celebra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bratio non importat ſolùm horas canonicas, ſed etiam Miſſam Conventualem, tanquam præcipuam partem, & proinde ad applicationem ejusdem Miſſæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum diſpoſitionibus diſtributiones, & emolumenta percipiunt. Ita reſolvit S. Cong. Concilii ſub die 17. Martii 1714. *In Squillacen.* & etiam ſub die 9. Junii ejusdem Anni 1714.

Hæc Decreta reperiuntur apud Urſayam *Diſcept. Eccl. tom. 2. part. 1. diſcept. 32.*

Verùm Pignatellus *Conſul.* 91. *tom.* 4. propoſito ſibi dubio, utrùm in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, in quibus paucus eſt numerus Canonicorum, & Presbyterorum, tolerari poſſit conſuetudo cantandi Miſſam Conventualem Feſtis diebus dumtaxat? Reſolvit, ſeu meliùs cenſet, eſſe tolerandam talem conſuetudinem, ea ratione motus, quia ad inducendam obligationem Miſſæ Conventualis, non ſufficit, quòd Eccleſia ſit Cathedralis, vel Collegiata, ſed inſuper requiritur, quòd habeat ſufficientem numerum miniſtrorum. Conſentit etiam huic opinioni Scarfantonus ad Ceccoperium *part. 2. lib. 3. tit. 4. in Animadverſ. num. 5.* & uterque convenit etiam pro eadem Miſſa Conventuali canenda, quòd requirantur ſaltem undecim Perſonæ, nimirum Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus, duo Ceroferarii, Thuriferarius, & Acolythus, & pro Choro ſaltem quatuor, quia Miſſa debet eſſe cum cantu. Advertit tamen Pignatellus, quòd unus, & idem Clericus poſſet obire munus Thuriferarii, & Acolythi. Et ego etiam adderem, quòd in defectu antedicti numeri poſſet cani Miſſa, ſed ſine Miniſtris ſacris, & ſine Ceroferariis, prout talis conſuetudo introducta eſt in multis Eccleſiis, etiam Cathedralibus, canendi eo modo in diebus ferialibus Miſſam ſemiſollemnem, ſeu mediam, ùt vocant, inter ſollemnem, & planam, de cujus Ritibus, nos fuſè locuti ſumus in Obſerv. & Addit. ad Titulos ſecundæ Partis.

Rurſus prædicti Auctores adſtruunt, quòd etiam ratione exiguitatis reddituum permitti poteſt, quòd Miſſa Conventualis cantetur tantummodò diebus Feſtis, ùt recedendo à deciſis die 22. Maji 1706. reſolvit S. R. C. *in Camerinen.* ùt videbimus etiam infrà *tit. ſeq.*

V. Gavant. pag. 167. col. 2. eodem n. 4. *Nam Collegiatæ Regulares, &c.*) Cùm in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis certum ſit, debere quotidie cantari Miſſam Conventualem, ùt colligitur *ex cap. cùm creatura, de Celebrat. Miſſarum*, & ex aliis ſuperiùs à nobis dictis, nunc in dubium vertitur, utrùm etiam Regularium Eccleſiæ cenſeri debeant Eccleſiæ Collegiatæ, in quibus, occurrente Vigilia cum Feſto duplici, vel ſemiduplici, celebrari, & cantari debeant duæ Miſſæ.

Gavantus hoc loco tenet, quòd Eccleſiæ Regularium minùs propriè Collegiatæ dicantur; ita etiam opinantur nonnulli, quos ſuppreſſo nomine allegat Solarius *in Cerem. PP. Minorum part. 1. Proœmiali num.* 10. cum quibus ipſe quoque ſentit, Eccleſias Regularium non eſſe Collegiatas; ex quo ſequitur, non teneri ad multa, ad quæ ex Rubricis, & Decretis S. C. tenentur Collegiatæ Canonici, qui habent ſtipendia pro Divinis Officiis celebrandis.

E contrà verò Scarfantonus ad Ceccoperium *lib. 1. tit. 5. in Animad. num.* 11. aſſeverat, omnem Eccleſiam Regularem de jure dici poſſe Collegiatam. Hinc ſuſtinent nonnulli, nimirum Donatus *in ſua Praxi reſolut. rerum Regularium tom. 3. tract. 7. quæſt.* 102. Nec non Rotarius *in ſua Theologia Regularium tom. 3. libr. 1. cap. 2. num. 4.* & alii apud eosdem, ſuſtinent, inquam, Prælatos Regulares ſingulis diebus in ſuis Eccleſiis curare debere, ut Miſſa Conventualis celebretur, dummodò adſit ſufficiens numerus Religioſorum. Sed cùm tres ſaltem requirantur ad faciendum Collegium, ubi ſit minor

Sacer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacerdotum numerus, etiam juxta eosdem non urget hoc præceptum.

Oppoſitam verò omnino ſententiam tuetur Diana 3. *part.* 2. *tract. de dubiis Regul. reſolut.* 8. ea ratione ductus, quia ùt plurimùm conſtitutiones Regularium non obligant ſub mortali, neque ergo hæc conſuetudo cantandi Miſſam Conventualem, quæ acceſſoria eſt conſtitutionibus aliquorum Regularium; minùs etiam de hac obligatione, cantandi, ſeu celebrandi Miſſam Conventualem, ſentiunt alii cit. à Rotario *ſuprà*, ultra quos addi poteſt Caſtaldus, qui *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3. *num.* 20. aſſerit, quòd utique Eccleſiæ Regularium cenſendæ ſunt Collegiatæ, quia ſatis ſe explicat Rubrica, appellando Collegiatas illas Eccleſias, in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant. Verùm, ait ipſe, quæ dicuntur à Rubrica de hora, & cantu Miſſæ Conventualis, relatè ad Eccleſias Regulares, ſtandum eſſe conſuetudini, ac poſſibilitati locorum, & ideò occurrente Vigilia cum Feſto, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ait ipſe, neque duæ cantari debent; & ubi diebus Feſtis Miſſa de Sancto cantari conſuevit, non neceſſariò altera de Vigilia cantabitur, ſed ſi dicatur privatè, ſatisfit Rubricæ.

Ubi tamen utraque cantari commodè poterit, prout in Cathedralibus, ac majoribus Eccleſiis conſuevit, laudabiliter in ſuo rigore ſervabitur Rubrica, & quoad horam, & quoad locum; de Sancto quidem poſt Tertiam, de Vigilia verò poſt Nonam, & quidem in Altari majori, ubi regulariter celebrari debent Miſſæ Conventuales. Quòd ſi opportunitas temporis, ac loci commoditas aliquando aliud fortè requirat, non improbatur (quod etiam in Urbe obſervarunt Sacrorum Rituum Periti) ſi in aliquo Sacello privatè Miſſa de Vigilia, ſeu Feria celebretur, nullo tamen modo omittatur. Hæc ex Caſtaldo *ſup.*

Quoad applicationem verò prædictæ Miſſæ Conventualis relatè ad Regulares, optimè advertit Rotarius *ſuprà*, quòd licèt Bonacina, & Fraxinellus cit. à Pellizzario *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 45. ſuſtineant, Miſſam Conventualem celebrari debere, & applicari pro Benefactoribus; nihilominus ubi non eſt talis conſuetudo, neque aliunde contracta ſit hæc oneroſa obligatio, ſecundùm ſe Regulares Miſſam Conventualem liberè applicare poſſe, & ita tenet ibidem Pellizzarius ex Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 51. Peyrino, Corduba, Trimarchio, Nigro, Leone ab eodem cit. Et revera, ait Rotarius, rigoroſa obligatio quotidiana, & perpetua, non ſine gravi fundamento admitti debet; atqui neque ex ulla lege divina, aut humana expreſsè hæc obligatio habetur, neque ex alia implicita conventione cum Benefactoribus, qui ſi Manuales eleemoſynas panis, vini, &c. faciunt Religioſis, cenſentur eas liberè facere; & quando pinguem aliquam, & extraordinariam eleemoſynam elargiuntur, explicare ſolent onus, quod intendunt imponere; ubi ergo nullum fuerit onus expreſſum, cenſentur liberè elargiri eleemoſynas pro ſolo merito acquirendo, & pro participatione communium precum, quæ à Religioſis pro Benefactoribus fiunt, nec ulteriùs exigunt ſatisfieri per applicationem Miſſarum.

Alia doctrina, & alia Decreta, ſpectantia ad obligationem applicandi dictam Miſſam Conventualem, relatè ad Canonicos Seculares, tradentur in noſtris Obſerv. & Additionibus in Titulo ſequenti.

VI. Gavant. pag. 167. col. 2. eodem n. 4. *Sicùt etiam ad Officium Divinum extra Chorum, &c.*) Adſtruit noſter Auctor *ſup.* Regulares obligari tantùm ex conſuetudine ad recitandum Officium Divinum extra chorum; ſed advertendum eſt, quòd ſi loquatur Gavan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vinctus de Regularibus Sacris Ordinibus non initiatis, ſed profeſſione ad chorum deputatis, dubium eſt, quo jure obligentur extra chorum ad recitandum Divinum Officium, laborant enim in hoc DD. quia difficile eſt radicem hujus obligationis invenire; quia, ut per ſe patet, non tenentur ratione ipſius Religionis in genere, ùt benè probat Bonartius *de Horis Canonicis libr. 2. cap. 3.* neque ratione profeſſionis, aut votorum, quia in votis ſubſtantialibus hoc debitum perſolvendi horas canonicas non exprimitur. Rurſus non tenentur prædicti Religioſi ad horarias preces aliquo jure Pontificio, quia nullus pro hac obligatione Canon proferatur; quapropter dicendum eſt cum communiori ſententia Doctorum, eos teneri conſuetudine vim Legis habente ad recitandis horas canonicas extra chorum; ita expreſsè Sotus *lib. 10. de juſtitia quæſt. 5. art. 3.* Licèt autem de ea conſuetudine dubitet Cajetanus, & Fumus, qui ei adhæſit *v. Hora n. 4.* Videtur tamen poſteà Cajetanus eam agnoſcere, dum ait, de profeſſis Clericis ſtandum eſſe conſuetudini. Hanc ſententiam tenet etiam Bonartius *ſuprà n. 4.* Certius tamen eſt, & commune apud omnes DD. Clericos omnes, ſive Regulares, ſive etiam Seculares ſacris Ordinibus initiatos, Presbyteros nempe, Diaconos, & Hypodiaconos, ſtrictè teneri hac Lege recitandi Divinum Officium, & solùm ſupereſt dubium, an obligentur Lege humana ſcripta, an ſolùm conſuetudine vim Legis habente? Bonartius *cit. lib. 1. cap. 2.* ſuſtinet, Diaconum, & Hypodiaconum nullo jure ſcripto, ſed ſolùm conſuetudine vim præcepti habente teneri ad recitandum horas canonicas, & idem cenſet etiam, aliquibus contradicentibus, de Presbytero nullum habente beneficium, videlicèt etiam illum obligari ad penſum horarum canonicarum perſolvendum conſuetudine moribus recepta, & vim Legis habente, nullo autem jure ſcripto, quia nuſquam extat. Licèt in quibuſdam Canonibus obligatio ipſius, undecunque proveniat, ſupponatur.

VII. Gavant. pag. 167. col. 1. num. 5. *Ejuſmodi ſunt de Matutino, & Laudibus ante Miſſam, &c.* ) Inter Rubricas prope præceptivas, Gavantus recenſet illam, quæ præſcribit in Sacerdote recitationem Matutini, & Laudum ante Miſſam. De hac eadem obligatione fusè locutus eſt præfatus Gavantus in ſuo Commentario ad *Tit. 1. ſecundæ Partis*, ubi adhæret ſententiæ rigoroſæ de prædicta recitatione Matutini, & Laudum ante Miſſam. Verùm, ùt optimè ponderat Pius Caſſetta, ejusdem Congregationis cum Gavanto, *in ſuo Speculo Eccleſiaſt. 1. part. diſt. 3.* §. 10, ne ſit æquivocatio in verbis hujus quæſtionis, debent ſecerni certa ab incertis. Apud omnes igitur certum eſt, eſſe gravem obligationem, facere ſacrum ſollemne poſt Matutinas preces in choro decantatas; immò juxta aliquos etiam poſt Tertiam, quia hæc eſt inveterata conſuetudo omnium Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Sed redeundo ad Miſſam Privatam, pro certo habetur communiter inter DD. quòd, urgente aliqua legitima cauſa, licitum eſt celebrare ante Matutinum v. g. Si in Eccleſiam ingrederetur Princeps, Prælatus, &c. cauſa audiendi Sacrum; vel ſi Celebrans valdè manè aggreſſurus eſſet iter, vel habiturus aliquam concionem, tunc citra ullam noxam, etiam venialem, poſſet Sacrum peragere ante recitationem Matutini.

Denique conveniunt DD. communiter in hoc, quòd nulla interveniente rationabili cauſa, eſt ſaltem culpa venialis celebrare ante Matutinum. Utrùm autem Matutinum ſit recitandum à Celebrante ante Sacrum ſub mortali, hoc verè eſt in quæſtione, & deciſioni affirmativæ adhæret, ùt dixi, Gavantus in ſuis ſupradictis Commentariis ad *Tit. 1. ſecundæ Partis.* In hoc verò



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

loco talem Rubricam, præſcribentem recitationem Matutini ante Miſſam, non vocat abſolutè præceptivam, ſed prope præceptivam; unde videtur temperare ſuam primam ſententiam; utraq; opinio DD. quos affert Gavantus, ubi ſequitur rigoroſam ſententiam propter eorundem auctoritatem, eſt verè probabilis; affirmativa tamen eſt nimis rigida; negativa autem mitior, & magis recepta; ſed ſententia media, quæ aſſerit, eſſe tantùm culpam venialem, non recitato Matutino nulla urgente cauſa Sacrificium peragere, eſt probabilior, & communior, ùt mox innui, & huic libenter adhæreo. Hanc etiam tenet Scarfantonus ad Ceccoperium *part.* 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 25. ubi affert Auctores.

VIII. In recentiori Gavanti editione, in fine numeri 11. hujus Tituli, ſequens legitur Additamentum: *Si eſt conſuetudo immemorabilis, ſufficit loco Miſſæ conventualis Miſſa lecta de die celebrata in aurora, & votiva cantata poſt Nonam, exceptis diebus, quibus ex Rubr.* 3. *Miſſalis ſunt omnino cantandæ duæ Miſſæ conventuales, de feſto, & de feria,* Cong. Rit. 13. Mart. 1602. 28 Jan. 1612. Urb. 4. Jul. 1615. *item, quando cantatur Miſſa pro Defunctis; ſed tandem eadem S. Congr. abrogavit omnem conſuetudinem non cantandi Miſſam de die ultra votivam,* 18. Jul. & 28. Aug. 1628. Hæc verba non reperiuntur, neque in prima, neque in ſecunda editione theſauri à Gavanto editi, quamvis in ſecunda editione ultra trecentas notas ipſemet addiderit. Me igitur latet, à quo prædicta verba inſerta fuerint. Adverto etiam, quòd primum ex allatis ibi Decretis, nempe *ſi eſt conſuetudo immemorabilis, &c.* in Regeſtis Sac. Congregationis profectò non reperitur. Neque pariter reperitur aliud illud Decretum, quod refertur ſub data 28. *Auguſti* 1628. nempe *S. C. abrogavit omnem conſuetudinem, &c.* ſed reperitur tale Decretum ſaltem verbis æquivalentibus ſub alia data, ùt conſtat ex Decretis datis in noſtro Indice, & ſuprà pariter à nobis collectis.

Supereſt tamen advertere, quòd Miſſa Defunctorum, & Miſſæ Votivæ, aliquando ſufficiunt pro Miſſa Conventuali, nimirum juxta id, quod præſcribitur in Rubricis generalibus, *part.* 1. *tit.* 4. *de Miſſis Votivis n.* 3. ubi habetur, quòd *aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non eſt reſumenda Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici poteſt aliqua ex Miſſis Votivis, etiam in principali Miſſa, quæ vocatur Conventualis, ſecundùm ordinem earum in fine Miſſalis aſſignatarum, & cum Commemoratione Feriæ, de qua fit Officium.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XII. De aliis Obligationibus Sacerdotum circa Miſſam.

## GAVANTUS

Juxta Editionem recentiorem in aliquibus mutatus & auctior. *ad pag.* 170. *col.* 1.

4. *Qui tenetur celebrare in Altari privilegiato pro Defunctis, & alibi celebrat cum conformitate, v. g. Sancti Caroli, quo anima liberari poteſt à Purgatorio, videtur ſatisfacere: quod innuit* Alphonſ. de Leon. de Off. & pot. Conſ. temp. Jubilæi part. 3 n. 29. *quem ſequitur* Fraxinell. de obl. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 5. § 9. n. 1. in 6. edit. *qui tamen* n. 3. *limitat.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ur, *niſi ille (ait) qui petit Miſſam eam, velit celebrari in hoc, vel illo Altari privilegiato, tunc* *nim alibi non debet celebrari.*

5. *Qui tenetur alicubi celebrare, abſque applicatione Sacrificii, ad divinum cultum tantùm, ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio, ut illi applicet ſacrificium ſibi liberum, quod expreſsè vetuit Sac. Conc. Trid. Congreg.* in declaratione Decreti de celeb. Miſſarum ſub SS. D. N. Urbano VIII. emanati, *de quo infrà*, in reſponſione ad quartum dubium. *Quod etiam notent Canonici, & Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, ſeu Parochialem in propriis Eccleſiis ratione Canonicatus, ſeu Rectoriæ, quia ad eam tenentur ratione beneficii; ſecus, quando ex mera conſuetudine, ſeu ſtatuto canonicali, ad majorem Eccleſiæ decorem Miſſas privatas in propria Eccleſia collegiata, ſeu Parochiali celebrant, non ratione beneficii, neque Cappellæ, neque legati, neque ſalarii: qui ſoli quatuor Tituli in prædicta reſponſione prohibentur: & de Parochis, quòd iis diebus, quibus tenentur Miſſam celebrare, non poſſent manualem eleemoſynam recipere, decrevit* Sac. Cong. Conc. Trid. die 1. Sept. 1629. *Quid ſi teneantur ter in hebdomada celebrare, ex Decreto Synodali, ùt in Provincia Mediolan.* ex Concil. Prov. 1. *Poſſunt hi recipere, quia S. Cong. Concil. loquitur de Eccleſiis in quibus de jure communi tenentur celebrare, & annuos ideò redditus percipiunt; eadem* Sac. Cong. Conc. 13. Julii 1630. *declaravit adhuc, quòd quando in fundatione beneficii, ſeu cappellæ, expreſsè cautum eſt (nota verbum* expreſsè*) non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii; eo caſu poterit Celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere obligationi beneficii, ſeu cappellæ, & item danti novum ſtipendium. Hæc illa. Parique ratione cappellani Monialium, & alii, qui incongruo præſertim ſtipendio ſubeunt onus titulo mercedis, quotidianæ Miſſæ, ea conditione expreſſa, quòd non teneantur ad applicationem Sacrificii, poterunt accipere nova ſtipendia à Monialibus particularibus, aut aliis, pro applicatione Sacrificii.*

I. Gavant. ſuprà n. 5. *Ita debet ibi celebrare, ut nullo modo accipiat ſtipendium ab alio &c.*) Lege infrà aliquam moderationem circa hanc ſententiam, quæ tamen moderatio, & additio, cùm non reperiatur in prima, & ſecunda editione Gavanti, ignoramus, utrùm ipſi, vel alteri, qui eam inſerere potuit, tribuenda ſit.

II. Gav. eod. n. 5. *Quod etiam notent Canonici, & Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, &c.*) Canonici tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, præſertim inſignium, tenentur quotidie Miſſam Conventualem applicare pro Benefactoribus, quia talis Miſſa eſt pars Divini Officii, & non poſſunt ſtipendium aliquod aliunde pro tali Sacrificio percipere, conſuetudine quacumque in contrarium minimè refragante, ut ſæpe declaravit, & decrevit S. C. Concilii, & primò quidem in una *Elnen.* cùm quæreretur: an Canonico celebranti Miſſam Conventualem, ultra diſtributiones illius diei, debeantur eleemoſynæ, quæ à Chriſtifidelibus erogantur pro Miſſis celebrandis? Sac. Concilii Congregatio 5. Martii 1646. reſpondit -- Canonicos, & Beneficiatos, pro Miſſa Conventuali, non poſſe aliam eleemoſynam recipere, vel Sacrificium alteri applicare -- Idem conſtat ex aliis ejuſdem S. C. deciſionibus, nimirum in una *Tuſculana* 16. Novembris, deinde 24. Maji 1661. *in Ceſanaten.* 24. Maji 1661. *in Alexandrina* 26. Aprilis 1663. in una *Civitatis Caſtellanæ* 4. Martii 1690. *in Hidruntina*, 1. Martii 1692. *in Feretrana* 23. Septembris 1694. *in Lanceanen.* 13. Novembris 1654. *in Cathacen.* 29 Novembris 1698. *in Camerinen.* 2. Julii 1704. & 6. Julii 1705. *in Ripana*, 2. Julii 1707. & in *Fulginaten.* 24. Januarii 1620. 17. Decembris 1718. & 24. Januarii 1720. & in *epiſtola Epiſc. Volaſeran.* 14. Martii 1722. §. 3. confirmat etiam Pittonus *de Canonicis n.* 1058. Monacellus *tom.* 1. *tit.* 2. *formul.* 4. *n.* 27.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*n.27 & in Appendice ad dictum tom. 1. pag. 501. n. 12. & tom. 4 in ſupplem. ad tom 1. pag. 344. editionis Romanæ*; idem Criſpin. Viſit. Paſtor. *part.* 2. §. 20. *n.* 36. *&* 37. ubi exhibetur etiam Decretum S. C. in terminis Canonicatuum, quorum præbendæ ſunt adeò tenues, ut aliqui decem, aliqui triginta, aliqui quadraginta ſcuta annuatim non excedant; atque in caſu ubi cura Animarum reſidet in habitu tantùm penès capitulum, & ea exercetur per unum, aut plures Sacerdotes, ſive Vicarios perpetuos, ſive amovibiles, hæc obligatio applicandi Sacrificium diebus feſtivis pro Populo ſpectat ad ipſos; quia, cùm hæc ſit obligatio omnium Parochorum, ùt videbimus infrà, eorum amovibilitas non tollit, quin habeant verè curam Animarum quapropter eo tempore, quo tale munus exercent, obligantur profectò ad dictam applicationem Sacrificii, & hæc eſt praxis hujus almæ Urbis, ubi à S. C. Viſitationis Apoſtolicæ eſt ſpecialiter proviſum, ut dicta applicatio fiat ab illis, qui actu curam exercent. Et ut certò conſtare poſſit, quòd talis applicatio fideliter adimpleatur, eadem Congregatio præſcripſit, ut in libris Miſſarum talis Miſſa adnotetur, tanquam applicata pro Populo, & quotannis de ea rationem reddi mandat. Monacellus *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *num.* 20. & Aloyſius Gherardi Epiſcopus Cortonenſis *in ſua Diſſertatione*, quæ habetur in calce Compendii Defectuum, qui accidunt Sacerdoti in Miſſæ celebratione.

Contingit aliquando, quòd in Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis cura actualis Animarum annexa ſit, & à Canonicis per hebdomadam, ſeu per turnum exerceatur, in quo caſu Capitulum tenetur ad utramque Miſſam applicandam, nempe Conventualem pro Benefactoribus, & Parochialem pro Populo, de qua infrà aliqua dicemus. Quando verò cura eſt annexa alicui Dignitati, vel Canonicatui, tunc Canonicus, ſeu Dignitas, cui dicta cura eſt annexa, ſi celebrat Miſſam Conventualem, applicare eam debet pro Benefactoribus; Miſſa verò Parochialis pro Populo erit celebranda per alium, ſed ſumptibus dicti Canonici curam Animarum habentis; vel Miſſa Parochialis transferri poterit in diem ferialem, applicando tempe Miſſam illius diei pro Populo, nullam ſumendo eleemoſynam manualem pro tali Miſſa, nec aliis obligationibus Eccleſiæ Cathedralis, ſeu Collegiatæ; ejuſdem Miſſæ celebratione ſatisfacere tunc poterit, & hoc eruitur ex deciſionibus Sac. Congregationis Concilii *in Foroſempronien.* 7. Auguſti 1683. *Ferrariana* 25. Septembris 1694. *in Camerinen.* 28. Junii 1704. & in alia *Camerinen.* 6. ejuſdem 1705. & in eadem 21. Maji 1706. & *in Viterbien.* 31. Martii 1718. in qua Congregatione propoſitis dubiis:

*Primò. An Parochi Cathedralium & Collegiatarum, qui ſunt primæ Dignitates, vel membra earundem, excuſentur ab applicatione Sacrificii diebus Dominicis, & Feſtis, per Miſſam Conventualem, quæ in Choro quotidie canitur, aut ultra prædictam Conventualem Parochi ſupradicti teneantur celebrare, & applicare ſuprascriptis diebus pro Parochianis?*

*Secundò. An, quando per turnum ad ſupradictos Parochos ſpectat Miſſam Conventualem cantare diebus Dominicis, & Feſtis, teneantur iidem celebrare facere pro Parochianis aliam Miſſam propriis ſumptibus?* S. C. Concilii reſpondit:

Ad primum dubium, *negativè quoad primam Partem; affirmativè quoad ſecundam Partem.*

Ad ſecundum dubium, eadem Sac. Congregatio reſpondit *affirmativè.*

Hoc Decretum reperitur apud Scarfantonum *loc. ſupracit. lib.* 3. *in animad. ad tit.* 1. *n.* 13. & apud Gherardum *diſſert. cit. in fin.*

Ita pariter declaravit, & decrevit eadem Sac. Congregatio Concilii *in Sutrina: Miſſæ Parochialis* 12. Januarii 1709. *in Tuſculana: Miſſæ Conventualis* 13. Aprilis 1709. *in Balneo regien. Miſſa Parochialis* 19 Auguſti 1713 ad 6 & in

*Amal-*

*Amalphitana: Onerum Miſſarum* 13. Aprilis 1715.

Ratio autem, cur unica Miſſa Conventuali non poſſit ſatisfieri Parochiali, ea eſt, quia, ùt conſideranti patebit, duplex illa obligatio habet duplicem reſpectum, Parochialem nempe, & Conventualem. Parochialis igitur Miſſa eſt applicanda pro Parochianis; Conventualis verò pro Benefactoribus, ùt liquet ex Decretis allogatis, ideoque Canonicus, & Parochus ſimul, qui canit Miſſam Conventualem diebus feſtivis, pro qua diſtributiones percipit, non poteſt unica Miſſa Conventuali duplici prædictæ obligationi ſatisfacere, ſed debet ſupplere vel per alium pro Miſſa Parochiali, vel per ſe, applicando ſuam Miſſam die feriali ſequenti pro ſuis Parochianis, ùt ſuprà diximus.

Ad nonnullas alias dirimendas quæſtiones, & reſolvenda dubia, quæ inſurgere poſſunt circa obligationem, & applicationem ſupradictæ Miſſæ Conventualis, lubet dare hìc Decretum per extenſum, à Sac. Conc. Congregatione editum, & ſuprà à nobis allegatum in *Foroſempronien.* 7. Auguſti 1683. quod eſt ſequentis tenoris, & refertur à Scarfantono in ſuis animadver. ad Ceccoperium *part.* 2. *lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 11.

*Foroſempronien.*

*Celebrationis Miſſarum.*

*Archidiaconus Cathedralis ſupplicat declarari, Primò An illis diebus, quibus juxta tabellam Miſſa Conventualis non habet onus certæ, & particularis applicationis, Canonicus, vel Capellaris, qui jure turni illam celebrat, poſſit pro illius celebratione, vel applicatione eleemoſynam manualem recipere, vel omiſſo ſtipendio, ſatisfacere aliis oneribus ſibi inhærentibus ratione alicujus Beneficii, vel Cappellaniæ? Secundò. An præfatis diebus, quibus juxta tabellam Miſſa Conventualis non habet onus certæ, & particularis applicationis, & ulteriùs occurrit caſus celebrandi aliam Miſſam cantatam ratione Officii, Anniverſarii, vel ex alia cauſa hujuſmodi, poſſit dumtaxat cantari Miſſa hæc extraordinaria, & oneri Miſſæ Conventualis ſatisfieri, mediante celebratione Miſſæ planæ? Et quatenus* negativè. *Tertiò. An in caſibus, & ad effectus, de quibus ſuprà, ſuffragetur conſuetudo immemorabilis? Quartò. An ſuffragetur tenuitas præbendarum, & diſtributionum Capitularium? Die, &c. Et S. C. reſpondit in omnibus* negativè, *idemque declaravit, atque confirmavit* in Lavellen. 22. *Martii* 1698. *non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, & non attenta tenuitate redditũum.*

*Quòd in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, Miſſa Conventualis applicari debeat quotidie pro Benefactoribus, non obſtante tenuitate redditũum, & contraria conſuetudine, etiam immemorabili, iterum declaravit eadem Sac. Congreg.* in Camerinen. 28. *Junii* 1704. *& poſteà in alia* Camerinen. *pro Collegiata S. Mariæ de Terra S. Geneſii; verùm eadem Sacr. Congregatio Concilii iterum* in Camerinen *die* 22. *Maji* 1706. *in reſponſione ad ſecundum dubium, reſolvit, quòd: Quandoque ratione exiguitatis redditũum Canonicalium, permitti poteſt in Eccleſia Collegiata, ut Miſſa Conventualis celebretur tantummodò diebus Feſtivis, ita recedendo à deciſis, die 6. Junii 1705. reſpondit S. C. in Camerinen. Miſſæ Conventualis ad ſecundum dubium 22. Maji* 1706. & datur, ùt dixi, copia hujus Decreti apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part.* 2. *tit.* 4.

III. Gavant. eodem n. 5. *Et Curati, qui tenentur celebrare Miſſam Conventualem, ſive Parochialem, &c.*) Sicùt Canonici, ùt mox diximus, tenentur Miſſam Conventualem celebrare quotidie pro Benefactoribus, ratione Canonicatus, &c. ita Parochi, ſeu Curati ratione Rectoriæ tenentur applicare pro Populo omnibus diebus feſtivis de præcepto Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium; idque probatur auctoritate Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de Reform.* ubi ait: *Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus cura Animarum commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini*

*prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, &c.*

Eadem autem *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 14.* idem Concilium hæc habet: *Curet Epiſcopus, ut ii,* (nempe ſimplices Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſollemnibus, ſi autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſam celebrent, &c.* Ex quibus evincitur, munus Parochi non ſolùm eſſe celebrare, verùm etiam aliquando Sacrificium offerre pro ovibus illius curæ commiſſis, & hæc eſt ſententia ferè communis inter Canoniſtas, & Theologos, hancque præſertim propugnant Fagnanus, *in cap. Fraternitatem n. 92. & ſeqq. de ſepulturis*, Barboſ. *de offi io, & poteſtate Epiſcopi, alleg. 24. num. 23. de Parochis cap. 11. n. 10. Ad Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1. num. 4. & de jure univerſali Eccleſiæ lib. 1. cap. 4.* Clericat. *de benef. diſcord. 29. n. 1. & ſeqq.* Criſpinus *viſit. Paſtor. part. 3. §. 9. num. 11.* Leurenius *in ſuo Foro Eccleſiaſt. lib 3. tit. 41. de celebrat. Miſſarum quæſt. 976. per totam.* Reiffenſtuel *eodem titulo n. 22.* Navarrus *in Manuali cap. 25. n. 114.* Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 86, ſect. 1. propè finem.* Sotus *de juſtit. & jure lib. 1. quæſt. 3. art. 1. & lib. 4. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 2.* Bonacina *de Sacram. diſput. 4. quæſt. ultima punct. 7. n. 4. in fine.* Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt. 851. n. 7.* & recentiſſimè Zegherus Bernardus Van Eſpen. Juris Eccleſ. univ. *part. 2. tit. 5. cap. 2. n. 16.*

Diſſident tamen allegati Auctores circa quantitatem dierum, quibus per hebdomadas ſingulas tenentur Parochi Miſſam celebrare, eamque pro ſuo Populo applicare; ſed omnes conveniunt in hoc, quòd iiſdem Parochis ineſt hæc obligatio, pro qua adimplenda, offerre, & applicare debent Sacrificium ſuum Dominicis ſaltem diebus, aliisque Feſtis de præcepto; quæ quidem communis ſententia proculdubio tenenda eſt, & contraria, à paucis propugnata, omni careret probabilitate, quia præfata prima ſententia plurimis S. C. Concilii Decretis remanet fulcita, & confirmata. Habentur autem talia Decreta *in una Civitatis Caſtellanæ* 20. Auguſti 1628. & 8. Auguſti 1648. *in Hidruntina* 13 Februarii 1639. *in Vercellen.* 21. Martii 1643. *in Romana* 17. Julii 1649. *in Meliten.* 7. Junii 1692. *in Cremonen.* 20. Decembris 1692. *in Nonantulana* 31. Auguſti 1698. *in Piſtorien.* 14. Februarii 1699. *in Theanen.* 5. Junii 1700. *in Pampelonen.* 18. Novembris 1702. & 31. Martii 1704. *in Camerinen.* 28. Junii 1704. *in Viterbien.* 21. Martii 1708. *in Foroſempronien.* 8. Februarii 1716. ubi conſtanter firmatur, quòd Parochus, ſive habeat congruam, ſive non, in Feſtis tamen de præcepto, ac diebus Dominicis, teneatur omnino pro ovibus ſuæ curæ commiſſis Miſſam applicare, quia Parochus, non ratione ſuſtentationis, ſed ratione officii tenetur Sacrificium pro Populo offerre, & excuſatio tenuitatis congruæ Parochorum nunquam à Sac. Congregatione admiſſa fuit.

Præfata autem S. C. Decreta, maximæ profectò ſunt auctoritatis, ita ut deſtruant omnem probabilitatem contrariæ ſententiæ, & tanquam deciſivæ declarationes, & interpretationes Sac. Tridentini Concilii ſunt obſervandæ, adeoque vim legis habent, & ut leges recipiendæ ſunt, utpote latæ ex commiſſione Summorum Pontificum, & à Perſonis, vigore Conſtitutionum Apoſtolicarum habentibus à Summis Pontificibus plenam facultatem interpretandi præfati Concilii mentem; & ideo prædictæ definitivæ declarationes, ac deciſiones ſunt ſanctiones, quæ obligant in utroque foro, ut fusè, & doctè oſtendunt Fagnan. *in cap. Quoniam de Conſtit. à n. 6. ad 21. tom. 1.* Garzias *de Beneſic. tom. 1. in Præfat.* Clericat. *de Beneſ. dict. diſcord. 29. num. 27. 34. 38.* Monacell. *tom. 3. part. 3. tit 2. in adnot. ad formul. 8. n. 9. & 11.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& 11. Idque probari etiam poteſt ex iis, quæ ſuprà diximus, agentes de Decretis, & declarationibus S. R. C. quando ſunt deciſivæ interpretationes Sacrarum Rubricarum.

Præfatis DD. & allegatarum Deciſionum auctoritatibus, maximum præſidium accedit ex Decreto memoratæ Sac. Congregationis Concilii ab Innocendio XII. confirmato per Apoſtolicum ſuum Diploma, datum ſub die 24. Aprilis 1699. cujus copiam hìc per extenſum exhibemus.

## INNOCENTIUS XII.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit ſuper quodam dubio, pro parte Venerabilis Fratris Moderni Epiſcopi Piſtorienſis & Pratenſis Congregationi hujuſmodi propoſito, decretum tenoris, qui ſequitur, videlicèt: Piſtorien. & Praten. Cùm Parochi Eccleſiarum Piſtorienſium, & Pratenſium, inter varias opiniones Doctorum involuti, negligant in dies celebrationem, & reſpectivè applicationem Sacrificii pro Populo juxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; Epiſcopus ad conſulendum nedum propria, verùm etiam dictorum Parochorum conſcientiæ, ſupplicat declarari: an dicti Parochi teneantur omnibus diebus Feſtis applicare Sacrificium pro Populo, ſive habeant congruam, ſive non? die 14. Februarii 1699. S. C. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, dandas eſſe reſolutiones aliàs hac de re editas, & ſignanter in nullius Nonantulanæ Eminentiſſimo Abbati 30. Auguſti 1698. tenoris, ùt infrà. Cùm præcepto divino iis, quibus Animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit, pro ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſæpe aliàs Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipuè in dubio applicationis Sacrificii propoſito, & reſpectivè reſoluto ſub die 10. Maji 1693. his præciſis verbis concepto. An Parochus Miſſam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Feſtis, ſive habeat congruam, ſive non? Sacra, &c. juxta alias declarationes cenſuit teneri, nec poſſe eiſdem diebus aliam eleemoſynam recipere, ac proinde idem nunc reſpondendum eſſe cenſuerunt Eminentiſſimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diœceſis, addentes inſuper, quòd Eminentia veſtra, pro ſuo paſtorali zelo, detrectantes Parochos compellere non gravetur.*

*J. Card. Sacripantes Præfectus.*

*Loco ✠ ſigilli.*

*Cùm autem, ſicùt dictus Epiſcopus nobis ſubinde exponi fecit, Decretum ejuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret. Nos ſpecialem ipſi Epiſcopo gratiam facere volentes, eumque à quibuſcumque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtan-*

*obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 24. Aprilis 1699. Pontificatus noſtri Anno Octavo.*

*J. F. Card. Albanus.*

Liquidò igitur conſtat certitudo primæ ſententiæ, tot Decretis Sacræ Congregationis, & S. Sedis auctoritate comprobatæ, unde in dubium verti non poteſt Parochorum obligatio, applicandi Dominicis, ac Feſtis diebus, Miſſæ Sacrificium pro ovibus ſuæ curæ concreditis.

Eandem obligationem ſubeunt etiam illi, qui regunt Eccleſias tanquam Vicarii perpetui, ùt declaravit Sacra Concilii Congregatio *in Camerinen. Miſſæ Conventualis 6. Junii* 1705. ad primum dubium, ùt refert Scarfanton, *Tom. cit. lib.* 3. *tit.* 3. *in adnot. ad Ceccoper. n.* 66. Eandem pariter obligationem contrahunt etiam Parochi Regulares, necnon Curati amovibiles; nam obligatio, offerendi Miſſam Parochialem pro Populis diebus Feſtis, pertinet ad eoſdem ratione talis Officii, idque comprobatur etiam auctoritate S. C. Viſitationis Apoſtolicæ, ùt oſtendit Monacellus *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *n.* 20. & hæc eſt praxis hujus Romanæ Urbis Eccleſiarum, ubi omnes Vicarii perpetui Baſilicarum, aliarumque Eccleſiarum Parochialium, etiamſi amovibiles ſint, ſive Seculares, ſive Regulares, Sacrificium pro ovibus ſuis ſingulis diebus Feſtis offerunt, & de hac applicatione ſingulis annis docere tenentur prædictam Congregationem Viſitationis Apoſtolicæ, ùt ſuprà etiam adnotavimus.

Quoniam verò hæc obligatio oritur ex præcepto divino, ùt colligitur ex Concilio Tridentino, & à Sacra Congregatione Concilii declaratum eſt, hinc contra talem legem, & contra prædicti Concilii expreſſam declarationem, nullius ponderis eſſe poteſt quæcunque contraria conſuetudo, etiamſi longæva, quæ potiùs corruptela appellari debet, ùt firmat latè Fagnanus *in cap. Quod à Prædeceſſore n.* 61. *de Schiſmate, & in cap. Cùm Eccleſiæ de Simonia*, necnon *in cap. Cùm cauſam n.* 4. *de Electione, &c.*

Addo his omnibus auctoritatem noſtri P. Antonii Naldi, qui in Summa V. *Parochus n.* 19. extendit hanc obligationem Parochorum, etiam ad Prælatos Regulares, Epiſcopos, & etiam ad ipſum ſummum Pontificem. Ait enim præfatus Auctor: *Revera non magis debet de jure divino obligari Parochus in hoc pro ſuis ovibus, quam Prælatus Regularis pro ſuis Subditis, Epiſcopus pro ſua Diœceſi, atque etiam Summus Pontifex pro univerſali Eccleſia, in quibus proportionaliter eſſet dicendum, quod de Parocho.* Hanc eandem ſententiam tenet Suarez *in tertiam Partem D. Thomæ tom.* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 1. *& tom.* 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. ubi ait: *Hæc autem jura generaliter loquuntur de omnibus Dignitatibus Eccleſiaſticis habentibus curam Animarum annexam, ſub quibus ſine dubio comprehenduntur etiam Prælationes Regulares; magnam enim ſine dubio habent curam Animarum ordinariam, & ex officio verè Prælationes, & Dignitates Eccleſiaſticæ ſunt.* Ita etiam tenent Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt.* 847. *n.* 8. *& quæſt.* 851. *n.* 9. Tamburinus *de jure Abbatum tom.* 2. *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *n.* 5. Thomas Hurthadus *Reſol.* 4. *num.* 46. & recentiſſimè Bernardus Van Eſpen *Juris Eccleſiaſt. univerſ. &c. tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 10. *n.* 11. & Rotarius *in ſua Theologia Regularium, &c.*

Ad Epiſcopos quod attinet, extendunt ſuam obligationem applicandi Miſſam pro ovibus ſuis, non ſolùm diebus Feſtis, quin immò ſingulis diebus, dum quotidie celebrant, ùt refert laudatus Gherardi *in cit. ſua Diſſert.* ubi tamen ſubdit, quòd Collegium Salmaticenſium in ſuo Curſu Theologico morali *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *de Sacram.* aliique Theologi, quos ipſe congerit, mitiùs loquuntur circa obligationem quotidianam relatè ad Epiſcopos, licèt habeant redditus pingues, & licèt ſint Parochi Parochorum.

IV Ga-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IV. Gavant. eodem n. 5. *Et de Parochis, quod iis diebus, &c.)* Hæc, & alia ſequentia verba, uſque ad n. 6. non leguntur neque in prima, neque in ſecunda editione Gavanti, quapropter incertum eſt, à quo ſint adjecta, in hac additione legitur, quòd S. Concilii Congregatio 13. Julii 1630. declaravit, quòd quando in fundatione Beneficii, ſeu cappellæ expreſſè cautum eſt, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo caſu poterit Celebrans accipere novum ſtipendium, & unica Miſſa ſatisfacere tum obligationi beneficii, ſeu cappellæ, tum danti novum ſtipendium. Hoc liquet etiam ex alia deciſione ejuſdem Sac. Congregationis edita die 15. Februarii 1638. *In Nucerina*, in qua declaratur, quòd ſex Cappellani amovibiles ad nutum Abbatis S. Benedicti, à quo quolibet menſe accipiebant aliquam portionem frumenti citra obligationem applicandi Sacrificium, poſſent de conſenſu ejuſdem Abbatis applicare Sacrificium pro iis, à quibus ipſi recipiebant ſtipendium.

E contrà verò *in una Elnen.* de qua etiam ſuprà ſermonem fecimus, cùm quæreretur, an Canonico Celebranti Miſſam Conventualem, ultra diſtributiones illius diei, debeantur eleemoſynæ, quæ à Chriſtifidelibus erogantur? Eadem Sacra Congregatio Concilii die 5. Martii 1646. reſpondit: *Canonicos, & Beneficiatos, non poſſe pro Miſſa Conventuali aliam eleemoſynam recipere, vel Sacrificium alteri applicare*; & hanc deciſionem refert Pignatellus *tom.* 3. *Conſul.* 64. *n.* 20.

Iterum eadem Sac. Congregatio *in Alexandrina* die 27. Aprilis 1653. & 7 Februarii 1664. ad petitionem Sac. Cong. Epiſc. declaravit, Canonicos non obſtante contraria conſuetudine, & quamvis in fundatione non habeant onus celebrandi, & applicandi Sacrificium, non poſſe diebus, quibus per Turnum juxta Tabellam Eccleſiæ Miſſas celebrant, appicare Sacrificium pro ſibi elargientibus eleemoſynas; hanc pariter deciſionem refert laudatus Pignatellus *in eadem Conſult.* 61. *n.* 18.

Id ipſum decrevit S. Cong. Epiſ. *in eadem Alexandrina* die 9. Maji 1653. ùt videre eſt apud Pignatellum ibidem; in una verò *Civitatis Caſtellanæ* ſub die 9. Julii 1694. cenſuit: *Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Caſtellanæ Anniverſariæ celebrationi non ſatisfacere celebratione Miſſæ Conventualis. In Miſſa verò, quam iidem Canonici celebrant in Aurora, ſi non habent onus illam celebrandi ratione Canonicatus, Legati, Cappellaniæ, & Salarii, poſſe manualem eleemoſynam recipere, & pro ea Sacrificium Miſſæ applicare.*

V. Gavant. pag. 171. col. 1. n. 16. *Citiùs quoque celebrando peccatur, anticipatâ ſcilicet applicatione Sacrificii, &c.)* Fuit quæſtio inter Theologos, an Sacrificium poſſet anticipatè applicari pro eo, qui primus daturus eſt ſtipendium? Sententiam affirmativam tuentur Bonacina *diſput.* 4. *de Sacram. quæſt. ult. punct.* 7. §. 5. *n.* 3. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 237. & alii, quos allegant Paſqualigus *de Sacrif. novæ legis quæſt.* 168. *num.* 1. & Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 49. Negativam tamen ſententiam amplectuntur triginta DD. quos congerit laudatus Paſqualigus *dict. quæſt.* 168. *n.* 2. inter quos recenſeri etiam debet Gavantus. Neque ab hac opinione recedendum eſt, quia prima opinio damnata fuit à S. Congregatione Concilii Tridentini juſſu Clementis Papæ VIII. ſub quo à S. C. id conſultum fuit, & deciſum, quamvis poſteà declaratio emanaverit ſub Paulo V. die 15. Novembris 1605. & hinc nonnulli eidem Pontifici tribuunt talem declarationem, ùt notat Paſqualigus *d. q.* 168. *n.* 3. & Marchinus *de Ordine tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 31. *n.* 9. qui per extenſum exhibent Decretum ipſum, quapropter ab hac anticipata applicatione Sacrificii, pro perſona incerta, quæ primò dabit ſtipendium, eſt prorſus abſtinendum.

VI. Gavant. ibid. eodem n. 16. *Poteſt tamen Cappellanus prævenire tempus, &c.)* Hæc alia ſententia de Cappellano, quòd

poſſit prævenire tempus celebrationis, & anticipatè celebrare Miſſas, ut ſatisfaciat oneribus ſuæ Cappellaniæ, ab ejuſdem Inſtitutore impoſitis, eſt ferè communis inter DD. unde tutò poteſt unuſquiſque adhære-rere opinioni Gavanti ſuprà expoſitæ.

VII. Gavant, pag. 171. col. 2. n. 18. *Niſi ultrà menſem ægrotet.*) Petrus Navarrus *de re reſt. lib. 2. cap. 2. num.* 210. & Naldus *v. Miſſa num.* 11. docent, non teneri per alium ſatisfacere, qui ægrotat per duos Menſes: Diana *tract. de celebr. Miſſ. reſol* 27. per quindecim dies: Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 24. *num.* 32. per octo vel decem dies.

VIII. Gavant. pag. 173. col. 2. n. 38. *Revocatis quibuſcunque privilegiis.*) Ad magis comprobanda nonnulla, quæ aſſeruntur hoc loco à Gavanto, lubet hic adnectere ſequentes propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas die 4. Septembris 1665.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani, poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ tradantur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendia, quòd pro nullo alio offeram.

Deinde ulta Decreta à Sac. Cong. Concilii Tridentini edita, & auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. confirmata, legenda eſt etiam Conſtitutio Innocentii XII. edita ſub die 23. Novembris 1697. quæ incipit *Nuper*, & quæ pariter nonnulla continet ſpectantia ad hanc materiam celebrationis Miſſarum.

Sacra tamen Rituum Congregatio, referente Barboſa *de jure Eccleſ. lib. 2. cap. 5.* die 7. Septembris 1630. decrevit, quòd qui habuerit obligationem unius Miſſæ in hebdomada, cum ſtipendio legato, & confirmato de octo in octo Annos, poteſt demandare alteri celebrationem prædictæ Miſſæ, cum eleemoſyna conſueta juxta morem Religionis, retenta ſibi reliqua parte dicti ſtipendii.

## NOVÆ OBSERVATIONES ET ADDITIONES AD GAVANTI COMMENTARIA IN RUBRICAS MISSALIS ROMANI.

# PARS QUARTA.

## RUBRICÆ MISSALIS PROPRIÆ

### Tit. I. De Rubricis Miſſarum de Adventu.

I. Gavant. pag. 175. col. 1. n. 1. *Dicimus primò, inſcribi Dominicas de Adventu, &c.*) Quamvis ex more Eccleſiæ nomine Adventus intelligatur tempus deſignatum ante Feſtum Nativi-

Nativitatis Domini, nimirum tres hebdomadæ integræ, & quarta non integra, ùt explicat *Durandus libr.* 3. *cap.* 2. quæ præcedunt prædictum Natalis Feſtum; nihilominùs olim vox Adventus pro ipſa Natalis die accipiebatur, quæ Adventus Domini appellari ſolebat: & equidem Miſſale Mozarabicum, & Lanfrancus in ſuis ſtatutis, ubi agitur de Dominicis ante Natale, eas Dominicas ante Adventum vocant; ita etiam Hymni Natalis apud Sanctum Ambroſium inſcribuntur: *De Adventu Domini*, ad indicandum hujus Feſti diem; idem Durandus *lib.* 6. *Ration.* hoc tempus, præparationem Adventus vocat, ſive præparationem ad Adventum, nimirum ad Feſtum Nativitatis Domini. Alii hoc tempus Quadrageſimam ante Natalem Domini appellarunt, ùt videre eſt in Sacramentario Ratholdi Abbatis Corbejenſis; quia reverà antiquitùs totum tempus Adventus Quadraginta diebus conſtabat, incipiebat enim perendie à S. Martini Feſto, quæ res occaſionem dedit hilaritati, cujus adhuc in omnibus ferè Regionibus aliquod veſtigium apparet, eodem ferme modo, ac Feria III. ante Cinerum diem, quia illa poſtrema erat, qua carnes liceret comedere; & quia ſequenti die jejunium incipiebat; hinc eſt, quòd ſex Dominicæ ante Natale Domini in Miſſali Mozarabo, Gallicano, & Ambroſiano, ordine tamen retrogrado numerabantur, itaut ſexta eſſet, quæ proximè ſuccedebat Feſto S. Martini. Non tamen hic Ritus ſex hebdomadarum Adventus apud omnes Regiones obtinuit; aliquæ enim Eccleſiæ duas tantùm hebdomadas obſervabant, ùt patet ex Miſſali Gothico à Thomaſio edito; aliquæ verò quinque hebdomadas, ùt liquet ex Codice valdè antiquo Breviarii Mozarabici, cujus exemplar extat in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Veronenſis, quamvis in Miſſali Mozarabo facilè antiquiori, ſex, ùt dixi, ſunt Adventus hebdomadæ. Romana Eccleſia ſtatim ac hunc Ritum accepit, quinque hebdomadas tempori Adventus deſtinavit, ùt ex Codice Gelaſiano, & Gregoriano, necnon ex Amalario *libr.* 5. *de officiis cap.* 40. colligere eſt; talis etiam erat praxis Eccleſiæ Rhemenſis, ùt liquet ex ejus Sacramentario ab annis circiter 900. ſcripto; idem numerus quinque Dominicarum Adventus apparet in Codice Gellonenſi, & Colbertino *n.* 1348. ejuſdem ætatis, & in Colbertino alio *n.* 1364. cujus character annos 800. repræſentat, in Pontificali Egberti Eboracenſis Epiſcopi, & quibuſdam aliis. In Codicibus verò Rotradi, & Ratoldi, & apud Pamelium quatuor dumtaxat hebdomadæ, & Dominicæ Adventus recenſentur, converſo numerandi ordine, itaut ea, quæ remotior eſt à Dominicæ Nativitatis Feſto, prima Adventus Dominica, ſeu hebdomada appelletur, quæ verò tali Feſto eſt proximior, dicatur quarta; poſtremus hic mos numerandi hebdomadas Adventus apud omnes Eccleſias tandem obtinuit, & adhuc perſeverat. Radulphus Tungrenſis *propoſit.* 16. teſtatur, Romanos olim exordium Adventus à Dominica poſt Feſtum S. Catharinæ Virginis duxiſſe -- *Adventus Domini apud Romanos incipit Dominica prima poſt craſtinum Catharinæ* -- Quod etiam de jejunio tunc ſervari ſolito intelligendum eſt; nam paulò poſt ſubjungit -- *Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur.* Sed ex hac Radulphi aſſertione infert Hugo Menardus *in Notis, & Obſervationibus ad Sacramentarium Gregorianum* pag. 217. prædictum Adventus ſpatium non adeo antiquum eſſe apud Romanos, cùm Feſtum S. Catharinæ non reperiatur in antiquis Sacramentariis; ùt nec hodiernum, quod conſtat tribus hebdomadibus integris, & aliquot diebus poſtremæ hebdomadæ; quodque proinde fruſtra quidam putant ita fuiſſe inſtitutum à S. Petro. Huic enim ſententiæ adverſantur profectò antiquiora Sacramentaria ſupracitata, in quibus Adventus Do-

mini eſt quinque Dominicarum. Alia ſuper hanc materiam videri poſſunt apud Martene *cap.* 10. *de antiq. Eccleſ diſcipl.*

II. Gavant. pag. 175. col. 1. n. 3. *A Sancto Petro, &c.*) Noſter Auctor Durando adhærens, ipſum S. Petrum Adventus Inſtitutorem fuiſſe contendit, immò & ſpatii quatuor hebdomadarum, ſed hæc opinio, ùt mox diximus, validis momentis convellitur, & reverà nullo ſolido innititur fundamento: quamvis enim facilè probari poſſit, omni ævo dies quoſdam fuiſſe deſtinatos præparationi ad Natale Domini, nihilominùs certi hujus temporis, quod Adventum dicimus, quodque ex certo Dominicarum numero conſtat, veſtigium nullum apparet; & reapſe ſi Mabillonio credimus *lib. 2. de Liturgia Gallicana*, nulla ante ſeculum ſextum Homilia, ſive Cæſarii, ſive aliorum Doctorum legitur de Adventu Domini, tanquam de ſingulari quadam inſtituta celebritate, ſed ſi qua occurrit, exhortatio eſt ad Chriſti Nativitatem cum pietate præveniendam; vereor tamen, ne eruditiſſimi viri obſervatio refelli poſſit ex quadam homilia, quæ licèt inter opera S. Ambroſii reperiatur, probabiliter tamen S. Cæſario adſcribenda eſt, in ea enim aperta mentio fit Adventus Domini, tanquam celebritatis ab antiquioribus Patribus inſtitutæ: *Hoc tempus*, inquit, *non immeritò Domini Adventus nominatur, nec ſine cauſa SS. PP. Adventum Domini celebrare cœperunt, & ſermonem de iis diebus ad Populum habuerunt, ut ſe unuſquiſque Fidelis præpararet, & emundaret, quò dignè Dei ac Domini ſui Nativitatem celebrare valeret.* Quiſquis ſit hujus ſermonis Auctor, ſatis oſtendit, tempus iſtud ante ſuam ætatem inſtitutum fuiſſe, atque Adventus diebus conciones haberi ſolitas, quæ conſuetudo adhuc religiosè ſervatur. Illuſtriora tamen Adventus veſtigia habemus in monumentis Gallicanis ſeculi V. & fortaſſe à vero alienum non eſt, quòd Gallis ſuam originem debeat, ùt cenſent Baillet *in vitis Sanctorum tom.* 4. *pag.* 259. & Grancolas *Commentar. hiſtoric. in Brev. Rom. lib.* 2. *cap.* 4. cujus aſſumpti fundamenta apud ipſos Auctores videre quiſquis facilè poteſt; hunc tamen ritum ab Eccleſia Romana ſerò receptum fuiſſe non videtur dubitandum; licèt enim de Adventu Dominico mentio habeatur tam in Sacramentario Gelaſiano à Thomaſio vulgato, quàm in Codicibus Gregorianis hucuſque editis, in genuino tamen Gelaſii Codice, ſub nomine Magni Leonis nuper edito à Joſepho Blanchinio, penitus prætermittitur; ita etiam de iiſdem altum habetur ſilentium in Codice Gregoriano, quem contulit Cardinalis Thomaſius, & ex quo recenſuit Additiones factas Gregoriano Codici à Pamelio edito. Prædictum Codicem Pamelii à Thomaſio ſic collatum cum genuino Gregoriano Codice, qui pertinebat ad Sereniſſimam Svecorum Reginam, penès me habeo; unde facilè conjici poteſt ex hucuſque dictis, Eccleſiam Romanam ante Seculum VII. hanc Adventus diſciplinam minimè recepiſſe.

Orientalis verò Eccleſia prædictam jejunii conſuetudinem in Adventu quoque obſervare, manifeſtum eſt ex Georgio Codino *lib. de offic. Palatii Conſtantinopolitani*, ubi agens de ceremoniis menſæ Imperatoriæ in Natali Domini hæc ſcribit: *Et facta oratione ad menſam, quia præterita Quadrageſima, principium temporis, quo eduntur carnes, advenit, accipit panem, & miſſum:* nimirum ferculum, quod etiam latinè *miſſum* appellatur, quia nempe mittitur in menſam. Ad diſtinctionem prædictæ Quadrageſimæ ab eodem Codino infrà Quadrageſima Paſchalis appellatur *Sancta, & magna Quadrageſima.* Opinor tamen cum Grancolaſio, Græcos habere quidem Adventum quadraginta diebus conſtantem, velùt alteram Quadrageſimam, ſed quæ tantùm in ſola abſtinentia à carnibus poſita ſit, & ideò hæc non vocatur magna

Quadra-

Quadrageſima, quia ad ſummum in hac ſeptem tantùm diebus tenentur ante Natale Græci jejunare. Fatendum tamen eſt, Græcos in hoc obſervando jejunio uniformes non fuiſſe: nonnulli etenim, ùt ſcribit Anaſtaſius Sinaita apud Cotelerium *tom.* 3. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ: *Diebus dumtaxat undecim abſtinent carne, & caſeo, & ovis; quidam verò carne ſola, qui reliqua comedunt excepto uno die; alii autem pari modo abſtinent diebus duodecim tantùm, alii ſex, alii quatuor.* Prædictus tamen Anaſtaſius refutat eos, qui aſſerunt, Græcos in obſervando hoc jejunio fuiſſe prædicto modo remiſſiores, ùt legere eſt apud ipſum, vel apud Martene ejus verba referentem *cap.* 10. *de antiq. Eccleſ. diſcip.* n. 7

Prætereundum non eſt, Eccleſiam Occidentalem duplicem nunc Chriſti Adventum celebrare his diebus, primum jam ſecutum, quando formam ſervi accipiens idem Dei Filius, in ſimilitudinem hominum factus, habitu inventus ùt homo, hoc ſuo Adventu conſecravit univerſum Mundum, quem viſibili carne indutus ingreſſus eſt, ut Homines Divino Patri pretioſiſſimo Sanguine ſuo reconciliaret, eoſdemque omnes à peccati ſervitute redimeret. Secundus, quem Eccleſia commemorat, Chriſti Adventus eſt in extremo Judicio adhuc futurus, cùm jam idem Filius Dei non hominum à ſe redemptorum, ſed ſui Divini Patris cauſam acturus, in ſua veri hominis forma glorioſa apparebit, in qua Deo ſimilior ſit, cujus formæ exhibitione ſimul & bonis ſecuritatem, & malis terrorem afferat, ùt doctè ponderat Eſtius in 4. *ſententiar. diſt.* 48. §. 8. Ex duplicis hujus Adventus Chriſti Domini commemoratione colligit doctiſſimus Cardinalis Lambertinus in ſua Inſtructione XI. Paſtorali, Eccleſiam idcirco aliis lætitiæ, aliis mœſtitiæ ſignis integrum hoc tempus celebrare, ùt nos quoque cum Gavanto mox explicabimus.

III. Gavant. pag. 175. col. 2. n. 4. *Partim lætitiæ eſt, & Alleluja dicitur, &c.*) Optimè adſtruit Gavantus, hoc tempus partim eſſe luctus, partim verò lætitiæ; hinc Icones, & Altaria ex more quarumdam Eccleſiarum partim velantur, partim verò detecta relinquuntur hoc tempore. Ita pariter eadem de cauſa *Alleluja* in quibuſdam Officiis de tempore omittitur, in quibuſdam verò additur. Omittitur ſiquidem poſt *Graduale* in Miſſis, quæ dicuntur in Feriis de Adventu: additur verò *Graduali* Miſſæ Dominicalis, & multis Antiphonis, quæ eodem tempore dicuntur. Non dicitur Hymnus Angelicus in Miſſis de ipſo Adventu, dicitur tamen in Miſſis feſtivis hoc tempore occurrentibus. Propterea toto tempore Adventus, quando Officium de eo fit, adhibetur in Miſſis color violaceus, etiam in illis Dominicis, quæ infra Octavam alicujus Feſti occurrunt; adeoque omnia Altaria, etiam Tabernaculum SS. Sacramenti iis diebus debent ex præſcripto S. R. C. eſſe parata colore violaceo, teſte Bauldry *part.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. *&* 2. & Caſtaldo in Ceremoniali noſtræ Congregationis *lib.* 3. *cap.* 3. qui addit, quòd ſuper Altare, & inter candelabra vaſcula cum floſculis, ac ſimilia ornamenta ſollemnia, Dominicis, & Feriis Adventus adhiberi minimè debent, excepta tamen tertia Dominica, quæ lætiorem ornatum requirit, & Feſtis Sanctorum, quibus occurrentibus, etiam in Adventu, Altaria ſunt ornanda.

IV. Gavant. ead. pag. & col. eod. n. 4. *Neque adhibentur dalmaticæ, &c.*) Toto tempore Adventus Diaconus, & Subdiaconus non utuntur Dalmatica, & Tunicella, in quibuſcunque Eccleſiis, in Miſſis de Adventu, ſed Planetis plicatis ante pectus, & iis quidem in majoribus Eccleſiis tantùm, ſcilicet, Cathedralibus, Collegiatis, & Eccleſiis Regularium inſignioribus, ùt colligitur ex Miſſali, & ex Decreto Congreg. Rit. dato in noſtro Indice ſub *n.* 247. Excipitur tamen Dominica tertia, quæ appellatur *Gaudete*, in qua prædicti Sacri Miniſtri utuntur Dalma-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ticis, ſicuti & in feriis hebdomadæ ſequentis, quia in iis dicitur Miſſa de eadem Dominica. Planetæ autem plicatæ Miniſtrorum ſunt ejuſdem formæ, & coloris, ac illa Celebrantis, ſed tamen ſic plicatæ, ut pars anterior replicetur interiùs uſque ad medium, vel revolutæ etiam ante pectus, & tantùm aciculis, aut quibuſdam vittis, ſive ligaculis firmantur, ne pars eorum anterior decidat. Finita autem Miſſa, poſſunt eædem aciculæ auferri, vel brevia ligacula, ſive cordulæ in ſuis extremitatibus inſutæ poſſunt relinqui, & ſic prædictæ Caſulæ etiam Sacerdotibus aliis pro celebratione Miſſarum inſervire; ùt poſt Bauldrium *part.4.cap.1.* obſervavit Gerlacus Vinitor *in Compendio Sacrorum Rituum part.6.tit.1.n.3.* qui etiam ibidem *n.4.* declarat ordinem, ac tempus deponendi, ac reſumendi ejuſmodi Planetas plicatas, uti & Stolam latiorem ſumendi, & deponendi à Subdiacono, & Diacono reſpectivè; dicendo, quòd Subdiaconus cantaturus jam Epiſtolam, paulò antè, quàm accipiat librum, Planetam plicatam deponit in alio loco congruo, & convenienti ad id deputato, putà ſuper credentiam, adjuvante eum aliquo Acolytho in cornu Epiſtolæ. Cantata verò Epiſtola, Stola indutus alba cum manipulo, & oſculata manu Celebrantis, poſt Epiſtolam cantatam, priuſquàm deferat Miſſale ad cornu Evangelii, reſumet ſuam Caſulam plicatam. Diaconus ſimiliter deponet Planetam eodem loco, priuſquàm librum Evangeliorum deferat ad Altare, & loco Planetæ ponet ſuper Stolam communem aliud genus Stolæ latioris, ſed brevioris, & violaceæ, quam ligabit cordulis, ſeu ligaculis ſub brachio dextero, juvante eum Acolytho; ſicque miniſtrabit Celebranti uſque ad factam Communionem; & hac peracta, poſtquàm detulerit Miſſale ad cornu Epiſtolæ, perget ad credentiam, ſeu locum aſſignatum, ubi depoſita latiori Stola, reſumet ſuam Planetam plicatam, nec eam deponet ampliùs niſi in Sacriſtia.

In minoribus autem Eccleſiis, in quibus Miniſtri Sacri uti non debent Planetis plicatis, miniſtrabunt in albis; & Diaconus quidem ſuam ſolitam Stolam tantùm, & manipulum, Subdiaconus verò manipulum ſolùm adhibebit. Sed prædicta Dominica tertia Adventus etiam in iis Eccleſiis utentur Dalmatica, & Tunicella, & quoties Miſſa ejuſdem Dominicæ reſumetur per illam hebdomadam; adeoque hujuſmodi indumentis uti non poſſunt in Miſſis quatuor Temporum, ſed in his miniſtrabunt in albis, ùt ſuprà innuimus.

Cæterùm ſupradictis Planetis plicatis Diaconus, & Subdiaconus uti debent in majoribus Eccleſiis non ſolùm Dominicis, & Feriis Adventus, ſed etiam Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ, necnon diebus jejuniorum, item in Benedictione Candelarum, & earum Proceſſione, quæ fit in die Purificationis B. M. V. & in Benedictione Cinerum, ac in Benedictione Palmarum, & earum Proceſſione. Rurſus in Sabbato Sancto Miniſtri Sacri utuntur Planeta plicata, ſed ante Miſſam tantùm, ſicùt etiam in Vigilia Pentecoſtes; nam ad Benedictionem Cerei Diaconus utitur Dalmatica alba.

A ſupradicta regula excipiendæ ſunt Vigiliæ Sanctorum, licèt in his obſervetur jejunium, nam Vigiliæ ſunt principium Feſti. Excipitur etiam, ùt diximus, Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gaudete, &c.* excipitur pariter Dominica quarta Quadrageſimæ, quæ dicitur *Lætare*, ſed non excipiuntur Feriæ intra eandem hebdomadam, quia Rubrica Generalis Miſſalis XIX. has Ferias non excipit, ſicùt excipit Ferias tertiæ hebdomadæ Adventus, cujus diſcriminis ratio eſt, quia in Feriis hujus tertiæ hebdomadæ reſumitur, & cantatur eadem Miſſa de tertia Dominica, quæ dicitur *Gaudete*, in Feriis verò quartæ hebdomadæ Quadrageſimæ non dicitur eadem Miſſa *Lætare*, quæ dici ſolet in prædicta quarta Dominica. Denique excipiuntur à prædicta

regula

regula Vigiliæ Nativit. Domini, ac Feriæ quatuor Temporum Pentecoſtes ob ſollemnitatem Spiritus S, ùt ſtatutum eſt in Concil. *Saltzburgenſi cap.* 2, in quibus omnibus diebus Diaconus & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella. Excipitur etiam Feria quinta in Cœna Domini, in qua adhibetur color albus, Planetæ autem plicatæ non ſunt in uſu, niſi in colore violaceo, & nigro. Si quæras rationem, quare in diebus Dominicis, & jejuniorum ſuprapoſitis, prohibetur uſus Dalmaticæ, & Tunicellæ? eam reddit Honorius *in Gemma Animæ lib.* 3. *cap.* 45. ubi ait: Dalmatica ſignificat lætitiam, quæ dictis diebus non convenit.

Ab expenſi Ritus praxi ſermonem vertendo ad ejuſdem originem, nimirum tum Planetarum plicatarum, tum Stolæ latioris; ſciendum eſt, quòd antiquitus Planeta, ſeu Caſula erat veſtis communis tam Presbytero, quàm aliis Miniſtris; ea omnes utebantur in ſacris functionibus, cumq; Caſulæ totum ambirent & involverent hominem à collo uſq; ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: hinc neceſſarium erat, ut Sacerdos eas ſuper brachia revolveret, & complicaret, aliàs liberè operari, & manibus uti non potuiſſet; ob eandem rationem prædictæ Caſulæ magno pariter erant impedimento Miniſtris, præſertim Diacono, cujus præcipuæ partes ſunt, Presbytero inſervire in Miſſæ Sacrificio; hinc factum eſt, ut Planetæ Miniſtrorum à parte anteriori complicarentur, ut expeditiores eſſent ad miniſtrandum. Ceſſavit deinde uſus Planetarum pro Miniſtris, qui loco caſularum adhibuerunt Dalmaticas; nihilominùs etiam poſt introductum uſum Dalmaticæ, & Tunicellæ, pro Diacono, & Subdiacono, in Dominicis & Feriis Adventus & Quadrageſimæ, aliiſque diebus jejuniorum, Planetarum uſus præfatis Miniſtris conceditur etiam nunc, quæ quidem Planetæ adhuc complicantur à parte anteriori, quamvis non ampliùs videatur neceſſaria talis complicatio, ob decurtationem, & ſciſſionem Planetarum à lateribus, apud Latinos introductam. Sed quia non ſine aliqua difficultate, & notabili temporis ſpatio, Miniſtrorum Planetæ complicari poterant, congruum exiſtimarunt tam Diaconus, quàm Subdiaconus, Planetas exuere, primus, quando legere debebat Epiſtolam, alter verò, ut cantaret Evangelium; ſed ne ſine habitu Diaconus hoc munus obiret, & deinde Sacerdoti miniſtraret, quoddam indumenti genus, quod nunc Stolam latiorem appellant, induere cœpit. Hanc eſſe hujus Stolæ latioris originem, quidem recentem, & locum Planetæ tenere, unuſquiſque facilè concedet, cùm animadverterit, antiquitus Diaconum, cùm legeret Evangelium, ſuam Planetam ad modum ſtolæ plicaſſe; id autem manifeſtè colligimus ex Ordine Romano XIV. inter evulgatos à Mabillonio, in quo *n.* 54. ſtatuitur, ut Diaconus, *quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat Planetam, & Acolythi decenter eam complicent, & imponant ſuper ſiniſtrum humerum ejus, ac ſub dextero brachio ligent eam, ùt meliùs poterunt, ita quòd ab humero ſiniſtro deſcendat ad latus dexterum, ſicùt Diaconalis Stola deſcendit, & hoc modo Diaconus Planetam teneat, dum legit Evangelium, & uſquequò dicatur ultima Oratio poſt Communionem.* Hæc etiam præſcribuntur in Ordine XV. ab eodem Mabillonio vulgato; ex quibus manifeſtum fit, Diaconum non adhibuiſſe in principio Miſſæ Planetam plicatam, ſed tunc tantùm plicari ſolitam fuiſſe, & ſuper humerum ſiniſtrum revolvi, cùm lecturus erat Evangelium, ac propterea Stolam, quam latiorem appellamus, Planetæ ſic plicatæ locum occupaſſe.

Cæterùm hujus Stolæ latioris uſus recentiſſimus eſt, nec enim Seculo XIV. & XV. quibus ſcripti ſunt Ordines iſti Romani, in

uſu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uſu erat apud Romanam Eccleſiam: imò Seculo ipſo XVI. nondum hanc Stolam receperat Cappella Pontificia; Marcellus enim Corcyrenſis *lib. 2. Sacrarum Ceremoniarum cap. 1.* teſtatur, Planetam plicatam imponi ſolitam Diacono, cùm lecturus eſt Evangelium. Ubi primùm inceperit uſus hujuſmodi Stolæ, ignoratur, & de hac re nullus omnino Auctor, quem legerim, ſermonem facit. Solus Cardinalis Bona *lib. 1. c. 24. n.* 8 *in fin.* breviter innuit, uſum hujus Stolæ latioris eſſe recentioris ævi. Nolim tamen hoc ornamenti genus Stolam rigoroſè applicari; nam cùm propriam Stolam Diaconus non exuat, ſi hoc etiam indumentum veram Stolam eſſe concedimus, refragamur profectò Canonibus Concilii Toletani IV. quibus cautum eſt, ne Epiſcopus, Presbyter, ac multò minùs Diaconus, duplici utantur Stola. Porro Subdiaconus lecturus Epiſtolam exuit ipſe quoque Planetam, nullum aliud indumentum ſubſtituendo, quia antiquitus Lectores, ac Subdiaconi, in ſuis miniſteriis obeundis, ſola Alba uti poterant. Deinde apud Albinum Flaccum *de Divin. Offic. cap. Quid ſignificent veſtimenta,* lego hæc: *Diaconus, qui non eſt indutus Dalmatica, Caſula circumcinctus legit, ut expeditè poſſit miniſtrare;* & idem lego apud Amalarium *lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 21. de Dalmatica;* ſed de Subdiacono nihil præſcribitur.

Ex iis, quæ diximus, liquet, uſum Stolæ latioris ſupra Stolam ordinariam à Diaconibus nunc adhibitæ recentem profectò eſſe; ſed uſus Planetarum plicatarum antiquiorem redolet ætatem; de his enim mentionem facit Rupertus *lib. 3. cap. 2.* qui floruit Seculo XII. ubi ait: *Ex tunc etiam, ſcilicet à Dominica prima Adventus, ad Sacram Domini Natalis noctem, Diaconus, & Subdiaconus imminuti procedunt. Nam neque Diaconus Dalmaticam, neque Subdiaconus induit Tunicam.* Sed hæc conſuetudo haud videtur primùm fuiſſe univerſalis, idque innuit Amalarius *lib. 3 cap. 40.* his verbis: *Vidi priſco tempore* Gloria in excelſis Deo *prætermitti in diebus Adventus Domini, & in aliquibus locis Dalmaticas.* Micrologus verò, ſeu Micrologi Auctor, qui Seculo XI. vixit, *cap. 30.* hæc habet: *Quidam infra Adventum Domini Caſulis pro Dalmaticis utuntur: quidam more ſolito veſtiuntur, eò quòd Miſſam ad Tertiam, & Alleluja, ſicùt tota æſtate dicunt.* Ruperto tamen ſuffragatur communis uſus Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Quòd autem Caſulas, pro Dalmaticis & Tunicis, Diaconis & Subdiaconis concedi dicit: *Iis ſanè non ſic utuntur,* inquit Rupertus idem, *ut in ipſis legant, vel miniſtrent, ſed lecturi, aut miniſtraturi illas exuunt, manifeſtè profitentes, illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum ordinem ſibi debitam, ſed propter Dominicæ, vel alicujus Feſti reverentiam, ſe accipere accommodatam, ut inopem, atque indecentem conſolentur exſpoliationem.* Et hic quidem eſt univerſalis uſus Eccleſiæ; ſed Diaconus in cantando Evangelio, & miniſtrando Celebranti, Planetam quidem plicatam exuit, ſed vel eandem ſuper humerum ſiniſtrum revolvit, vel loco illius, ut mox diximus, Stolam latiorem, & Stola ſua ſolita breviorem (quam ad modum Faſciæ criſpatæ nonnulli deſcribunt, præſertim Claudius de Vert *tom. 2. pag.* 340. cujus uterque limbus ſub latere dextero vitta ſerica ligatur) induit: & hæc ſint ſatis de origine uſus tum Planetarum plicatarum, tum Stolæ latioris.

V. Dominica prima Adventus, eſt Dominica major primæ claſſis, & ex illis ità privilegiatis, ut quodcunque Feſtum in illis occurrens illis cedere, ac transferri debeat in diem aliam non impeditam, imò ſi etiam alicubi Titulus, aut Feſtum Patroni, v. g. S. Andreæ Apoſtoli, in hanc Dominicam incidat, & quidem non ſine ingenti, ad celebrandum tale Feſtum, Populi concurſu; non ideò tamen in tali Eccleſia cantari poſſunt duæ Miſſæ, una de Dominica, ſine *Gloria in excelſis,* in paramentis violaceis, & planetis plicatis,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſt Tertiam; altera de Feſto dicti S. Andreæ, in paramentis coloris rubri, cum *Gloria* & *Credo*, poſt Sextam, ùt aſſerit noſter Caſtaldus *lib. 3. ſect. 1. cap. 2. num. 4.* Conſtat enim ex recentiori Miſſalis Rubrica de Translatione Feſtorum *tit. 6.* quòd in tali caſu unica tantùm Miſſa de Dominica prima Adventus cantari poteſt, & de quacunque etiam primæ claſſis in illam incidente Sollemnitate omittitur Miſſa; quæ Rubricæ diſpoſitio circa 1. Dominicam Adventus facta fuit in noviſſima recognitione Rubricarum, poſtquàm Caſtaldus edidit ſuam praxim Ceremon. & ideò tenebat præfatam ſuam ſententiam, quam modò amplecti non poſſumus.

Si Vigilia S. Andreæ venerit in Adventu, Miſſa erit de Vigilia, de qua tamen nulla fit in Laudibus commemoratio; quòd ſi occurrat aliquod Feſtum 9. Lectionum, duplex vel ſemiduplex, in dicta Vigilia, in Miſſa de Sancto ſecunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quamvis alioquin Miſſa Vigiliæ præferatur Miſſæ Adventus; in fine verò dicetur Evangelium S. Johannis; atque idem fiet in Vigilia S. Thomæ; niſi tamen occurrat in Quatuor Temporibus, nam tunc dicetur Miſſa de Quatuor Temporibus, cum commemoratione Vigiliæ, ſed ſine Evangelio ejuſdem in fine. Si verò in dicta Vigilia S. Andreæ occurrat Feſtum aliquod primæ claſſis, putà Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, vide infrà quid agendum?

In Sabbatis hujus temporis non impeditis Officio, aut Feſto 9. Lectionum, licèt Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis de ea (ſcilicet *Votiva de S. Maria ab Adventu uſque ad Nativitatem Domini*, quæ incipit *Rorate*) in paramentis Albi, cum commemoratione de Adventu, & cum tertia Oratione de Spiritu Sancto, aut de Feſto ſimplici, ſi tale occurrat. Si verò in prædictis Sabbatis occurrant *Quatuor Tempora, vel Vigilia aliqua*, tunc Miſſa principalis erit de Sabbato Quatuor Temporum, vel de Vigilia. Cæterùm in prædicta Miſſa S. Mariæ in Sabbato hujus temporis dicetur *Gloria* ſine *Credo*, Oratio ſecunda, & tertia, ùt ſuprà; Præfatio de S. Maria, *& Te in veneratione*; & in fine *Ite Miſſa eſt*, & Evangelium S. Johannis. Quamvis autem in prædictis Sabbatis, in quibus Officium & Miſſa diſcordant, color Paramentorum Sacerdotalium debeat eſſe conformis *Miſſæ Votivæ* de S. Maria, atque adeò albus, color tamen Altaris, nempe *Antipendii &c.* ſequitur Officium, atque adeò eſt violaceus, excepta Miſſa ſollemni, in qua eſt albus. Ita etiam ſentit Gavantus *part. 1. tit. 8. in fine.*

Diximus ſuprà, Miſſam principalem, ſeu Conventualem, debere eſſe de S. Maria; nam ad Miſſas privatas quod attinet, ùt notat Halden *part. 1. tit. 64. pag. mihi 299.* reſumi debet (per ſe loquendo) etiam in Sabbatis Adventus, in quæ nec Feſtum 9. Lectionum, nec Feria Quatuor Temporum, nec Vigilia aliqua incidit, Miſſa Dominicæ præcedentis ſine *Gloria* & *Credo*, ac ſine *Alleluja* & ℣. ſequenti poſt Graduale. & in ea ſecunda Oratio erit *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis*: tertia verò *Eccleſiæ*, vel pro *Papa*, niſi facienda ſit commemoratio ſimplicis; tunc enim ſecunda Oratio eſt de ſimplici; tertia *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis*; Præfatio communis, in fine *Benedicamus, & Evangelium S. Johannis, &c.*

Dictum eſt, quòd *per ſe loquendo* reſumi debet Miſſa de Dominica, &c. quia licèt Rubricæ non præſcribant, ut Miſſæ etiam privatæ in hujuſmodi Sabbatis dicantur de B. M. V. ſed tantùm loquantur de Miſſa principali, ùt patet ex Tit. IV. primæ Partis Rubric. 2. non tamen prohibent eas Miſſas privatas de eadem B. M. V. Immò etiam convenienter dicuntur de ipſa in eo caſu, *cùm Miſſæ Votivæ Privatæ* dici poſſint, quocunque die non occurrit Officium duplex, aut Dominica, aut talis Feria, in qua etiam de Feſto duplici

facere Miſſam eſt prohibitum, de quibus egimus ſuprà.

Si quis in Feriis Adventus Sacrificium celebret de Feſto aliquo ſimplici, v. g. de S. Saba Abbate, vel de S. Melchiade Papa, & Martyre, vel etiam de Sancto, cujus Feſtum eo die occurrit, præſertim ſi ad ejus Altare ſacrum fiat, licèt tale Feſtum non ſit in Kalendario notatum, debet in eo ſacro dicere *Gloria in excelſis*; atque eadem eſt ratio in Feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, & Vigiliarum: & in iſtis quidem Feriis dicetur Evangelium earum in fine Miſſæ, quia iſta Miſſa non eſt Votiva.

Toto Adventus tempore in Miſſa ſemper fit commemoratio de Feria, quocunque Feſto adveniente, non tamen dicitur ultimum Evangelium de Dominica infra hebdomadam in fine; dixi quocunque Feſto adveniente, etiam primæ claſs. quia iſtæ ſunt Feriæ majores. Si quæ Vigilia occurrat in hujuſmodi Feriis, quando in iis occurrit Feſtum primæ claſſis, tunc quamvis fieri debeat commemoratio Feriæ, omitti tamen debet commemoratio Vigiliæ, ùt ſtatuunt Rubricæ, quæ habentur Tit. III. primæ Partis *n.* 2. in fine, & in Tit. VII. *n.* 2. in fine; & hoc etiam deducitur ex his, quæ tradit Caſtaldus *libr.* 2. *ſect.* 6. *n.* 18. & ex iis, quæ tradit Bauldry *part.* 4. *cap.* 1. *n.* 11. dicens, quòd ſi in Vigilia S. Andreæ occurrat Feſtum Patroni, ùt Toloſæ Feſtum S. Saturnini, non dicitur Miſſa de Vigilia, nec fit commemoratio. Halden tamen *part.* 3. *tit.* 6. §. 13. *pag.* 200. advertit, quòd in prædicta Rubrica generali tertia, in qua dicitur, quòd ſi Vigilia occurrat in die alicujus Feſti ex majoribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de eo, neque in Officio; advertit, inquam, quòd ibi eſt ſermo de Vigilia minori, unde excipit ab hac regula Vigiliam Epiphaniæ, de qua, quocunque Feſto occurrente, debet fieri commemoratio in Veſperis, Laudibus, & Miſſa. Idem pariter docet ibidem infrà *pag.* 209. *in fine*, aſſerendo, quòd de Vigilia minore, quæ jejunatur, ſi in eam incidat Feſtum primæ claſſis tunc de hujuſmodi Vigilia nihil omnino faciendum eſt, tàm in Officio, quàm in Miſſa ejuſmodi Feſti primæ claſſis.

Dominica ſecunda Adventus, nec non tertia, & quarta, ſunt 2. claſſis, quapropter ſi Feſtum primæ claſſis, putà Patroni, aut Titularis in eas incidat, fit de tali Feſto cum commemoratione Dominicæ, tam in Officio, quàm in Miſſa, ac illius Evangelium legitur in fine Miſſæ. Verùm ſi in quarta Dominica occurrat Vigilia Nativitatis Domini, tunc de prædicto Feſto primæ claſſis nihil fit, ſed transfertur in primam diem non impeditam. In hebdomadibus ſequentibus ad dictas Dominicas, Officium & Miſſæ ordinantur reſpectivè ad normam Dominicæ & hebdomadæ primæ Adventus.

Dominica tertia Adventus (dicta *Dominica Gaudete* ab Introitu ſuæ Miſſæ) cum ſua hebdomada habet aliquid diverſi, & quoad Officium, & quoad Miſſam, ab aliis Dominicis & hebdomadis Adventus. Circa ea, quæ ad Officium ſpectant, ſermonem habebimus in ſecundo Tomo hujus theſauri, in quo tractabimus cum noſtro Auctore de Rubricis ad Breviarium ſpectantibus; ad Miſſam verò quod attinet præfatæ Dominicæ tertiæ, jam diximus ſuprà, quòd Diaconus, & Subdiaconus, in tali Dominica, & infra hebdomadam ſequentem, quando tamen repetitur Miſſa Dominicæ, utuntur Dalmatica, ac Tunicella, item quòd Altare aliquantulùm ſollemnius parari debet, & inter candelabra apponenda ſunt vaſcula cum floribus, ſive etiam, ubi habentur, Sanctorum Imagines, vel Reliquiæ. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 1. *n.* 3. Denique in eadem Dominica pulſantur Organa in ſignum lætitiæ. Olim hæc Dominica adeò celebris habebatur, ut in Palatio Apoſtolico ipſemet Pontifex Miſſam ſollemniter celebrare conſueverit præcedentibus Veſperis Papali-

bus

bus, proût in ſollemnioribus, ſicùt ait Marcellus Corcyrenſis in Ceremoniali Romano *lib. 2. cap. 6.* &ex eo Caſtaldus *ſuprà cit.*

Poſt hanc Dominicam, & infra ſuam hebdomadam ſequentem, occurrunt quatuor Tempora in Hyeme, de quibus in Titulo ſequenti.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. II. De quatuor Temporibus Adventus.

I. Gavant. pag. 175. col. 1. num. 1. *A Calliſto ſtatutum eſt celebrari quatuor Tempora, &c.)* Calliſto Romano Pontifici, qui Anno 217. in Throno Apoſtolico collocatus fuit, refert Gavantus Decretum, quo ſtatuitur, ut quatuor Temporum jejunium ubique ſervandum ſit. Verùm cùm Eminentiſs. Baronius Anno 865. Epiſtolarum Decretalium, quæ ſub nomine Iſidori (quicunque iſte fuerit) circumferuntur, & quæ Siricium Papam præceſſerunt, falſitatem agnoſcat, & apertè fateatur; & quoniam (ùt alibi diximus) ab aliis eruditis ferè omnibus præfatæ epiſtolæ tanquam ſuppoſititiæ rejiciantur, utpote quæ ſub finem ſeptimi ſeculi pia fraude confictæ, ùt ait Card. Bona *lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 3.* & ex ſententiis veterum Canonum, Legum, etiam civilium, & Sanctorum PP. qui quarto, & quinto ſeculo floruerunt, magna ex parte contextæ fuerint, hinc certa fides ejuſmodi epiſtolis non eſt adhibenda, quapropter tutò non poſſumus cum Gavanto tribuere Calliſto præfatum Decretum inſtitutionis Quatuor Temporum; & reverà S. Leo, qui de memoratis Quatuor Temporum jejuniis differit *ſerm. 7. 9. & 11.* nunquam prodit talium jejuniorum inſtitutorem, quem profectò non omiſiſſet, ſi Calliſtus fuiſſet illius Decreti Auctor.

II. Gavant. ibid. eodem num. 1. *Sed anteà ab Apoſtolis tradita fuiſſe, Sanctus Leo docet, &c.)* Hic Gavantus adhæret S. Leonis ſententiæ, qui præſertim ſermone I. V. & VIII. ùt infrà videbimus, jejunia iſta ab Apoſtolica inſtitutione emanare adſtruit; & hinc concludit, Calliſtum Decreto ſuo (de quo ſatis ſuprà) tantùm firmaſſe talem uſum, & quator jejuniorum Tempora diſtinxiſſe. Etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis *in lib. de Offic. cap. 37. & 38.* nec non Rabanus *lib. 1. Inſtit. cap. 18.* aliique opinati ſunt, jejunia iſta Apoſtolicæ inſtitutionis eſſe, atque poſt eos prædictarum ante Siricium Decretalium conſarcinator aſſerit, in allegato Decreto, ab Apoſtolica traditione acceptum eſſe Quatuor Temporum jejunium.

In eadem pariter verſatur ſententia eruditiſſimus Thomaſſinus in ſuo Tractatu hiſtorico & dogmatico de jejunio Gallicè elucubrato *cap. 21. n. 7.* quam ſententiam ego quoq; lubenter amplector, innixus teſtimoniis, & auctoritati S. Leonis Magni, qui ſermone primo de jejunio decimi Menſis ait: *Tria ſunt, quæ maximè ad Religioſas pertinent actiones, oratio ſcilicet, jejunium, & eleemoſyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum; ſed illud eſt ſtudioſiùs obſervandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum; ſicùt etiam decimus hic menſis morem refert veteris inſtituti, ut tria illa, de quibus locutus ſum, diligentiùs exequamur.* Sermone verò quinto hæc tradit: *Huic autem operi cùm omnia opportuna ſint tempora, hoc nunc præcipuè aptum eſt, atque conveniens, in quo SS. PP. noſtri divinitus inſpirati decimi menſis ſanxere jejunium.* Et tandem ſermone octavo vocat jejunia hæc Eccleſiaſtica, utens his verbis; *Hujus obſervantiæ utilitas in Eccleſiaſticis præcipuè eſt conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus ita per totius Anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadrageſima, Æſtivum in*

*Pentecoſte, Autumnale in menſe ſeptimo, Hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Acquieſcere igitur non poſſum aſſertionibus Grancolaſii, qui Comment. Hiſtor. in Breviarium Romanum *lib.* 2. *cap.* 9. (ex quo Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, & Auguſtinus, qui de jejunio pluribus in locis ſermonem habuerunt, ne verbum quidem de Quatuor Temporum jejuniis fecerint) infert, nullum Quatuor Temporum veſtigium in tota antiquitate extare. Verùm magno detinetur errore Vir alioquin doctus, cùm ex ſilentio præfatorum PP deducere nemo poſſit, jejunia Quatuor Temporum antiquis illis Eccleſiæ temporibus incognita fuiſſe. Ad confutandam ſiquidem hanc Grancolaſii illationem, ſatis ſuperque ſunt ſuprà à nobis adducta teſtimonia ſapientiſſimi Leonis Magni, qui decimo tantùm à S. Auguſtini obitu anno Romanam ſuſcepit regendam Eccleſiam. Prædictus Pontifex hujuſmodi jejunia, ùt liquet ex ſuprà allegatis, & ex aliis ſuis ſermonibus, pluries ad inſtituta veterum PP. & ad Apoſtolicam traditionem refert, quod profectò non docuiſſet maximus ille Pontifex, ſi nullum hujus rei veſtigium temporibus SS. Hieronymi, & Auguſtini, quorum ipſe ſynchronus fuit, extitiſſet. Igitur præfato Grancolaſio aſſentiri nequaquam poſſumus, nec ſilentium PP. apertiſſimæ Leonis Magni auctoritati præponere; quamquam immeritò Auguſtini ſilentium nobis opponat; etenim hic S. Doctor *epiſt.* 86. quæ eſt *ad Caſulanum*, poſtquàm dixerat peculiarem eſſe Romanæ Eccleſiæ morem, Feria quarta, ſexta, & Sabbato, per annum jejunandi -- *Chriſtianos, qui quarta, & ſexta Feria, & ipſo Sabbato jejunare conſuevit, quod frequenter Romana plebs facit*: quod quartæ, ſextæque Feriæ jejunium arbitrarium fuiſſe toto temporis anno putat Thomaſſinus *loc. cit. n.* 15. ſubdit idem S. Doctor: *Videat quàm afficit contumelia ipſam Romanam Eccleſiam, ubi bis hebdomadibus, in quibus quarta, & ſexta, & Sabbato jejunatur, tribus tantùm diebus continuis, Dominico ſcilicet, & deinde ſecunda, & tertia prandetur.* Quibus verbis S. Auguſtini indicantur profectò jejunia Quatuor Temporum; nam quænam erunt aliæ hebdomadæ, in quibus quarta, & ſexta Feria, nec non Sabbato jejunari debebat à tota Romana Eccleſia, niſi hebdomadæ illæ per Quatuor Anni Tempora ſolitæ jejunio celebrari? Præfata Auguſtini verba, ùt notat Thomaſſinus *loc. cit. n.* 2. omnem removent difficultatem, quæ ex illis verbis S. Leonis, ad calcem omnium ſermonum de iſto jejunio appoſitis, ſuboriebatur; nimirum: *Igitur* (hæc ſunt verba Leonis) *Feria quarta, & Feria ſexta jejunemus, Sabbato autem Vigilias apud S. Petrum faciemus*, quæ Leonis verba aliqui ita acceperunt, ut opinarentur, in Sabbatis Quatuor Temporum Romæ jejunium ſervatum non fuiſſe, ita ut aliam Feriarum illarum obſervantiam, aliam Sabbati fuiſſe, intellexerint, cùm huic ſolas Vigilias deputet, illis verò jejunandi neceſſitatem affigat S. Leo.

Verùm ea profectò non fuit Leonis mens; ſed hoc potiùs intendit, & indicare voluit, ut in Sabbato ultra jejunium, Vigiliæ ſuperadderentur. Sicùt enim neceſſe erat, ut aliarum Feriarum jejunium in illis hebdomadibus indiceretur Chriſtianæ plebi, cui non erat aliis hebdomadibus præceptum, ſed tantùm arbitrarium, ita omnino fuiſſet ſupervacaneum de jejunio Sabbati mentionem facere, cùm jam peculiari lege à conſuetudine ad Sabbaticum jejunium per omnes anni hebdomadas, ùt ſuprà diximus, Romani adſtringerentur.

Opponi fortaſſe poſſet formula, qua utitur S. Gelaſius in ſuo Sacramentario pag. 113. -- *Hortamur Sanctam Fidem veſtram, ut quarta, ſexta, vel ſeptima Feria jejunemus*: ex quibus jejunium Sabbati Quatuor Temporum videtur uniuſcujuſque arbitrio fuiſſe

reli-

relictum -- Affirmare tamen neceſſariò debemus particulam *vel* hoc loco vim conjunctionis habere. Etenim in Ordine Romano ab Hittorpio vulgato, quamvis pag. 22. adhibeatur etiam particula *vel*, ùt in Sacramentario Gelaſiano; nihilominùs pag. 60. trium Feriarum jejunium diſtinctè præcipitur per particulam *&* -- Jejunium faciant quarta, & ſexta Feria, & in Sabbato -- ex quo palàm fit, Ly *vel* copulativè eſſe ſumendum; neque hujus rei deſunt exempla tam apud Eccleſiaſticos, quàm apud prophanos Scriptores. Inſignis eſt Sancti Maximi locus homil. 1. de Epiphania, quæ legitur 5 die infra Octavam Epiphaniæ, in Hierolex. verbo *vel*, à Dominico Macrio relatus -- *Ferunt hodie Chriſtum Dominum noſtrum, vel Stella duce à Regibus adoratum, vel invitatum ad Nuptias, vel ſuſceptum à Joanne baptiſmate, &c.* ubi *vel* ſtat loco *&*; nam in die Epiphaniæ de illis tribus miraculis copulativè Eccleſia mentionem facit. Egregiè iſta firmantur ex epiſtola Sancti Leonis ad Dioſcorum pag. 436. edit. recentioris Pariſienſis, ubi loquens de Ordinationibus die Dominico celebrandis, Sabbati jejunium expreſsè commemorat, *Ejuſdem obſervantiæ* erit, ſi manè, ipſo Dominico die continuato, Sabbati jejunio *celebretur* ordinatio. Gelaſii etiam Epiſtola nona perſpicuè nos docet, Sabbatum Quatuor Temporum fuiſſe jejunio conſecratum. Quapropter dubitare nullus poteſt, quin magno in errore verſentur contrariæ opinionis Auctores.

Prædicta Romana conſuetudo jejunandi Quatuor temporibus, etiam in Hiſpania ſervabatur; D. enim Iſidorus *lib.* 1. *de divinis Officiis cap.* 36. mentionem facit de jejunio Quadrageſimæ, *cap.* 27. de jejunio Pentecoſtes, *cap.* 38. de jejunio ſeptimi menſis, & *cap.* 39. de jejunio Kalendarum Novembris, ex quibus liquet, quòd Iſidorus aliter ac Roma conſueverat, collocat hoc poſtremum jejunium, & præter quatuor illa jam deſcripta, aliud etiam aſſignat jejunium *cap.* 40. quod eſt Kalendarum Januar. qua die jejunium ab Eccleſia mandatum erat, ut obex poneretur inſanis, atque inhoneſtis ludis, jociſque, qui Kalendis Januariis fieri antiquitus ſolebant. Hinc aliquod inter Eccleſias diſcrimen fuit circa Quatuor Temporum jejunia, neque Romanus mos firmiter per totum Occidentem ſtabilitus fuit, niſi Papæ Victoris II. tempore Anno 1054. vel Gregor. VII. Anno 1073. ùt fatetur etiam Thomaſſinus *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. vel etiam ſub Urbano II. in Synodo Claromontana habita Anno 1095. Poſt prædictos Pontifices in omnibus Eccleſiis Occidentalibus firmata fuit uniformitas talium jejuniorum.

Prædicta quatuor jejunia octavo ſeculo in Gallia pariter obſervata reperiuntur, & ſeculo IX in Concilio Moguntino celebrato Anno 813. *Can.* 34. & in Capitularibus Caroli Magni *lib.* 5. *cap.* 86 accepta fuere Anno 769. *Conſtituimus*, ait Concilium Moguntinum, *ut Quatuor Anni Tempora ab omnibus cum jejunio obſerventur, ùt eſt in menſe Martii hebdom.* 1. *in menſe Jun. hebdom.* 2. *in menſe Septembris hebdom.* 3. *& in menſe Decembris hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicùt eſt in Romana Eccleſia traditum.* In prædictis verò Capitularibus editis à Baluz, *tom.* 1. *pag.* 192. hæc leguntur: *Ut jejunium Quatuor Temporum & ipſi Sacerdotes obſervent, & plebi denuncient obſervandum*; pag. verò 954. *Doceant Presbyteri Populum quatuor legitima Temporum jejunia obſervare, hoc eſt menſe Martio, Junio, Septembrio, & Decembrio, quando Sacri Ordines juxta ſtatuta Canonum diſtribuuntur.*

Ex his Conciliorum ſanctionibus, Grancolas, aliique Scriptores collegerunt, hanc diſciplinam ſeculo tantùm octavo in Gallias invectam fuiſſe. Verùm Natalis Alexander Diſſert. quarta in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi ſecundi Art. 4 ex ipſo Leone eruditè demonſtrat, Quatuor Temporum jejunia ſeculo V. ab univerſa ſaltem Occidentali Ec-

cleſia fuiſſe religioſè obſervata. Nos unum hìc Leonis textum afferemus ad hujus veritatis comprobationem, ex ſermone quarto de jejunio ſeptimi menſis deſumptum: *Quamvis*, inquit Pontifex, *unicuique noſtrûm liberum ſit, voluntariis caſtigationibus proprium corpus afficere, & nunc moderatiùs, nunc verò diſtrictiùs repugnantes Spiritui carnales concupiſcentias edomare: quibuſdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc eſt efficacior, ſacratiorque devotio, quando in operibus pietatis totius Eccleſiæ unus animus, & unus eſt ſenſus.* Quapropter dicendum, prædictis Conciliorum Decretis ſtatutam quidem fuiſſe uniformitatem temporis in obſervantia hujuſmodi jejuniorum cum Eccleſia Romana, non autem ipſa jejunia, quæ jam antiquitus etiam in Galliis obſervabantur.

Ad Eccleſiam verò Mediolanenſem quod attinet, Grancolas *loc. ſupracit.* aſſerit, quòd ante S. Carolum præfata Quatuor Temporum jejunia nuſquam ſervata fuerint, & quòd idem S. Antiſtes primus omnium ea ſervari curaverit in ſua Provincia. Verùm ex Decreto ſui quarti Concilii Provincialis, quod eſt *de jejuniis quatuor Temporum*, colligi quidem poteſt, in Eccleſia Mediolanenſi S. Carolum inſtauraſſe collapſam jam diſciplinam prædictorum jejuniorum, non verò ab initio inſtituiſſe. *Sacra quatuor jejuniorum Tempora* (hæc ſunt præciſa verba Decreti) *S. Spiritus doctrina ſalutariter inſtituta ſunt olim, & frequenti Fidelium conventu, & ſollemni celebritate, & religioſo Supplicantium officio colebantur, &c. in illorum cultum Paſtorali cura eruditis Fidelium mentibus, in uſum antiquæ pietatis revocanda ſunt; quare in omni Provincia noſtræ Eccleſia, &c. . . . . . ſollemnibus his Feriis, quarta ſcilicet, ſexta, & Sabbato, pro antiqua devotionis conſuetudine, frequentioris Miſſæ ſacro, diviniſque Officiis, ùt in Moguntino Concilio I. cautum eſt, interſint: Orationes, Jejunia, Eleemoſynas, cæteraque pietatis opera præſtent.*

III. Gavant. pag. 175. col. 1. eodem n. 1. *Cùm ea, quæ Vere habentur, coincidant cum Quadrageſima, &c.* Romæ etiam per longum tempus tria tantùm tempora numerabantur; ex eo quòd jejunium menſis Martii cum Quadrageſima confunderetur. Hinc in Sacrament. Gelaſiano, ſeu lib. 1. Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ à Card. Thomaſio edito *num.* 82. *pag.* 113. habetur denunciatio jejuniorum quarti, ſeptimi, & decimi menſis, & in eodem Sacramentario nulla fit mentio jejunii primi menſis, non alia profectò ratione, niſi quia hoc confundebatur cum jejunio Quadrageſimali. Rurſus Concilium pariter Cloveshovienſe ſecundum celebratum Anno 747. *Can.* 18. recenſet ſolummodò jejunium trium Temporum dicendo: *Octavo decimo ſtatutum eſt mandato, ut jejuniorum Tempora, id eſt quarti, ſeptimi, & decimi menſis nullus negligere præſumat.* Denique Atto Vercellenſis Epiſcopus, qui decimo ſeculo floruit, trium Temporum morem, qui in Italia adhuc vigebat, in alium quatuor Temporum, qui ubique ferè alibi exprimebatur, mutavit. Decretum igitur illud Calliſti à Gavanto allegatum ſemper magis dubium mihi eſt, utrùm ſit verè authenticum, cùm in eo expreſsè ſtatutum reperiatur, jejunium per Quatuor Tempora fieri debere, de qua diſtinctione Quatuor Temporum nulla fit mentio, ne in Sacramentario quidem Gelaſiano, cùm in eo ſolùm habeatur ſermo de jejuniis quarti, ſeptimi, & decimi menſis, non verò primi menſis, ob rationem ſuprà allegatam.

De præfatis Quatuor Temporibus, & de jejuniis in eis ſervandis, eruditè diſſeruit citatus Thomaſſinus *in ſuo Tract. Hiſtorico de jejunio part. 1. cap. 21. & part. 2. cap. 18.* Itaq pariter de prædictis jejuniis eruditas inſtituit Diſſertationes Bailet, & denique memoratus Grancolas *loc. cit.* & recentiſſimè edidit Tractatum de pertinentibus ad celebrationem jejunii Eccleſiaſtici Quatuor Anni Temporum, religio-

religioſiſſimus Vir Euſebius de SS. Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, referendo etiam omnia ea, quæ tradita ſunt à Bileth, & Durando, ſpectantia ad dictam materiam.

IV. Gavant. pag. 175. col. 2. num. 2. *Miſſa Feria IV. &c.*) Præter ea, quæ tradit Gavantus *hic*, pertinentia ad Miſſam, quæ celebratur in Feria IV. & aliis Quatuor Temporum, advertere etiam occurrit, quòd ſi in dictas Ferias Quatuor Temporum incidat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, aut dies Octava alicujus Feſti, v. g. Conceptionis B. M. V. tunc Miſſa dicitur de Feſto, aut de Octava, cum commemoratione de Feria, uti & de Vigilia, ac Feſto ſimplici, ſi unà incidant in Feriam aliquam dictorum Quatuor Temporum, nec non legetur ultimum Evangelium de eadem Feria Quatuor Temporum; in Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ Conventuales in ejuſmodi caſu, una ſcilicet de Feſto, aut de Octava poſt Tertiam, ſine commemoratione de Feria currente; altera verò de Feria currente Quatuor Temporum poſt Nonam, ſine commemoratione de Feſto, & in fine utriuſque dicitur Evangelium S. Joannis; in priore fit commemoratio de Feſto ſimplici, ſi quod occurrat, non autem de Vigilia, ſi quæ pariter occurrat; in poſteriore verò fit commemoratio de Vigilia, non item de Feſto ſimplici ſi idem incidat: ſi quæ autem tertio loco in utraque Miſſa Conventuali dicenda Oratio eſſet, tunc ſit ea, quæ item ſecundo, & tertio loco ponitur, ſi nec Vigilia, nec Feſtum ſimplex ſimul occurrat, ùt jam diximus ſuo loco.

Si verò non ipſa dies Octava alicujus Feſti, ſed tantùm dies aliqua infra Octavam incidat in Feriam aliquam Quatuor Temporum (uti Anno 1729. dies ſeptima infra Octavam Conceptionis B. M. V. nempe 14. Decembris incidit in Feriam quartam Quatuor Temporum in Hyeme) tunc quamvis Officium dicatur de die infra Octavam, Miſſæ tamen, non ſolùm Conventualis, ſed etiam Miſſæ planæ, non excluſis Miſſis Votivis, & Defunctorum, debent dici de Feria IV. Temporum, ùt alibi diximus, præſertim in Tit. de Feria, & Vigilia, in prima Parte hujus theſauri; in quo caſu color Altaris extra Miſſam principalem concordat cum Officio; color verò paramentorum Celebrantis concordat cum ipſa Miſſa, ùt ſuprà etiam innuimus. Dicitur, inquam, in dicto caſu Miſſa de Feria, ſine *Gloria* & *Credo*, cum commemoratione de Octava, ac tertia Oratio de Spiritu Sancto, non autem *Deus, qui de Beata, &c.* ùt malè contra Rubricam generalem nonam Miſſalis *n.* 9. & contra Directorium Romanum nonnemo poſuit. Præfatio autem in tali occurrentia non dicitur communis, ùt *part.* 1. *tit.* 12. *lit. C.* tradit noſter Gavantus, quem ſecutus eſt Pittonus à nobis alibi allegatus, nec non Halden *part.* 1. *tit.* 66. *de Dominica & hebdomada tertia Adventus pag. mihi* 307. ſed debet dici Præfatio de Conceptione B. M. V. ùt fusè demonſtravimus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad dictum Titulum XII. *num.* 7. & ùt docet etiam prædictum Directorium Romanum ad dictum Annum 1729. Rurſus in dicta occurrentia, ùt *loco cit.* diximus in Tit. *de Feria, & Vigilia*, & alibi etiam, agentes de Miſſa Conventuali: in Collegiatis, & Cathedralibus, non debent cantari duæ Miſſæ Conventuales, una de Octava, altera de Feria, ſed unica tantùm, & ea de dicta Feria cum commemoratione Octavæ.

Hæc omnia confirmantur per Decretum recentiſſimè emanatum, dum hæc folia prælo ſubjicerentur, quod Decretum datur in noſtro Indice ſub *num.* 683.

V. Gavant. ibid. eodem num. 2. *Duas habet Lectiones, &c.*) In prædictis Feriis Quatuor Temporum, uti & in aliis, in quibus dicendæ ſunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie Eleiſon* in medio

Altaris,

Altaris, revertitur ſtatim Celebrans ad cornu Epiſtolæ, non vertendo ſe ad populum, nec dicendo *Dominus vobiſcum*; ſed ibi ſtans ante librum, extenſis, & mox junctis manibus ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit: *Oremus, &c.* & (niſi currat tempus Paſchale, ùt in Quatuor Temporibus Pentecoſtes) ſubnectit *Flectamus genua*, & illico genuflectit unico genu, & ſtatim ſine mora ſurgens, Miniſtro reſpondente: *Levate*; manibus extenſis dicit ante primam Prophetiam, ſeu Lectionem, illam ſolummodò Orationem, quæ cum Officio illius Feriæ concordat, cæteras verò Orationes Miſſæ illi Feriæ convenientes, dicit ante Epiſtolam, hoc eſt ultimam lectionem ejus Miſſæ, ùt videre eſt in Miſſali ſuo loco.

VI. Gavant. pag. 175. col. 2. num. 3. *in Feria VI. &c.*) Si in Feria VI. vel in Sabbato ante Dominicam quartam Adventus occurrat Feſtum S. Thomæ Apoſtoli, tunc Officium, & Miſſa fiunt de Feſto; de Feria verò quatuor Temporum fit commemoratio in Laudibus, ac in Miſſis privatis, & in quibus dicetur ultimum Evangelium de eadem Feria Quatuor Temporum. In Miſſa verò ſollemni nulla fiet commemoratio dictæ Feriæ, quia de ea poſt Nonam cantatur alia Miſſa abſque ulla Feſti S. Thomæ commemoratione.

VII. Gavant. pag. 175. col. 2. n. 4. *In Sabbato verò ratione ſeptem Ordinum, &c.*) Primis Eccleſiæ ſeculis, quibus non opus erat multiplicandi ſacros Miniſtros, ùt hodie urget neceſſitas, non ſolùm alibi, ſed etiam Romæ unica celebrabatur ordinatio per annum, & hæc quidem menſe Decembri ob Natalis Feſtum, ideoque ad anni finem, ut in proximo eſſent ad Eccleſiam ſub proximè ſequentis anni initium deſerviendam; & hinc toties in fine hiſtoriæ Pontificum hæc clauſula ſubjicitur: fecit ordinationes menſe Decembri, &c. Urgente deinde, ùt dixi, neceſſitate multiplicandi Miniſtros ſacros, eorum ordinatiò pariter per annum multiplicabatur, & nulli tempori fixa erat, ſed proùt Eccleſiæ neceſſitas ferebat, quocunque tempore, ùt Græci vel hodie faciunt, ordinatio celebrabatur. Nonniſi circa quintum Eccleſiæ ſeculum Dominicis tantùm diebus ordinationes fieri cœperunt, cujus rei clarum extat teſtimonium in Epiſtola ſecunda S. Leonis Magni, in qua Dioſcorum Alexandrinum hortatur ad hunc Eccleſiæ Romanæ morem ſervandum, circa tempus ordinationum, nimirum tantùm nocte, quæ eſt inter Sabbatum, & Dominicam, jubendo præterea, ut, qui ordinationem celebrabunt, jejuni ſint, atque jejunium Sabbati uſque ad Dominicam producant, & nonniſi poſt abſolutam ordinationem cibum ſumant. Ceremonia circa noctis medium peragebatur, & ad lucem uſque perdurabat, ſi e uſque ad Dominicæ auroram. Poſteà hæc ceremonia ad Sabbati veſperam retracta fuit; cùm enim à jejunis præſtari deberet, hinc occaſio ſumpta eſt decimo, vel undecimo ſeculo, præveniendi antè dictam ordinationèm, ob difficultatem ſervandi tanto tempore jejunium. Ex prædictis factum eſt etiam, quòd iſtæ Dominicæ appellabantur vacantes, quia nempe proprias Miſſas non habebant, Miſſaque de ordinatione, quæ Dominica die ſummo mane fiebat, pro ejuſdem Dominicæ Miſſa reputabatur: unde ad nos derivavit conſuetudo, quatuor Temporibus Decembris, & Quadrageſimæ, idem Evangelium Sabbato, & Dominica, ad Miſſàm dicendi. Ob eandem etiam rationem in veteribus Sacramentariis ante nonum ſeculum, atque antequàm ordinatio huic Sabbato adnecteretur, habetur Epiſtola, & Evangelium, quæ Romæ dicebantur Dominica ante Natale. Hic mos tandem penitus obſolevit, ordinationes enim neque Dominica, neque veſpere Sabbati, ſed mane Sabbati fieri cœperunt in quatuor Temporibus, nec non in Sabbato ante Dominicam medianam, quibus Gelaſius

Papa, ut patet ex ſua Epiſtola 9. ſeu conſtitutione, quæ reperitur in Codice Thuanio cap. 7. Ceremoniam ordinationis affixit: *Ordinationes Presbyterorum, Diaconorumque, niſi certis temporibus, & diebus, exercere non audeant, id eſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac mediana Quadrageſimæ die Sabbati jejunio.*

VIII. Cùm hodie vigeat conſuetudo conferendi majores ordines etiam in die Sabbati Sancti, quæri poteſt, qua primùm ætate invecta ſit in Eccleſiam hujuſmodi diſciplina? Multi enim, tam Theologi, quàm Canoniſtæ, ſibi & aliis perſuaſerunt, hujus Ritus originem antiquiſſimam eſſe, & vel Leonem Magnum Auctorem, aut certè Reſtauratorem habuiſſe. Nuſquam in hanc opinionem viri docti deſcendiſſent, ſi attentiùs conſideraſſent Eccleſiaſtica monumenta, quæ de temporibus ordinationum accuratam mentionem fecerunt; nunquam enim ante Alexandrum III. quidquam inveniſſent, quod ſententiæ ſuæ patrocinium afferret. Et ut à ſeculo S. Leonis incipiam, Gelaſius paulò antè citatus in Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos definit, quibus temporibus ordinationes fieri debeant; de Sabbato autem Sancto penitus tacet -- *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum*, inquit, *niſi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, id eſt quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, & mediana hebdomada die Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandam.* Sanè haud quaquam video, qua ratione Canoniſtæ in iis verbis *die Sabbati* inveniant Sabbatum Sanctum, cùm certo certius ſit, Gelaſium id unum definire, ut ordinationes fiant tantùm in Sabbato quatuor Temporum, & in Sabbato hebdomadæ medianæ, & non in aliis diebus -- Gemina his habet Gregorius II. in Epiſtola ad Clerum, & Populum Thuringiæ -- *Ordinationes verò Presbyterorum, ſive Diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali, atque medio veſpere Sabbati noverit celebrandas.* Nulla etiam hìc Paſchalis Sabbati mentio, ſicuti etiam nihil de eo Sabbato decernitur in Synodo Romana ſub Zacharia anno 743. & Lemovicenſi ſub Benedicto IX. anno 1034. in quibus ordinationum tempora definiuntur. Denique Urbanus II. in Concilio Claramontano anno 1095. ſtatuit, ne fiant ordinationes niſi quatuor Temporibus, & Sabbato medianæ Quadrageſimæ, & tunc protrahatur jejunium uſque ad veſperas, & ſi fieri poteſt uſque ad craſtinum, ut magis appareat, in die Dominico ordines fieri -- Ubi Sabbatum Sanctum omnino ſiletur; his auctoritatibus addi poſſunt tum Romani, tum aliarum Eccleſiarum Ordines à Morino, Mabillonio, & Martene vulgati, qui licèt tempora, & Ritus ordinationum exactè deſcribant, de Sabbato Sancto tacent. Fidem autem omnem ſuperare videtur, quòd hujusmodi Ritus tot Pontifices atque Concilia latere potuerit, ſi jam à Leonis I. ætate viguiſſet. Certum ergo videtur, ante ſeculum duodecimum inauditam fuiſſe conſuetudinem conferendi ordines ſacros in die Sabbati Sancti -- Primum hujus moris veſtigium apparet in Reſcripto Alexandri III. ad Epiſcopum Herfordienſem, quod ita ſe habet -- *De eo autem, quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia quatuor Temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere, taliter reſpondemus, quòd licitum eſt Epiſcopis, Dominicis, & aliis Feſtivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promovere: ſed ad Subdiaconatum niſi in quatuor Temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.* Nec eſt, quòd quiſquam objiciat, Alexandrum III. in hac Epiſtola nihil de novo ſtatuere,

Gavant. Rubr. Miſſ.

ſed tantùm explicare, quid antiquitus in Eccleſia obſervaretur; nam ſi antiquitus ordines collati fuiſſent in Sabbato Sancto, & hujuſmodi Ritus in communem Eccleſiæ diſciplinam tranſiſſet ante ævum Alexandri III. id profectò non ignoraſſet Epiſcopus Herfordienſis; ignoravit tamen; poſtulabat enim à Pontifice, num liceret extra quatuor Tempora ordines miniſtrare? Quocirca ſtatuendum nobis videtur, conſuetudinem ordines conferendi in Sabbato Sancto originem habuiſſe inter Urbani II. & Alexandri III. tempora, niſi malimus aſſerere, ipſum Alexandrum III. hujus moris inſtitutorem fuiſſe.

Duo nobis opponere poſſe videntur, qui in adverſa opinione verſantur, primò Leonis Magni auctoritatem in Epiſtola ad Dioſcorum, in qua hæc ait -- Quod ergo à Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, à vobis hoc volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur: ſed poſt diem Sabbati ejus noctis, quæ in prima Sabbati luceſcit, exordia deligantur, in quibus his, qui conſecrandi ſunt, jejunis, & à jejunantibus ſacra Benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo Dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Reſurrectionis, ſicùt etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt, &c.

Hunc locum de ordinatione in Sabbato Sancto peragenda non modò Scholaſtici, & Canoniſtæ, verùm etiam veteres S. Leonis operum editores intellexerunt, unde Epiſtolæ ad Dioſcorum titulum hunc appoſuerunt, vel appoſitum confirmarunt -- *De ordinatione Presbyteri, aut Diaconi, ut Sabbato Sancto celebretur, id eſt die Dominico.* Præpoſteram eſſe hanc loci Leonini intelligentiam, magnis argumentis demonſtravit noviſſimus editor Operum S. Leonis, ac prorſus evicit, Pontificem magnum de quolibet anni Sabbato, & qualibet Dominica locutum fuiſſe -- Primò enim monumenta, quæ Leo adducit ad probandam conſuetudinem, quam Dioſcoro præſcribit, non tantùm pro Paſchali, ſed pro quacunque Dominica faciunt, mundi videlicèt exordium, miſſio Apoſtolorum, & Spiritus Sancti in illos deſcenſus, quæ omnia non die Paſchatis, ſed die tantùm Dominico contigerunt, Scripturæ etiam teſtimonia, & Apoſtolorum exemplum, quæ ex actibus Apoſtolicis afferuntur à Leone, non ſoli Dominicæ Paſchali, ſed omnibus æquè conveniunt, non enim Apoſtoli manus Paulo, & Barnabæ in ſollemnitate Paſchali impoſuiſſe leguntur -- Secundò, ſi de Sabbato, & Dominica Paſchali in hac Epiſtola ſermo inſtitueretur, fruſtra Leo adduceret in exemplum ipſum Paſchatis diem, ut probet, eam noctem, quæ ſequitur proximè diem Sabbati, ad diem Dominicum pertinere -- id tamen facit Leo, *ſicùt etiam in Paſcha Domini declaratur*, in quo videlicèt nox Sabbato Sancto ſuccedens feſtivitati Paſchali deputatur in officio Eccleſiæ, quod nunc apud nos die Sabbati ſummo mane celebratur; per illa verò tempora nonniſi poſt noctis ſubſequentis initia agebatur -- Tertiò, cùm Leo affirmet, in nocte tantùm Sabbati licere ordinationes fieri, niſi de quocunque Sabbato ejus verba capiantur, licebit tantùm ex mente Leonis ordinationes facere in Sabbato Sancto, quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Conſtat enim ex monumentis Eccleſiaſticis poſt Leonem, & ante ipſum, plurimos, tum Epiſcopos, tum Presbyteros, extra diem Paſchatis conſecratos fuiſſe -- Certè Leo Dominicam diem ordinationibus deſtinatam vocat Reſurrectionis diem, quod multis errandi occaſionem præbuiſſe videtur; ſed perquàm familiare eſt antiquis Scriptoribus, quamlibet anni Dominicam eo titulo inſignire. Et ne à Leone diſcedamus, ipſe in Epiſtola ad Tu-

ribium

rſbium *cap.* 4. teſtatur, Priſcillianiſtas jejunaſſe die Dominico, qui eſt dies Reſurrectionis Chriſti: videri etiam poteſt in hanc rem Amalarius *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 2.

Hoc unum ergo decrevit Leo, ut ordinationes Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, non qualibet anni die, ſed Dominica tantùm fierent, ſive in nocte, quæ Dominicam præcedit.

Alterum, quod noſtræ opinioni adverſari videtur, eſt quoddam fragmentum Epiſtolæ ad Epiſcopum Potentinum, quod ſub nomine Pelagii refertur à Gratiano *diſtinct.* 76. In eo verò Pontifex ad Urbem invitat quemdam Diaconum Eccleſiæ Grumentinæ ad Epiſcopatum Eccleſiæ Cluſitanæ electum, ut eum in Sabbato Sancto poſt Baptiſmum ordinare poſſit -- Ita verò habet fragmentum Epiſtolæ. Dilectionis tuæ ſcripta ſuſcepimus, quibus ſignificas Latinum Eccleſiæ Grumentinæ Diaconum ad Epiſcopatum Marcellionenſis Eccleſiæ, ſive Cluſitanæ ab omnibus fuiſſe electum: quod jam ante hoc tempus retuliſti; & juſſimus, ut veniret, credentes, eos de perſona ejuſdem ab Epiſcopo ſuo Dimiſſorias accepiſſe; quod ſi modò fecerunt, facite eum velociter ad Urbem Romam occurrere, ut ſi Deus juſſerit, in Sabbato magno poſt horam Baptiſmi ordinetur. Quòd ſi ante memoratum diem non occurrerit, cogetur uſque ad quarti menſis jejunia ſuſtinere.

Quàm parùm huic Epiſtolæ fidant ipſimet Canoniſtæ, planum faciunt Hallier, & Gonzalez, qui nequaquam eam in ſuæ ſententiæ patrocinium adducunt, ubi de ordinatione in Sabbato Sancto facienda ſermonem inſtituunt; unde probabile admodùm eſt, ipſis viſam fuiſſe ſuppoſititiam -- Et ſanè Epiſtola illa recta fronte pugnat cum veteri, recentique Eccleſiæ diſciplina, qua ſemper licitum fuit, quacunque Dominica conſecrare electos ad Epiſcopatum, quin neceſſarium foret expectare quatuor Tempora, quemadmodùm hæc Epiſtola apertè definit. Suppoſititiam itaque Epiſtolam putamus, quæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tot Pontificum, ac Conciliorum auctoritate munitæ, contraria eſt; & denuo concludimus, morem conferendi ordines in Sabbato Sancto inauditum fuiſſe ante ſeculum Eccleſiæ duodecimum.

IX. Gavant. pag. 176. col. 2. n. 6. *Dominica poſt Sabbatum ordinationis, &c.*) Dominica quarta Adventus, quæ eſt poſt Tempora Hyemalia (niſi in eam incidat *Vigilia Nativitatis Chriſti*, aut alicubi *Feſtum S. Thomæ*, ubi is, tanquam Patronus Loci, aut propriæ Eccleſiæ, eſt duplex primæ claſſis) ſicut Officium, ita & Miſſa dicuntur Ritu ſemiduplici ſecundæ claſſis de dicta Dominica, ùt in Miſſali deſcribitur, cum *Credo* ſine *Gloria*; quia tamen etiam poſt hanc Dominicam quartam Adventus aliquando occurrit una, vel altera, aut etiam plures quandoque Feriæ, in qua, vel in quibus, quando Officium fit feriale, Miſſa quoque prædictæ Dominicæ dicitur in talibus Feriis ſine *Gloria*, & *Credo*, omiſſo quoque poſt Graduale *Alleluja*, ac ℣. ſequenti, cum iiſdem tamen Orationibus, excepta Feria 2. in qua ſecunda Oratio eſt *Fidelium*, tertia autem *Deus, qui de B. M. V. &c.*

Si in Feriam II. aut aliam Feriam hujus hebdomadæ incidat Vigilia S. Thomæ, tunc nihil fit de Vigilia in Officio, ne commemoratio quidem, ſed totum dicitur de Feria currente, ſine commemoratione, ac ultima lectione de Vigilia, ùt ſuprà innuimus. Miſſa tamen tunc dicitur (etiam principalis) de Vigilia; de Feria autem Adventus fit tantùm commemoratio, nec legitur de iſta ultimum Miſſæ Evangelium: de reliquo dicitur illa ſine *Gloria* & *Credo &c.* Ad Orationes quod attinet, ſi prædicta Vigilia S. Thomæ incidat in Feriam II. hujus hebdomadæ, ſecunda Oratio erit *Fidelium*, tertia autem de Feria Adventus ex Dominica quarta præcedente: ſi verò incidat in aliam Feriam,

tunc ſecunda Oratio erit de Feria Adventus, tertia autem *Deus, qui de B. M. V. &c.*

Si in Feriam II. aut aliam hujus hebdomadæ incidat ipſum Feſtum S. Thomæ, tunc ſicùt Officium, ita & Miſſa (etiam Conventualis in Eccleſiis Cathedralibus, ac Collegiatis) fiunt de Feſto, cum commemoratione de currenti Feria illa Adventus, tam in Officio, quàm in Miſſa, ſumendo pro commemoratione Feriæ Adventus, Orationem ex Dominica præcedente.

# Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

## Tit. III. De Natali Domini & Feſtis ſequentibus.

I. Gavant. pag. 176. col. 1. n. 1. *Vigilia Nativitatis habetur, &c.*) Hæc Vigilia celebratur cum jejunio, quod remotioribus antiquitatis teſtimoniis comprobari poteſt. D. enim Auguſtinus prædictum jejunium tanquam univerſale totius Eccleſiæ proponit, & inter crimina, propter quæ Presbyterum quendam ſuæ Diœceſis depoſitione dignum judicavit, illud recenſet, quòd in Vigilia Natalis Domini non jejunaſſet: *Confeſſus eſt, die jejunii Natalis Domini, quo etiam Eccleſia Gippitana, ſicùt cæteræ, jejunabat, prandiſſe, & cœnaſſe . . . . . ego . . . . . removendum ab Officio Presbyteri arbitratus ſum.* Ita S. Pater *epiſt.* 65. ad Xantippum Numidiæ Primatem. Nonnulla alia ſpectantia ad jejunium hujus Vigiliæ, tradit Grancolas *lib.* 2. *cap.* 13. *in comment. ad Breviarium Romanum.*

De Ritu celebrandi Officium hujus dieſ, & legendi ad Primam Martyrologium cum majori quàm aliàs ſollemnitate, ſermonem habebimus cum noſtro Auctore *in tom.* 2. *ſui theſauri ſect.* 6. *cap.* 4.

Ad Miſſam verò hujus Vigiliæ quod attinet, hæc eò magis peculiaris cenſeri debet, quòd in nulla ex tribus Feſti Nativitatis Miſſis comprehenditur, eſtque ab officio, & Miſſa noctis Natalis ſejuncta: atque in omnibus Sacramentariis, etiam Gelaſii, ſtatutum eſt, eam ad Nonam celebrandam eſſe: *In Vigiliis Natalis Domini ad Nonam*, veluti minorum jejuniorum diebus. Lanfrancus *ſtatut. cap.* 1. *ſect.* 2. præſcribit, ùt Miſſa hæc cum ſollemnitate poſt Sextam celebretur, Diacono Dalmaticam, Subdiacono Tunicam, Cantoribus cappam geſtantibus. Graduale verò in albis canatur, atque præterea lumina, & incenſum ad Altare adhibeantur, & majores Campanæ pulſentur. In quibuſdam Eccleſiis generalis abſolutio ante Miſſam dabatur, quemadmodùm fieri contingit Feria 5. majoris hebdomadæ in Cathedralibus, cùm pœnitentes reconciliantur. In aliis verò Eccleſiis plures Prophetiæ, & quinque aliquando legebantur, uti fit Sabbato Quatuor Temporum, vel Sabbato Sancto, & Vigilia Pentecoſtes ante Fontium Benedictionem. In Eccleſia Mediolanenſi adhuc perſeverat conſuetudo legendi in hac Miſſa quatuor Lectiones ex veteri Teſtamento, & canendi totidem Gradualia, quos Pſalmellos vocant, & Collectas ante Epiſtolam, & Evangelium; atque prior ex iſtis quatuor primis Lectionibus, eſt illa ex Geneſi *cap.* 15. qua Meſſias Abrahamo promiſſus eſt; altera ex libro Judicum *cap.* 13. Manè ſcilicet Oratio; tertia ex libro 1. Regum *cap.* 1. quarta ex Iſaia *cap.* 7. *Adjecit Dominus loqui ad Achaz.* Prædictæ autem Lectiones per extenſum habentur in Miſſali Ambroſiano, impreſſo Mediolani Typis Vincentii Sabbii Anno 1594.

In noſtris autem Eccleſiis, & hiſce temporibus, Miſſa (ſi Vigilia Nativitatis Domini veniat extra Dominicam) dicitur hac die uti deſcribitur in Miſſali, & uti notatur in proprio de tempore, ſine *Gloria*, & *Credo*, &

tunc

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tunc omittitur poſt Graduale *Alleluja* cum ſequenti ℣. Dicitur quoque tunc nonniſi unica Oratio; Præfatio communis; in fine *Benedicamus Domino*, & Evangelium S. Johannis; color violaceus. Miſſa Conventualis verò hujus diei, cantari debet, ùt innui, poſt Nonam. Duplex quodcunque, etiam Patroni, & Titularis Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem, in hac Vigilia occurrens, transferendum eſt juxta Rubricam Generalem decimam Breviarii n. 1. Prohibentur quoque hodie Miſſæ Votivæ privatæ, etiam de *Requiem*, quantumvis præſens ſit corpus, juxta Decretum editum die 28. Auguſti 1627. datum in noſtro Indice ſub n. 217.

Cantatâ Nona terminatur tempus Adventus, & ceſſat ℣. *Angelus Domini*, cum Collecta: *Gratiam tuam quaſumus, &c.* & illi alia: *Deus, qui de B. M. V. &c.* reſpectivè in Officio, & Miſſa ſubſtituitur.

Noſter Caſtaldus *in praxi Ceremoniarum lib. 3. ſect. 1. cap. 5.* accuratè deſcribit, quæ in Palatio Apoſtolico, tum alibi obſervanda, ac præparanda ſunt hac die, omnesque ejus ceremonias, præſertim verò in decantanda Prima, & cæteris Horis minoribus.

II. Gavant. pag. 176. col. 1. n. 1. *Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, &c.*) Si hæc Vigilia venerit in Dominicam quartam Adventus, Miſſa dicitur de Vigilia, & quidem eadem, quæ aliàs, nempe *Hodie ſcietis, &c.* at cum commemoratione *Dominicæ quartæ Adventus*; ob quam tunc in tali Miſſa Vigiliæ dicitur quoque *Credo*, uti diſertè tradit Gavantus *hic*, cui adſtipulantur omnes Directores in ſuis Kalendariis; non dicitur tamen *Gloria in excelſis, &c.* Poſt Graduale dicitur *Alleluja, Alleluja* cum ℣. ſeq. ſed non dicitur tertia Oratio: dicitur Præfatio communis, & in fine *Benedicamus Domino*, ac Evangelium S. Johannis, &c. non verò de Dominica occurrente, quia, ùt ait Gavantus, lectum jam fuit Sabbato præcedente, nec hodie fuit lectum ad Matutinum, ùt addit Bauldry. Dominicæ commemorationem, ex quo hac die occurrit Vigilia Nativitatis, diſertè præſcribit Rubrica Miſſalis, unde ſatis mirari non poſſumus, doctiſſimum Grancolas *cit. loc. cap.* 13. affirmare potuiſſe, nullam in eo caſu Dominicæ debere fieri commemorationem, quod profectò inconſideratè ſcriptum eſt.

III. Gavant. pag. 176. col. 1. n. 1. *Miſſa cantanda erit poſt Tertiam, &c.*) Miſſa Sollemnis, ſeu Conventualis in prædicto caſu, ùt optimè notat Gavantus, cantanda erit poſt Tertiam, & poſt aſperſionem aquæ benedictæ, & Miniſtri ad prædictam Miſſam Sollemnem, in caſu quo Vigilia Nativitatis Domini occurrat in Dominica, utentur Dalmatica, & Tunicella, ùt tradit Caſtaldus *loc. cit. n.* 2. & poſt eum Bauldry *part.* 4. *cap.* 2. Miſſa ſiquidem non eſt de Dominica, ſed de Vigilia Nativitatis, in qua non adhibentur Planetæ plicatæ, ùt ſuprà nos quoque innuimus.

IV. Gavant. pag. 176. col. 2. n. 2. *Habet certum diem non mobilem, &c.*) Cur Chriſti Natalis dies immobilis, certusque ſit, non verò Paſchæ, &c. tradit Auguſtinus *epiſt.* 55. *aliàs* 119. *c.* 1. *&* 2. ubi ait: *Diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, ſed tantùm in memoriam revocari, quòd natus ſit; at per hoc nihil opus erat, niſi revolutum Anni diem, quo ipſa res acta eſt, Feſta devotione ſignari. Sacramentum eſt autem in aliqua celebratione, cùm rei geſtæ commemoratio ita fit, ut aliquid etiam ſignificari intelligatur; eoque modo agimus Paſcha, ut non ſolùm in memoriam, quod geſtum eſt, revocemus, id eſt, quòd mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ſed etiam cætera, quæ circa ea adteſtantur ad Sacramenti ſignificationem, non omittamus*; hæc autem innuuntur hìc à Gavanto.

Cæterùm, quamvis inter majores Eccleſiæ ſollemnitates primum ante cæteras locum ſibi vindicet Natalis Domini, ſi Paſcha, & Pentecoſten excipias, difficile tamen eſt affirmare, quo præcipuè tempore Feſtum iſtud

tam ſollemne inſtitutum fuerit. S. Auguſtinus de Feſtis agens *epiſt.* 54. *aliàs* 118. *cap.* 1. recenſet ea Feſta, quæ ætate ſua per univerſum Orbem ſervabantur, & quæ ab Apoſtolis inſtituta eredebantur, & inter ea nominat Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionemque Domini, nec non Deſcenſum Spiritus Sancti, quæ ſunt Myſteria, quorum Apoſtoli teſtes fuerunt, nihil verò habet de hoc Feſto Natalis Domini hoc loco; non quia ea tempeſtate non coleretur ab omnibus, ſed fortaſſe, quia cæteris aliis ſollemnitatibus quoad vetuſtatem cedebat, vel quia non ab omnibus Eccleſiis eodem die peragebatur; nam de tali Feſtivitate idem S. Pater mentionem facit, ùt mox vidimus, in alia ſupracitata epiſtola.

Sed quo præciſè tempore Feſtum Natalis Chriſti celebrari cœperit, iterum dico, incertum omnino eſt. Clementis Alexandrini ætate, ideoque Seculo ſecundo labente, vel nondum colebatur tale Feſtum, vel ſaltem peculiari diei affixum non fuiſſe, ſaltem in Ægypto, ubi vivebat, & in Provinciis vicinis, deducit eruditiſſimus Franciſcus Pagius in Vita S. Julii Pontificis circa medium Seculi IV. Certum tamen eſt, priſcis Eccleſiæ temporibus, & poſt Clementem Alexandrinum Feſtum Epiphaniæ idem fuiſſe, ac Feſtum Natalis Chriſti, & Epiphaniam non ſolùm Adventum Magorum, quibus ſeſe conſpiciendum præbuit, ſed etiam Chriſti Natalem, & Chriſti Baptiſmum ſignaſſe, ùt demonſtrat Dionyſius Gothofredus ex SS. PP. *in Commentario legis V. Theodoſii junioris de ſpectaculis* Anno 425. datæ. Feſtum autem Epiphaniæ celebrabatur tam in Oriente, quàm in Occidente, die VI. Januarii. De Occidente teſtatur Ammianus Marcellinus Scriptor Gentilis *lib.* 21. *cap.* 2. De Oriente verò teſtantur Epiphanius *lib.* 3. & Caſſianus *Collat. lib.* 10. *cap.* 2.

Ex D. autem Johanne Chryſoſtomo *in ſerm.* 35. *de Chriſti Nativitate*, qui extat *tom.* 5. *ejus operum pag. mihi* 466. diſertè colligitur, ante decem Annos jam idem Feſtum Natalis Domini ſeorſim ab Epiphania, die XXV. Decembris celebrari cœptum fuiſſe. Prædictum Sermonem, pronunciavit S. Johannes Chryſoſtomus, quando nondum erat Epiſcopus, ſed tantùm Presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, ùt oſtendit Combefiſius in notis ad Johannis Nicæni epiſtolam de die Natali; ſed ſive Orationem dixerit Antiochiæ, ſive Conſtantinopoli, vix decennium prætériiſſe docet, ex quo Natalis Domini dies Feſtus cognoſceretur: *Et quidem*, inquit, *nondum decimus Annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſtè nobis innotuit.* Pergit deinde narrare, ex Eccleſia Occidentis, in qua Natalitii diei antiqua traditio erat, in Orientalem ita ejus celebritatem rediiſſe, ut non omnibus ſtatim arrideret, Dominum Menſe Decembri natum eſſe: *Hic dies cùm ab Exordiis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos Annos tranſmiſſus.* Subnectit poſteà, inter Doctos diſſenſionem fuiſſe circa hanc rem, aliis eam tanquam rem novam improbantibus, aliis verò tanquam antiquitati etiam Orientalium conſonam, ſed jam diu antiquatam, accipiendam, & reſtituendam contendentibus. Non me latet, Gretſerum *ad cap.* 8. *Codini* negare hunc ſermonem eſſe S. Chryſoſtomi, verum eidem validis rationum momentis eum adjudicant Caſaubonus *Exercit.* 2. *in Baronium*, & Combefiſius *loc. ſupracit.* Videri poteſt Zaccagnius *in præfat. tom.* 1. *ad Collectanea Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ num.* 33. ubi exiſtimat, verba S. Chryſoſtomi mox relata intelligenda eſſe de Antiocheni Patriarchatus Eccleſiis, in quibus, Ægyptiorum more, una eademque die, Epiphaniæ, & Nativitatis Feſtum antiquitus agebatur. Hinc etiam optimè inferri poteſt, quòd Eccleſia Antiochena prima fuerit inter Orientales, quæ duo Feſta iſta diſtinxerit, & Natalis Feſtum die XXV. De-

cembris

cembris celebrare cœperit, qui mos etiam Conſtantinopoli invectus fuit, ùt infrà patebit, operam dante eodem S. Johanne Chryſoſtomo, præſertim Sermone primo in Pentecoſten, quem ibidem habuit, & qui *tom.* 5. ejus operum extat ſub *n.* 33. in quo ait, Feſtum Nativitatis Domini à longo tempore, atque ex valde antiqua traditione in Occidente XXVI. Decembris celebratum eſſe.

Talem autem variationem circa Feſti Natalis celebritatem in Oriente contigiſſe opinor, quia, ùt Johannes Archiepiſcopus Nicænus *in epiſt. de die Natali*, quæ extat *tom.* 2. Auctarii Bibliothecæ PP. *pag.* 311. & quam Combefiſius ex Græco tranſtulit, & adnotationibus illuſtravit, narrat, Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, ad Julium Pontificem literas dedit, quibus monebat, impoſſibile eſſe, ut in Epiphaniæ ſollemnitate triplicis ſollemnitatis memoria, in ſacris, ac inter ſe diſtantibus locis, perageretur, inter quas celebritates, cùm Natalis Domini eſſet, ex Jacobi fratris Domini ſive traditione, ſive permiſſione, accidit ut Romæ optimè re diſcuſſa, & diligenti ſupputatione adhibita, Natalis Domini, in verum diem XXV. Decembris incidere conſtaret: *Inque hunc modum*, inquit, *Julius Romanus Patriarcha Menſes Hebraeorum, atque Romanorum compoſuit; à quo tempore cœpit Romana Eccleſia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem 25. Decembris, tradiditque celebrandam univerſis Eccleſiis.* Hinc addit, D. Baſilium in ſuis moralibus ſignaſſe Salvatoris Natalem diem XXV. Decembris, & Gregorio Nazianzeno in mandatis dediſſe in Synodo Conſtantinopolitana, promulgari, ac celebrari XXV. Decembris, quamquam quidam non aſſenſerint. Tandem ſub Arcadio, & Honorio, dum hic Byzantium aliquando accederet, cooperante S. Johanne Chyſoſtomo, & ex Cypro accerſito S. Epiphanio, definitum quoque in Oriente eſſe, ut eadem die XXV. Decembris Natalis Domini celebraretur, quibus aſſenſum & reliqui deinceps Patriarchæ dederint. Verùm prædicta inſtitutio de diviſione utriuſque præfatæ celebritatis ab omnibus Orientalibus profectò tunc recepta non fuit; nam Abulpharagius in Hiſtoria Dynaſtiarum *pag.* 94. mentionem facit Epiſtolæ Anno 551. à Juſtiniano Imperatore ad Epiſcopos ſcriptæ, in qua hæc habentur: *Anno 25. Imperii ſui ad omnes ubique Epiſcopos ſcripſit, ut Feſtum Natalis celebrarent* 25. *Canuni* (Decembris ſcilicet noſtri) *& Epiphaniam ſexto Canuni poſterioris* (videlicèt Menſe Januarii) *dictoque ejus paruerunt, exceptis Armenis; illi ſiquidem morem priorem retinuerunt, quo utrumque Feſtum eadem die celebrant*; Armeni tamen (ùt notat Franciſcus Pagius ad calcem Vitæ S. Julii Papæ) qui Juſtiniani Imperatoris Decreto parere renuerunt, jam inde tempore Gregorii illuminatoris circa Conſtantini Magni tempora Fidem Chriſtianam receperant, ſed Anno 536. ſe ab Eccleſia abſtraxerant, & Hæreſim Eutychianam profitebantur.

Superiùs autem dicta omnia, ùt adnotat mox citat. Franciſcus Pagius in eadem Vita S. Julii Romani Pontificis, conſona ſunt cum iis, quæ habet Gregorius Nyſſenus Epiſcopus initio Orationis funebris in S. Baſilium fratrem; ex iis enim, quæ ibidem aſſerit, deducitur diſcretio Feſtivitatis Epiphaniæ à Feſto Natalis Domini, etiam in Cappadocia; eundemque morem de celebratione Natalis, & Epiphaniæ in Eccleſia ſua obtinuiſſe aſſeruit D. Gregorius Nazianzenus in Oratione 39. quæ eſt in Epiphaniam, in qua Nativitatis Domini, & Magorum adorationis Feſtivitatem ab Epiphaniæ Feſto diverſam fuiſſe diſertè affirmat.

Ex ſuprà adnotatis infertur, Julio Papæ adſcribi non poſſe hujus ſollemnitatis inſtitutionem, cùm eo antiquior fuerit; ſed tantùm dicto Pontifici tribui poſſe, quòd in Eccleſia Occidentali, & etiam Orientali,

talis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

talis Feſtivitas die XXV. Decembris inceperit celebrari, ùt Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum diffusè oſtendit *Exercit.* 2. Romana autem Eccleſia certiùs Natalem Jesu Chriſti diem reſcire potuit, eaque de re cæteras Eccleſias docere; ex eo quòd Natalis Domini dies ineunte cenſu ab Auguſto per Quirinum in Judæa inſtituto evenerit; actaque iſta, magna cura Romæ ſervata fuerint: atque hinc eſt, cur Romæ, quis fuerit Natalis Jesu Chriſti dies, meliùs quàm alibi reſciri potuerit, atque cur primùm ibi Feſtum iſtud fuerit celebratum, quæ, & alia nonnulla innuuntur pariter à S. Johanne Chryſoſtomo *ſerm.* 35. *ſupracit.*

Lubet ſubnectere id, quod tradit Pagius *loc. cit.* nimirum quòd quamvis Combefiſius laudatus ſcribat, Jo. Epiſcopi Nicæni Epiſtolam de die Natali novam eſſe, & fabulis plenam: quidquid tamen de hac re ſit, nihilominùs, quæ ex ea ſuperiùs relata ſunt, fabulis profectò non ſunt accenſenda, cùm reperiantur confirmata auctoritatibus SS. PP. Gregorii Nyſſeni, & Nazianzeni, necnon S. Chryſoſtomi. Alia, quæ ſpectant ad originem, & inſtitutionem hujus Feſti, videri poſſunt apud Thomaſſinum de Feſtis *lib.* 2. *cap.* 6. Baillet *tom.* 3. *in hunc diem.* Grancolas Commentario Hiſtorico in Breviarium Romanum *lib.* 2. *cap.* 14. Franciſcum Pagium, & Florentinium *loc. ſupracit.* & Tillemontium *n.* 1.

V. Gavant. pag. 177. col. 1. n. 3. *Tres Miſſæ celebrantur ex Decreto, &c.*) S. Teleſphoro, qui Anno 126. Thronum Apoſtolicum conſcendit, tribuitur inſtitutio Miſſæ, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique celebratur, ejuſque Decretum refert Gratianus *in cap. Nocte ſancta de Conſecr. diſt.* 1. Verùm Epiſtola Decretalis Telephori, ex qua Gratianus Canonem excerpſit, ſuppoſititia profectò eſt, cùm ſit ex numero illarum, quæ à Pſeudo-Iſidoro conſarcinatæ fuerunt, de quibus ſuperiùs jam diſſeruimus; prætereà talem Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, evincitur etiam ex eo, quòd pervigilium, & pernoctatio, & ipſa Feſtivitas Nativitatis multis Annis poſt Teleſphorum ſtata die coli cœperunt, nimirum ſub Julio I. ùt ſupra oſtendimus. Deinde Epiſtola illa, quæ dicitur ſcripta ad omnes Epiſcopos, incipit cum verbis Damaſi Papæ: *Epiſtola ad Illyricos: Credimus S. Fidem veſtram in Apoſtolorum eruditione laudatam.* Denique habet plura alia teſtimonia ex Damaſi Epiſtolis, item ex Pſalmis 25. 36. & 51. verſionis S. Hieronymi. Trium autem Miſſarum uſum in hac die, à Romana Eccleſia ortum duxiſſe, teſtatur D. Gregorius, qui ait, ſe debreviare ſermonem ſuum in hoc Feſto propter haſce tres Miſſas, quæ multum temporis inſumebant, *quia hodie ter Miſſarum ſollemnia celebraturi ſumus.* Ad primam Miſſam, quæ nocte celebrabatur, ſermo habitus videtur; fortaſſe etiam in aliis Miſſis habebatur concio. Sunt qui opinantur, fortìm duas Miſſas plerumque celebratas fuiſſe in cunctis ſollemnioribus Feſtis, primam nocturno tempore poſt Matutinum, ſecundam verò diurno poſt Tertiam. Tertiam verò Miſſam hac die Romæ extra ordinem ob id tantummodò celebratam eſſe, quòd in Urbe haberetur Eccleſia S. Anaſtaſiæ, cujus feſtum in eundem diem Natalis incidit, & ne intermitterentur Stationes ordinariæ in ſollemnitatibus in Eccleſia D. Petri; præſertim in hac ſollemnitate ibant ad unam celebrandam Miſſam in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, inter nocturnam, & diurnam Miſſam, circa tempus Auroræ. Hanc eſſe trium iſtarum Miſſarum originem cenſent nonnulli, inter quos recentiſſimè Grancolas *loc. ſupracit. cap.* 14. *de Natalis Feſto*, qui inſuper refert ibidem uſum iterandi Sacrificium in ſollemnioribus Feſtis; & adſtruit, quòd duæ in Gallia Miſſæ in Natali, æquè ac in omnibus aliis ſollemnitatibus, celebrarentur, probari ex Gregorio Turonenſi *de Gloria Martyrum cap.* 52. quarum una erat nocturna, altera verò diurna. Conſuetudinem autem Romanam tres Miſſas celebran-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

celebrandi in Feſto Natalis, in Galliam, & cæteras Regiones adſtruit invectam eſſe, quo tempore Carolus Magnus Ordinem Romanum recipi juſſit, ac tandem migravit ad Presbyteros etiam, qui Miſſas privatas celebrant. Trium Miſſarum privatarum mos hac die habetur apud Petrum Ven. Abbatem Cluniacenſem, qui eas celebrari præcipit in Sacello Infirmorum pro Infirmis, *Statut.* 72.

In Ordinibus Romanis adnotatum reperitur, quòd Papa tres prædictas Miſſas celebrare ad tres diverſas Stationes, primam ad S. Mariam Majorem, ſecundam ad S. Anaſtaſiam, tertiam ad S. Petrum. In Ordine Romano Canonici Benedicti, Papa in hac die tribus Miſſis oneratur: *tres Miſſæ per Papam dicuntur ſive debent dici.* Alibi plerumque à diverſis Sacerdotibus celebrabantur, ab Epiſcopo una tantùm, nimirum ultima, ſcilicet diurna, quæ cæteris ſollemnior eſt. Joannes Abrincenſis præſcribit, ut prima Miſſa, nempe nocturna, ab Eccleſiæ Theſaurario, ſecunda, nempe ſummo mane, à Cantore, tertia verò ab Epiſcopo dicatur. In pluribus Eccleſiis ſecunda Miſſa, ne ad Altare quidem majus dicebatur, idque obſervatur, ad tradita per Grancolas ſuprà, in Eccleſia Rhemenſi, Turonenſi, Viennenſi, Lingonienſi, & aliis.

VI. Gavant, pag. 177. col. 1. n. 4. *Ante Laudes prima Miſſa eſt dicenda, &c.*) Cantato ſollemniter Matutino, ùt dicemus *in tom. 2. ſect. 6. cap.* 5. antequàm cantentur Laudes, celebrari debet prima ex dictis tribus Miſſis ſollemnibus, cujus hora in Sacram. S. Gregorii per Pamelium edito, præcisè ſignatur, quòd ſit media nox: *Media nocte Statio ad S. Mariam Majorem;* ita etiam ſignata eſt apud Rupertum, Durandum, alioſque Auctores hora mediæ noctis, unde nomen retinuit, mediæque noctis Miſſa appellata eſt. Non debet autem inchoari, ſicùt Romæ fit, niſi dato mediæ noctis ſigno, & niſi æquum mediæ noctis tempus advenerit. In hac prima Miſſa ab antiquo tempore cantatur *Gloria in excelſis* ſollemniter, & interim omnes campanæ, tam majores, quàm minores, pulſari debent in ſignum lætitiæ. In libro inſcripto: *Speculum Eccleſiæ* (cujus Auctor quidam Turonenſis aſſeritur à Grancolas *lib. 2. ſui Comment. Hiſtorici in Breviarium Rom. cap.* 14. ſed talis liber reperitur inter opera Hugonis Victorini *tom.* 3.) pro certo affirmatur, inceptum fuiſſe cani *Gloria in excelſis* pro Miſſa diei Natalis, & Romæ dictum fuiſſe Græcè ad primam Miſſam, & ad ſecundam Latinè, & à die Natalis invaluiſſe morem dicendi prædictum Hymnum in Miſſis ſollemnibus.

Ad Symbolum, ſi Celebrans ſit ad Altare (quod certè convenit) & velit ſedere poſt ℣. *Et incarnatus eſt*, deſcendit de Altari ad infimum gradum illius, eo tempore, quo in Choro cantantur ea verba: *Deſcendit de cælis*, vel paulò antè, ita ut poſſit reperiri genuflexus, & quidem utroque genu ibidem, dum dicitur ℣. *Et incarnatus eſt, &c.* quo dicto vadit ad ſcamnum, ubi ſedere poſſit. Si verò nolit ſedere, ſatis erit, ut deſcendat ad ſecundum gradum, & ibi genuflectat, & deinde redeat iterum ad medium Altaris. Si verò reperiatur ſedens ante prædictum ℣. in hac Miſſa, & duabus aliis ſollemnibus, ùt etiam alibi diximus, ſemper genuflectere debet ſuper infimo gradu in cornu Epiſtolæ, facie ad cornu Evangelii converſa, & quando canitur: *Et Homo factus eſt*, caput inclinat, id quod facere debet etiam quando flectit genua, ùt mox diximus, vel ſuper infimo, vel in ſecundo gradu Altaris. Secus eſt de Miſſis privatis, in his enim ad verba: *Incarnatus eſt*, etiam hac die, Celebrans non flectit utroque genu, ſed uno tantùm, more aliàs conſueto, ut ſic ſit expeditior ad ſurgendum. Gavantus *part.* 1. *tit.* 17. Halden *part. 2. tit.* 12. §. *Ex Decreto Teleſphori.*

Quoniam hoc loco mentio facta eſt de ſcamno, in quo ſedere poteſt, ſi velit, Celebrans cum ſuis Miniſtris, dum cantantur in Choro Hymnus Angelicus, & Symbolum, lubet afferre ſequentia Decreta, quæ in ſu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perioribus Titulis primæ Partis exhibere non potuimus, quia nondum ad noſtram notitiam pervenerant, & idcirco etiam nonniſi in Appendice Decretorum ea collocavimus.

Tam Celebrans, quàm Aſſiſtentes, in Feſtivitatibus Sanctorum Titularium, in Veſperis, & Miſſa ſollemni, ſedere debent in ſcamno, & non in ſede coriacea. S. R. C. die 31. Julii 1665. *in Reginaten. in Calabria.*

Celebrans in Miſſa ſollemni, quando ſedere debet, procedit ad præparatam ſedem aperto capite, & ita regreditur ad Altare, &c. S. R. C. die 21. Martii 1676. *in Collen.*

VII. Gavant. pag. 177. col. 1. eod. n. 4. *Verùm in prima Miſſa ſollemni hauſto diligentiùs Sanguine, &c.)* Celebrans in prima Miſſa totum diligentiùs ſumet ſanguinem, poſt unum alterumve hauſtum parùm inclinando Calicem ſuper Patenam, & ferè uſque ad labium Calicis deducendo remanentes guttas, eas deinde ſumendo. Curabit quoque, ut nihil maneat hærens extremitati labii Calicis, ubi ſumpſit, unde labio ſuperiori oris totum exactè abſumere ſtudeat; tum Patena Calicem, & palla Patenam tegens, ac ſuper Corporale relinquens, dicat: *Quod ore ſumpſimus, &c.* Deinde miniſtrante Diacono, vel Subdiacono ampullas, & infundente vinum, proùt ſuo loco diximus, poſteà aquam, abluit digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, taliſque ablutio fit non in Calice (ſaltem Celebrantis) ſed in alio vaſe vitreo, vel argenteo, mundo tamen, ad hoc in Altari præparato, & à Sacriſta collocato; & interim dicit: *Corpus tuum Domine, &c.* abſterſiſque purificatorio digitis, prædictum vas palla coopertum poni debet in poſteriori parte Altaris prope Corporale, juxta quod collocari poterit & purificatorium. Ulteriùs advertat Sacerdos, quòd non ſolùm in prima, ſed etiam in ſecunda Miſſa, quæ celebrantur in hoc Feſto Nativitatis Domini, non debet fieri purificatio Calicis, ùt ſtatuit S. R. C. 15. Septembris 1702. in una Regni Portugalliæ, quod Decretum extat in noſtro Indice ſub *num.* 563. & hæc debet ſervari tam in Miſſis Sollemnibus, quàm in Privatis.

VIII. Gavant. pag. 177. col. 1, num. 4. *Subdiaconus defert calicem, &c.)* Subdiaconus poſt lotionem manuum Celebrantis, non extergat purificatorio Calicem, ſed illum ad credentiam ſine purificatorio, indeque alius Sacris initiatus eundem Calicem in Sacriſtiam deferat; ubi ſuppoſito Corporali in loco aliquo decenti, & clauſo, ſervabitur uſque ad ſecundam Miſſam ſollemniter (ſeu privatam) celebrandam; in cujus initio, ùt aliàs, è Sacriſtia deferri, & ſuper prædicta credentia collocari poterit, ſiccata jam, ùt creditur, quacumque vini conſecrati ſpecie; ſed tamen quia moraliter certum eſt, non poſſe ſic aſſumi Sacrum Sanguinem, quin aliquæ remaneant ſpecies, ſeu guttulæ, quæ poſt aliquam moram ad fundum conveniunt, ut omnis cautela adhibeatur, & reverentia prædicto Calici præſtetur, adhuc eidem Corporale, ſeu palla ſupponi debet, decenterque tractari, & à Miniſtro Sacro ſemper deferri. Idem ſervetur in ſecunda Miſſa; & hæc eſt praxis Urbis communior, & congruentior.

Poſt *Ite Miſſa eſt*, convenit, ut Fideles non diſcedant, ſed aſſiſtant Laudibus mox dicendis. Bauldry *part. 4. cap. 2. num. 25. & 26.*

Finita Miſſa, Celebrans cum Miniſtris Sacris deſcendit, & juxta morem cujuscumque Eccleſiæ, vel ad cornu Epiſtolæ, vel in Choro, ſi retro Altare collocatus ſit, depoſitis Planeta, & Manipulo, accipit Pluviale album, adjutus ab iiſdem Miniſtris, pergitque ad locum conſuetum, ubi incipit abſolutè, non præmiſſa Oratione Dominica: *Deus in adjutorium, &c.* & proſequitur Laudes de more, ùt fuſiùs explicabimus cum Gavanto *tom. 2. ſect. 4. cap. 2. num. 4.*

IX. Secunda ſollemnis Miſſa hujus diei inſcribitur: *ſecunda Miſſa in Aurora*, nec dici debet, niſi ſub lucis ortum, poſt Primam



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Choro cantatam, quæ ita tempeſtivè eſt decantanda, ut Miſſa hæc ſecunda ſollemnis competenti tempore, hoc eſt in ipſa Aurora queat decantari. In Statutis Cartuſianorum legitur, quòd Auroræ ortus expectandus eſſet; ideoque dicenda erit ante Primam, non verò poſtquàm dictum eſt: *Jam lucis orto ſydere;* in hac ſecunda Miſſa habetur commemoratio S Anaſtaſiæ, quæ tantùm propria erat Urbis Romæ, & ad cæteras omnes Eccleſias non tranſiit, niſi poſtquàm Miſſale Romanum in omnibus invectum eſt. Amalarius *lib.* 1. ſcribit, quòd ævo ſuo pariter Romæ tantùm, & in Eccleſia illius Sanctæ, ubi aſſervabantur Reliquiæ, dicebantur duæ Orationes in ſecunda Miſſa, ſed extra Eccleſiam propriam nulla fiebat illius Sanctæ commemoratio. Rupertus Abbas Tuitienſis *de Divin. Offic. lib.* 3. *cap.* 21. ubi agit de hac ſecunda Miſſa, ait: *Utraque Miſſæ Statio ad S. Mariam eſſe debuit, ſed cauſa intercurrit, ut ad Sanctam Anaſtaſiam ageretur: videlicèt paſſio ejus, qua Romanarum nobiliſſima Matronarum ... circumpoſito igne, cremata ipſo die Natalis Dominica eſt, &c.* quibus quidem verbis innuit rationem, cur fiat in hac ſecunda Miſſa prædicta commemoratio, nimirum quia habebatur Statio in Eccleſia eidem S. Anaſtaſiæ Sacra. Sed diſertiùs reddit rationem Micrologus *cap.* 4. *de numero Orationum in Miſſa,* talis commemorationis, quæ Romæ tantùm fiebat, dicendo: *In Nativitate Domini ad Miſſam in mane, Romani Orationem de S. Anaſtaſia adjiciunt, quia Stationem in Eccleſia ejuſdem Martyris ad eandem Miſſam agunt, & nos quoque in illa adjectione imitamur, licèt non eandem adjectionis occaſionem habere videamur.* Extant Miſſalia MSS. ùt refert Grancolas *loc. cit.* in quibus ſecunda hæc Miſſa tota eſt de S. Anaſtaſia, cum commemoratione Nativitatis, quòd ſcilicet curſu temporis ſtatutum ſit, in hujus Sanctæ Eccleſia Miſſam propriam in ejus honorem celebrari; Præfatio eſt de Communi Virginum, quamvis Sancta non ſit Virgo, fueritque Vidua, quando martyrium ſubiit. Codex Ratol. In Miſſalibus tamen excuſis non reperitur talis Miſſa propria, ſed loco illius in omnibus legitur Miſſa de Nativitate Domini, cum commemoratione ſolùm prædictæ Sanctæ; de qua commemoratione ſermonem etiam habuimus in Parte I. hujus Theſauri in Titulo de commemorationibus.

In prædicta ſecunda Miſſa hujus diei, tam ſollemni, quàm privata, ad Offertorium, velo de Calice depoſito, hic parumper verſùs cornu epiſtolæ collocetur, ſed non extra Corporale, ob rationem ſuprà datam, ſicque accepta Patena Hoſtiam Sacerdos offerat, quæ ſuper illam reperitur. Facta oblatione, caveat Diaconus in Miſſa ſollemni, & Sacerdos in Miſſa privata, ne purificatorio extergat Calicem, ſed eum intra Corporale relinquens, leviter elevet, ac proinde vinum eidem cautè imponat, ne guttæ aliquæ ad labia ipſius Calicis reſiliant, quem deinde, nullatenus ab intus abſterſum, more ſolito offert. Ad conſecrationem porro hanc habere poterit intentionem, quòd ſcilicet velit conſecrare totum, & ſolum illud, quod conſecrabile reperitur in Calice. Quod etiam pro prima, & tertia Miſſa ſervare debet. Pro ſumptione autem Sanguinis, & ablutione digitorum, obſerventur ea, quæ ſuprà dicta ſunt de prima Miſſa, hoc inſuper addito, quòd præſtet, per eandem viam ſumere in ſecunda, & tertia Miſſa, per quam ſumptio facta eſt in prima.

X. Tertia Miſſa omnium ſollemniſſimè, in ipſa die Nativitatis Domini, poſt Tertiam in choro decantatam, celebrari debet. In hac tertia Miſſa prædicta omnia obſerventur uſque ad ſumptionem Sacramenti incluſivè, qua peracta ſumat Sacerdos purificationem ordinariam, deinde ablutionem digitorum è vaſe argenteo vel vitreo immittat in Calicem, & ſumat, ac denique faciat ſolitam in Calice digitorum ablutionem, & poſtquàm extersit Calicem, etiam vas, in quo fuit ablu-

tio, purificatorio extergat. Omnes prædictæ tres Miſſæ dicuntur cum *Gloria*, & *Credo*, nec non cum *Præfatione*, & *Communicantes prop. de Nativit.* per totam Octavam. In prima Miſſa hujus Feſti in Canone infra actionem dic. *Communicantes*, & *noctem ſacratiſſimam Celebrantes*, &c. etiamſi de die celebretur; deinceps verò, tam die, quàm per Octavam, eſto forſan de nocte celebretur, dicitur: *Et diem ſanctiſſimum*, &c.

XI. Huc uſque de tribus Miſſis ſollemnibus hujus diei ſermonem habuimus; progredimur nunc ad aliqua adnotanda, quæ pertinent ad Miſſas privatas, quæ ſi ſucceſſivè dicantur, nempe tres una poſt aliam, finita prima, & ita pariter ſecunda Miſſa, Miniſter ſe confert pro more ad ſiniſtram plani partem, ac in ea genuflectit juxta ſolitum, ut reſpondeat Celebranti; ipſe verò Celebrans ablutis (ùt ſuprà diximus de Miſſa ſollemni) poſt Communionem digitis, ponit Hoſtiam ſuper Patenam pro ſubſecuturo alio Sacro, non extergendo Calicem, quem tamen adaptat, ùt initio Miſſæ illum velo cooperiens, velatumque ponat ſuper Corporale extenſum; dixi debere ponere Hoſtiam ſuper Patenam, unde Sacriſta præparare debet in credentiis Altarium non ſolùm aliquod Vas mundum vacuum pro ablutione digitorum Celebrantis in eo facienda, de qua ſuprà, ſed etiam ſuper eaſdem Altarium credentias præparare duo alia vaſa, unum pro vino, alterum pro aqua, ex quibus Miniſter poſſit in ampullas vinum & aquam pro Miſſis privatis infundere; denique ad quodlibet Altare hoſtiariam cum Hoſtiis, quæ uſui talis Altaris ſint ſatis, eò quòd inconveniens eſſe videatur, pro ſingulis Miſſis ad Sacriſtiam recurrere, niſi fortè alio modo utrique dictæ inconvenientiæ conſulatur.

Redeundo nunc ad Celebrantem, finito ultimo Evangelio S. Johannis, poſt primam, & ſecundam Miſſam, ſtatim ſe recipit ad medium Altaris, & facta reverentia Cruci, accedit ad aperiendum librum, ſi non anteà reliquerit apertum, eoque aperto, redit ad medium Altaris, ubi rurſus, ùt anteà, facit Cruci reverentiam, eaque facta, deſcendit in planum, & ibi ſecundam, aut tertiam Miſſam incipit, circa quas præter ſuperius dicta nihil aliud hic venit obſervandum. Dubium tamen aliquod diſcutiendum ſeſe offert, cùm enim fieri non poſſit, ut totus è Calice ſanguis ſumatur, ſed aliquæ remaneant ſemper ſpecies conſecratæ Calici adhærentes, ùt ſuprà innuimus, quæ poſt aliquantulam moram ad fundum conveniunt; hinc dubium, inquam, oritur, utrùm Celebrans debeat genuflectere, quando tranſit ante Calicem continentem dictas ſtillas. Proponit hanc quæſtionem Franciſcus Magius *in ſuo libro de divino Officio & Choro diſquiſ. 3. pag. mihi* 298. & fateturſe obſervaſſe, ſicùt reverà eſt, hìc genuflexionem omitti ferè ab omnibus; ipſe verò omittendi cauſam non videt. Haldenſ tamen *loco ſupracit.* opinatur, in prædicto caſu Celebrantem non debere genuflectere, ſequens ſententiam Gerlaci Vinitoris, quem prædicto loco citat, quam ſententiam pariter tradit Bauldry *part. 4. cap. 1. num. 5.* & hæc quidem eſt praxis Urbis communior. Non me latet, hoc dubium propoſitum fuiſſe S. C. die 20. Julii 1686. *in Angelopolitana* ad nonum dubium, nimirum, utrùm in tribus Miſſis Natalis Domini poſt ſumptionem Sanguinis, eundo, & redeundo in medium Altaris ſit facienda genuflexio, & vertendo ſe Celebrans ad *Dominus vobiſcum*, vel ad dandam Benedictionem, num debeat rerum vertere ad Altare, cùm ùt creditur) ſpecies Vini non ſint exſiccatæ in Calice? & Sacra Congregatio reſpondit: *Serventur Rubrica Miſſalis de Ritibus ſervandis in celebratione Miſſæ*; & datur hoc Decretum in noſtro Indice ſub *num.* 487. Similiter reſolutum fuit per aliud Decretum, quod datur in noſtro Indice ſub *num.* 537. Cùm autem Rubricæ non præſcribant genuflexionem faciendam in hoc caſu, ſicut præſcribunt faciendam eſſe genuflexionem Feria 5. in Cœna Do-

mini,

mini, quando Sacerdos tranſit ante Sacramentum in Calice reſervatum, & velo coopertum, hinc crederem in noſtro prædicto caſu, cùm Rubricæ nihil præſcribant, inhærendo Decretis Sacræ Congregationis, non eſſe faciendam genuflexionem.

XII. Gavant. pag. 177. col. 1. num. 5. *Ut ſit ille jejunus per horas circiter ſex.*) Optimè monet Gavantus ex Francolino, celebraturum primam Miſſam in ſacra nocte, debere antecedenter eſſe jejunum per horas circiter ſex, non quidem de neceſſitate præcepti, ſed ex quadam congruentia tantùm, cùm abſolutè loquendo in nocte Nativitatis celebrare poſſit Sacerdos, qui paulò ante medium noctis comedit. Illi autem, qui ex privilegio celebraturi ſunt ante mediam noctem, obſervent omnia ea, quoad jejunium ſervandum ante, & poſt Miſſam illam, quæ tradit Gavantus ſuprà. Reſumendo tamen ſermonem de prima Miſſa celebrata poſt mediam noctem, cum *Can. ex parte, de Celebr. Miſſæ* ab Innocentio III. graviter prohibeatur, in Miſſa priori, quando plures dicuntur, ſumere Calicis ablutionem, & hoc ob reverentiam Sacramenti, nimirum ut aliæ duæ Miſſæ ſequentes à jejuno Sacerdote celebrentur; hinc fit, quòd ſi in prima Miſſa ſumatur etiam inadvertenter ablutio, aut per errorem aqua pro vino fuerit conſecrata, & ſumpta, quia frangitur jejunium naturale, alia Miſſa poſt hanc per ſe loquendo celebrari non poteſt; id docet etiam noſter Gavantus *part. 3. tit. 9. ad numerum IV. ejus Rubricæ.*

XIII. Gavant. pag 177. col. 2. n. 6. *Poſſint nocte hac celebrari tres Miſſas privatas ſimul poſt mediam noctem, &c.*) Inſinuat Gavantus ſententiam, quam Franciſcus Suarez probabilem, ac ſecuram judicat, & quæ docet, poſſe in nocte hac celebrari tres Miſſas privatas ſimul poſt mediam noctem, eò quod nullo jure id prohibeatur, cui quidem ſententiæ non abnuit Gavantus, ſi cauſa adſit majoris numeri Sacerdotum, minoriſque numeri Altarium, & ejusmodi, ſi minùs omnes commodè celebrare poſſint. Eandem ſententiam plurimi DD. tradunt, quos refert Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 35. & part. 10. tract. 12. reſol. 57.* docentes, poſſe quemvis Sacerdotem tres Miſſas celebrare ante Auroram in ſacra nocte Nativitatis Domini; imò Gerlacus Vinitor *tract. 6. part. 2. num. 18.* non dubitat ita ſcribere, poſt Bauldry *part. 4. cap. 2. num. 32. communi omnium ſententia qualibet hora poſt mediam noctem poſſunt celebrari tres Miſſæ ſupradictæ* (nempe de Nativitate Domini) *privatim; hoc enim ſingulariter hac nocte tam glorioſa, Nativitate Chriſti illuminata, Sacerdotibus fidelibus conceſſum eſt*, ob rationem à Bauldry *loc. cit.* additam. Verùm Gavantus *hic* oppoſitam Francolini & aliorum ſententiam appellat communiorem; unde mirari eſt, prædictos, Bauldry, & Vinitorem, receſſiſſe ab hac ſententia, quæ communior à Gavanto appellabatur, quæ quidem ſententia ob iterata S. C. Decreta omnino certa reddita eſt; unde Piaculum eſt ab ea recedere.

Prædicta autem Decreta dictæ Congregationis, in quibus prohibetur, in nocte Nativitatis Domini poſt primam Miſſam decantatam, & ante Auroram, ſucceſſivè celebrare alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus, rurſus, & quòd Sacerdotes non poſſint celebrare tres Miſſas in eadem nocte, emanarunt à S. R. C. 20. Aprilis 1641. *in Piſauren.* & 7. Decemb. 1641. *Trium Miſſarum*, denique 22. Novemb. 1681. *in Lucana*, & dantur in noſtro Indice ſub *nn.* 282. & 458. &c. Et cùm abuſus iterum tam in Urbe, quàm extrà irreperent contra talia Decreta, iterum exacta obſervantia dictorum Decretorum à S. C. Viſit. Ap. 7. Decembris 1702. inculcata fuit; & Edicto Eminentiſſimi Card. Vicarii 18. Decembris ejusdem Anni 1702. iterum ſtrictè præſcripta fuit in Urbe de mandato



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clementis XI. obſervantia talium Decretorum, cujus exemplar habetur in Bullario ejuſdem Clementis XI. *part. 2. conſt t. 5.* quæ incipit Italicè: *Eſſendoſi introdotta, &c.* & modò reperitur etiam in Bullario Romano editionis Luxenburgenſis *tom. 8 part. 2. conſtit. 5. pag.* 245. cui diſpoſitioni inhærendo ſingulis annis in pervigilio Nativitatis Domini ab Eminentiſſimo Card. Vicario transmittuntur Schedæ ad omnes Urbis Eccleſias, prohibentes cuicunque Sacerdoti celebrationem Miſſæ ante Auroram.

XIV. Gavant. pag. 177. col. 2. eod. n. 6. *Non teneri Parochum ad tres Miſſas celebrandas, &c.)* Neque Parochum, neque Cappellanum teneri in hac die ad tres Miſſas celebrandas, tenent cum Gavanto Bonacina *Diſp. 4. quæſt. ultima part.* 11. *num.* 10. & Gobat. *tract.* 3. *num.* 186. modò tamen abſit ſcandalum, eò quòd dicere tres Miſſas eo die ſit privilegii, non præcepti. Rectè tamen cum Gobat monet Sporer, Parochum debere obſervare morem ſuo loco receptum. Ita etiam nullum extat Eccleſiæ præceptum, pluresquàm unam eodem die Nativitatis audiendi Miſſam.

Hoc loco adnotare occurrit, quòd quamvis Parochus, qui plurium Eccleſiarum Rector eſt, poſſit ſecundùm Gobat *tract.* 3. *num.* 188. probabiliter in hac die Natalis Domini in una quaque ex illis Eccleſiis celebrare tres Miſſas, nihilominùs ſatius eſt, quòd talis Parochus unam tantùm Miſſam in ſingulis Eccleſiis, quibus præeſt, celebret, ſi tres habeat Eccleſias regendas. Si verò duas habeat Eccleſias, unam Miſſam dicere valeat in una, & duas in altera, ita ut trium Miſſarum numerum nunquam excedat, & hoc ex eo deducitur, quia facere plura ſacra, quàm regulariter ſit permiſſum, niſi in caſu urgentis neceſſitatis, non licet; nulla autem in tali caſu eſt neceſſitas, quòd in unaquaque Eccleſia Parochus tres Miſſas celebret, cùm una, ùt mox diximus, ſufficiat, ergo, &c. Biſſ. *tom.* 2. *lit. P. n.* 38. §. 1.

Eſt etiam notandum, quòd Sacerdos, dum privatè celebrat tres Miſſas in hac die, poteſt eas celebrare ſimul ſucceſſivè, ideſt unam immediatè poſt aliam, vel etiam pro libitu interpolatè, ſpatium aliquod temporis interponendo inter primam & ſecundam, atque inter ſecundam & tertiam, dummodò tamen non celebret primam ante Auroram, nec tertiam poſt meridiem. Bauldry *ſuprà* n. 34. Quando autem celebrat tres Miſſas hoc ſecundo modo, debet ipſe Celebrans Calicem, in quo celebravit, poſt Communionem relinquere ſuper Corporale, quod non plicat de more; & abſoluta Miſſa in Sacriſtiam prædictum Calicem deferre, & ibi collocare ſuper Corporale, vel pallam aliquam, in aliquo loco honeſto; qui Calix ſi non fuerit omnino diſſiccatus, ùt ordinariè loquendo hoc evenit, eodem ad ſequentem Miſſam debet uti prædictus Sacerdos, vel alius, eum deferendo ad Altare, & tunc, ante vini & aquæ infuſionem pro conſecratione facienda, talis Calix non eſt abſtergendus.

Quòd ſi nulla in Eccleſia ſit Sacriſtia, & Celebrans ſpatium temporis interponere velit inter celebrationem ſecundæ & tertiæ Miſſæ, ùt mox dictum eſt, in tali caſu, ſi cogatur relinquere Calicem ſuper Altare, ſemper eidem Calici ſupponendum eſt Corporale, & honeſtè, ac decenter tractari debet, tam ibi, quàm alibi. Bauld. *ſup. n.* 35. & Biſſ. *tom.* 2. *lit. T. n.* 75.

XV. Gavant. pag. 177. col. 2. eod. n. 6. *Qui unam tantùm facit, vel primam, vel tertiam, facere debet, & tertiam potiùs, &c.)* Quænam dicenda ſit Miſſa à Sacerdote, qui ex rationabili cauſa nonniſi unam in hoc Feſto reſolvit celebrare? Reſpondet Gavantus, in dicto caſu vel primam, vel tertiam celebrari debere, & potiùs tertiam, quàm primam; utpote quæ maxima eſt de die, habetque Orationem diei propriam, ac cum ipſo Officio Divino convenientem. Alii autem apud La Croix *tom. 6. lib. 6. part. 2. n.* 527. cenſent, dicendam eſſe illam Miſſam ex tribus hujus Feſti propriis, quæ tempori, quo celebratur,

[cele]bretur, eſt accommodata; adeoque ſi Sacerdos præfatus celebret in nocte, debet accipere primam Miſſam, ſi in Aurora, ſecundam, in pleno autem die tertiam. Quamcumque autem legat, debet in ea (inquit citatus Auctor) facere commemorationem de S. Anaſtaſia; verùm hanc crediderim non eſſe faciendam, niſi celebretur in Aurora, & legatur ſecunda Miſſa. Rurſus advertit idem Auctor, & quidem optimè, licitum non eſſe Sacerdoti, celebranti duas tantùm Miſſas, loco tertiæ Sacram Communionem ſumere, quia datur tantùm poteſtas, ſeu privilegium triplicandi in hoc Feſto Sacrificium: quo ſignificatur Chriſtum natum eſſe in ſalutem eorum, qui *ante legem*, qui *ſub lege*, & qui *in Evangelio*, ſeu *poſt legem extiterе*, ùt notat Honorius Auguſtodunenſis Auctor Gemmæ Animæ citatus à Gavanto *ſuprà n. 3.*

Pro coronide noſtrarum novarum Additionum, & Obſervationum ſuper hoc Feſto, nihil aliud advertendum ſupereſt, niſi quòd infra Octavam hujus Feſti Nativitatis Domini, non poſſunt dici Miſſæ Votivæ, neque Defunctorum, juxta recentiſſimum S. R. C. Decretum editum 25. Septembris 1706. & datum in noſtro Indice ſub *n. 603. & 628.* in quo prætereà additur, quòd in Miſſis Votivis ſollemnibus pro re gravi, infra eandem Octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam Generalem *tit. 12. n. 4.* de qua re ſermonem pariter habuimus *in parte 1. ſub titulo de Miſſis Votivis §. 10. de Præfationibus, & reliquis Miſſæ Votivæ partibus*, ubi reſolvimus cum Jo. Baptiſta Pittono *in Collect. decis. ad Sacros Ritus pag. 427.* contra Piſart, quòd in Miſſis Votivis ſollemnibus propriam Præfationem habentibus, & infra eandem Octavam occurrentibus, debeat dici Præfatio propria earundem Miſſarum; quæ tamen non excludunt, imò admittunt *Communicantes* de Nativit.

XVI. Gavant. pag. 177. col. 2. num. 7. *In Feſto S. Stephani, quo ille obiit, &c.*) De hoc Feſto S. Stephani pereruditè tractant Baillet *num. 3. in hanc diem*, Thomaſſinus *de dierum Feſtorum celebrat. lib. 2. cap. 9.* Baronius *in notis Martyrologii ad hunc diem*, & Grancolas *in ſuo Comment. Hiſtorico in Breviarium Romanum lib. 2. cap. 17.* qui optimè notat, & eruit ex aliis Scriptoribus, S. Stephanum fuiſſe primum è Sanctis, cui Feſtum in Eccleſia conſecratum fuit, quoniam hic cultus incepit à Martyribus, inter quos hic primum locum ſibi vindicat; & paulò poſt Aſcenſionem Domini martyrii palmam eſt aſſecutus. Sed quoniam ignorabatur præciſa dies mortis ejus, etiam Hieroſolymæ, ubi martyrium ſubiit, priùs in Eccleſiis Orientalibus, & deinde in Occidentalibus ejus Feſtum celebrari cœpit poſt diem Natalem J. C. Quoniam verò, ùt ſuprà diximus, Feſtum Nativ. J. C. celebrabatur in aliquibus Orientis Eccleſiis ſexta die Januarii, unà cum Feſto Epiphaniæ, ſeptima die ejuſdem menſis occurrebat apud eaſdem Eccleſias celebritas S. Stephani Protomartyris, quod quidem Feſtum poſteà die 26. Decembris celebratum eſt, quando nimirum Nativitati J. C. dies 25. Decembris aſſignata fuit in Oriente, ad Eccleſiæ Occidentalis exemplum, ùt ſuprà innuimus; & hæc dies 26. Decembris remanſit, quia etiam dies hæc erat illa, qua Reliquiæ ejus, inventæ die 19. Decembris, à Caphagarmal, ubi inventæ fuerant, Hieroſolymam tranſlatæ fuerunt ſollemniter in Eccleſiam Sion, quæ antiquior erat in prædicta Urbe. Caphagarmal autem erat locus, ubi Gamaliel Corpus S. Stephani ſepeliri juſſerat, ibique jacuerat uſque ad Annum 415. Narratio Reliquiarum S. Stephani, à Presbytero Luciano conſcripta, ſignat expreſsè diem 26. Decembris, qua Hieroſolymam fuere tranſlatæ, non verò 3. Auguſti, qua die celebratur Romæ Feſtum earundem Reliquiarum inventionis; ſed forſan, ùt ait Grancolas, tranſlatio aliquarum Reliquiarum S. Stephani ea die facta Romæ, inventionis nomine inſignita eſt. Utrùm autem S. Stephani cultus in Occidente ante ſuarum Reliquiarum tranſlationem invaluerit, inter ignorata reponit laudatus Grancolas, cùm

nulla

nulla in ſcriptis PP. reperiatur mentio, niſi fortè apud S. Auguſtinum *ſerm.* 322. qui antiquiſſimam in Anconæ Urbe Eccleſiam memorat S. Stephani titulo dedicatam, quæ ipſo Apoſtolorum tempore ædificata credebatur, occaſione unius ex illis lapidibus, quibus S. Protomartyr obrutus fuit, & quem Fidelis quidam, qui ad ejus martyrium aderat, Anconam detulit, juxta publicam illius Urbis traditionem. Allegantur etiam alii ſermones D. Auguſtini, è quibus cultus S. Stephano tributus eruitur; ſed de ſermonibus ejusmodi D. Auguſtino attributis, legantur ea, quæ tradit Thomaſſinus *loc. ſupracit. n.* 5. qui tamen *n.* 10. non inficiatur, cultum D. Stephano præſtitum, à Palæſtina in Africam primùm migraſſe, & deinde in reliquas Occidentis Provincias cum Stephani Lipſanis penetraſſe, & idcirco tot Sacras Stephani Ædes conſtructas fuiſſe.

XVII. Gavant. pag. 177. col. 2. num. 8. *Feſtum S. Johannis, &c.*) S. Johannem Evangeliſtam colit Eccleſia, ait Thomaſſinus *loc. cit. n.* 11. eo fortaſſe die, quo mortem oppetiit; eum vita functum fuiſſe, & quidem Epheſi, ubi Eccleſiam adminiſtraverat, & Aſiam omnem Minorem, dubitandi locus non relinquitur. De tali obitu Polycrates Epheſinus Epiſcopus certiorem fecit Victorem Romanum Pontificem, literis ad ipſum datis, ùt tradit Euſebius *lib.* 3. *cap.* 25. necnon Tertullianus, qui *lib. de Anima* ait: *Obiit & Johannes, quem in Adventum Domini remanſurum fruſtra ſpes erat.* Mentionem pariter facit Chryſoſtomus *homilia* 26. *in epiſt. ad Hebræos* Sepulcri, & Reliquiarum S. Johannis. Hieronymus quoque *lib. de Scriptor. Eccleſ.* adſtruit, præfatum Apoſtolum Epheſi occubuiſſe, & in tumulum prope Civitatem illatum fuiſſe. Plura Oecumenicæ Synodi Epheſinæ loca hæc confirmant, & cultum illi tributum aſſeverant. Non ergo audiendi ſunt, qui Johannem vel nondum obiiſſe, vel ſtatim poſt mortem reſurrexiſſe contendunt.

Solùm igitur ſupereſt dubium ſuper tempore, & præciſo die, quo Johannes è vivis exceſſit. Græci ejus obitum colunt die 26. Septembris, & hiſtoria Paſſionis ejusdem S. Johannis relata à Florentinio, quam nihili facit Tillemontius, aſſerit, ipſum obiiſſe in Dominica Paſchæ, ùt colligit idem Tillemontius, quamquàm Florentinius per Dominicam Reſurrectionis, quæ in illa hiſtoria legitur, non velit intelligi ipſum Paſchæ diem, ſed aliquam ex cæteris Dominicis; dies enim Dominica ab antiquis Scriptoribus dies Reſurrectionis appellari conſueverat. Vereor tamen, ut Florentinii obſervatio locum habeat in hiſtoria illa, nam quamvis Dominica quælibet dici poſſit Reſurrectionis dies, neſcio tamen, an uſquam ab antiquis dicta fuerit *Dominica ipſa Reſurrectionis*, quemadmodùm in hiſtoria prædicta appellatur Dominica, qua Johannes è vivis exceſſit; dicitur enim: *Dominica Reſurrectionis mea venit ad me.* In Faſtis Comneni Johannis celebritas octavo Maji diei aſſignatur. Eccleſia eandem Epheſina ſollemnitatem S. Johannis celebraſſe videtur poſtremis Junii diebus; duæ enim leguntur in Concilio Epheſino panegyricæ Orationes, quarum titulus refert, dictas fuiſſe in die Feſto S. Johannis. Porro Synodus Epheſina definente Junio menſe celebrata eſt; ex hoc autem nonnulli inferunt, tunc temporis Feſtum S. Johannis Evangeliſtæ unà cum Feſto S. Johannis Baptiſtæ die 24. Junii fuiſſe celebratum; quod tamen mera eſt conjectura, quæ rejici potiùs, quàm probari meretur. Venio nunc ad Eccleſiam Latinam, quæ cùm S. Johannis ſollemnitatem ſuis Faſtis adſcripſit, eam diei vigeſimæ ſeptimæ Decembris alligavit; notatur enim ea in Martyrologiis S. Hieronymi, ac Bedæ, Adonis, & Uſuardi (quamquàm in antiquiſſimis codicibus MSS, non Natalis Sancti Johannis, ſed ejus aſſumptio memoretur, quod eorum opinioni favere poteſt, qui Johannem reſurrexiſſe contendunt.) In Kalendario etiam Frontonis, & vetuſtiori Romano à Martene

edita

edito *tom. 4. Anecdot.* & in Regula Chrodogangi Metenſis Epiſcopi Anno 783 Feſtum S. Johannis eidem diei aſſignatur. Eccleſia etiam Græca olim hujusmodi Feſtum celebraſſe videtur poſt Natalem Domini cum Eccleſia Latina, ſiquidem Gregorius Nyſſenus in Oratione funebri S. Baſilii aſſerit, in Eccleſia ſua poſt Feſtum Natalis Domini Feſta SS. Stephani, Petri, Jacobi, Johannis, & Pauli, & Baſilii celebrata fuiſſe. Iſti ſex dies feſti Natalem Domini ſubſequebantur, & idcirco hæc hebdomada feriata erat. Ad imitationem igitur Orientalium Latini quoque Feſto Natalis tot alia Sanctorum Feſta addidere. Quòd ait Gregorius Nyſſenus, Feſtum S. Jacobi celebratum fuiſſe poſt Natalem Domini, id pariter obſervatum legimus apud quasdam Occidentis Eccleſias, præſertim Gallicanas, in quarum veteri Sacramentario tam à Thomaſio, quàm à Mabillonio evulgato, ambo fratres, Johannes, ac Jacobus, uno eodemque die coluntur, nempe 27. Decembris; illud porro obſervatione dignum exiſtimo, quòd in Officio Miſſæ, quæ in prædicto Sacramentario legitur, uterque frater tanquam Martyr celebrabatur, certiſſimum tamen eſt, Johannem ſiccam mortem obiiſſe. Circa autem Feſtum S. Jacobi fratris Johannis, puto ab Auctore illius Sacramentarii erratum eſſe, cùm illud Feſto S. Johannis adjunxit: in vetuſtiſſimis enim MSS. codicibus non fit mentio Natalis S. Jacobi fratris Johannis Evangeliſtæ, ſed ordinationis S. Jacobi fratris Domini. Martyrologium Florentinii, omnium quotquot edita ſunt vetuſtiſſimum, hæc habet -- Sexto Kalendas Januarias aſſumptio S. Johannis Evang. apud Epheſum, & ordinatio S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Judæis Hieroſolymis eſt Epiſcopus ordinatus. In Martyrologio Corbejenſi apud Dacherium in Spicileg. habetur: *Ordinatio Epiſcopatus S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini.* Conſonat vetuſtiſſimum Antverpienſe, quod iisdem verbis memorat ordinationem S. Jacobi. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, non benè conjuncta fuiſſe Feſta amborum fratrum, Johannis, & Jacobi, in Sacramentario Gallicano, cùm alterius Jacobi non quidem Natale, ſed ordinatio, ſeu Cathedra, qua primùm Hieroſolymorum Epiſcopus conſtitutus eſt, antiquitus celebraretur. Fortaſſe etiam de Jacobo fratre Domini intelligendum eſt, quod adſtruit Nyſſenus in Oratione laudata. In Kalendario vetuſtiſſimo Bucheriano Seculi IV. quod denuo typis edidit Theodoricus Ruinart ad calcem Actorum Sanctorum Martyrum, nondum fit mentio S. Johannis. Habetur tamen in Carthaginenſi paululùm recentiori, à Mabillonio, & eodem Ruinarto edito, niſi quòd manifeſtiſſimo ſcribæ errore legatur *S. Johannis Baptiſtæ*, cùm legi debeat *Evangeliſtæ;* Johannis enim Baptiſtæ Feſtum in eodem Kalendario octavo Kal. Julii reperitur. Ex his omnibus quamquàm probabiliter affirmare poſſimus, S. Johannem Evangeliſtam obiiſſe in aliquo ex his diebus, quibus tum ab Eccleſia Græca, tum ab Eccleſia Latina coli conſuevit, nil tamen certi ſtatui poſſe credimus. Propterea nil mirum, ſi doctiſſimus Cardinalis Baronius, quamvis plura de Johannis obitu, & de cultu ejus Reliquiis præſtito, habeat in notis ad Martyrologium Romanum, nullum tamen verbum de die ejusdem obitus faciat.

Ceterùm in Miſſa hujus Feſti juxta regulas communes deberet dici Præfatio propria Apoſtolorum, verùm ob rationes à Gavanto adductas, & præſertim quia ita reperitur in antiquioribus Miſſalibus, *dicitur Præfatio de Nativitate Domini.*

XVIII. Gavant. pag. 177. col. 2. num. 9. *Feſtum Innocentium antiquius eſt Origene, &c.)* Gavantus aſſerit, antiquiſſimum eſſe Feſtum SS. Innocentium, idque eruit ex quibusdam Homiliis Origeni tributis, præſertim verò ex tertia, ubi loquitur de martyrio Innocentium, eorumque Feſto, tanquam antiquiſſimo, cùm in Homilia illa legatur: *Benè SS. PP. co-*

*PP. eorum memoriam celebrari mandaverunt ſempiternam.* Verùm omnibus prædictas Homilias legentibus, non ſolùm patet, eas non eſſe Origenis, ſed non poſſe eſſe, niſi fœtus Auctoris alicujus Latini; ſcatent enim vaniloquiis, antithetis, verborum luſibus, ſynonymis, & alluſionibus, quæ omnia apertè indicant Latinam linguam, qua ab initio compoſitæ fuere, ùt tenet Grancolas *loc. cit. cap.* 20. necnon Thomaſſinus, tanquam ſuppoſititias reputans tales Homilias *loc. ſupracit. n.* 14. Minùs quoque probari poteſt, Infantes iſtos non ſolùm habuiſſe Feſtum, ſed etiam Octavam tempore S. Auguſtini, ex quo in catalogo ſuorum Sermonum per Poſſidium allato aliqui legantur hoc titulo inſcripti: *De Octavis Infantium Tractatus duo.* Nomine enim Infantium ibi non alii veniunt, niſi recèns regenerati per Baptiſmum, de quibus dicitur: *quaſi modò geniti Infantes, &c.* qui veſtem candidam per octo dies deferebant, die octavo, nempe Dominica poſt Paſcha talem veſtem deponebant, & ideò præfata Dominica ob dimiſſionem talium indumentorum candidorum, *Dominica in Albis* uſque modò appellatur. Octava igitur illa non erat niſi Octava Paſchatis, in qua veſtes illæ albæ à novis Baptizatis (in Paſchatis pervigilio ob ſignum lætitiæ deferri inceptæ) dimittebantur. Rurſus nullus profectò prolatus fuit ſermo à S. Auguſtino ſuper Feſto SS. Martyrum Innocentium; & qui ejusdem Sancti Doctoris nomine circumferuntur ſermones de tali Feſto, ſunt procul dubio ſuppoſititii. Sanctus quippe Auguſtinus nullum verbum fecit de prædictis Infantibus, niſi in Inſtructione ad Catechumenos *l.* 3. & quod de iisdem dixit, nullam habet relationem ad Feſtum SS. Innocentium, ſed occaſione expoſitionis in Evangelium S. Matthæi, eorum tantùm martyrium commemorat; Feſtum nullo modo indicat.

In Kalendario Carthaginenſi aliàs memorato de Innocentium Feſto ſermo brevis habetur his præciſis verbis: *V. Kal. Jan. Sanctorum Infantium, quos Herodes occidit:* ex quo inferri poteſt, hoc Feſtum non ſecus, ac illud S. Stephani, priùs in Africa celebratum fuiſſe, unde Romam, & deinde in Galliam tranſierit. Habentur enim quatuor Feſta Natalis in Regula Chrodogangi ſuprà memorati *c.* 74. *in ſollemnitatibus præcipuis, id eſt Natalis .... In Sanctorum Feſtivitatibus, id eſt S. Stephani, S. Jo. Evangeliſtæ, & in Feſtivitate Infantium.* Nonnullas, & quidem validas, ſubnectit rationes Grancolas *loc. cit.* quibus ſuadere conatur, hoc Feſtum in Africa incepiſſe, ſicùt Feſtum S. Stephani, & duo hæc Feſta celebrari conſueviſſe poſt Natale. Præſertim verò, quia apud S. Fulgentium, qui circa Annum 530. mortuus eſt, reperitur poſt ſermonem Nativitatis J. C. ſermo S. Stephani primi Martyris, & deinde ſermo de Epiphania, ſeu de morte Innocentium, & adoratione Magorum; ſicùt etiam, quia Prudentius panxit Hymnum de Innocentibus poſt Hymnum de Epiphania, perinde ac ſi cœpta eſſet fieri commemoratio de his Infantibus in Officio Epiphaniæ, à quo poſteà ſeparati, ac Feſto Nativitatis J. C. conjuncti fuerint. Hæc Grancolas; ſed cùm Prudentius, qui floruit Anno 390. præfatum Hymnum compoſuerit in honorem SS. Innocentium, conjici poteſt, ab illo uſque tempore Eccleſiam prædictis Martyribus cultum præſtitiſſe, & ſi non peculiare Feſtum, memoriam ſaltem aliquam in Feſtis diebus, de iisdem Infantibus pro Chriſto occiſis, exhibuiſſe.

XIX. Gavant. pag. 178. col. 1. dicto n. 9. *Non admittit cantica lætitiæ, quia deſcenderunt in Limbum, &c.* Hic Gavantus prædictam rationem ex Micrologo aſſignat, cur hoc Feſtum non admittat cantica lætitiæ, ejusque Officium lugubre ſit. Sed *tom.* 2 *ſui Theſauri ſect.* 6. *cap.* 5. *num.* 3. meliorem affert rationem, quam etiam aſſignat Durandus *in Rationali Divin. Offic. lib.* 7. *cap.* 41. *n.* 11. & ante eum Amalarius *lib.* 1. *de Eccleſ. Officiis cap.* 41. nimirum, quia compoſitor

hujus Officii conjungi nos vult animis devotarum mulierum, quæ in morte innocentium doluerunt, & planxerunt. Laudatus Amalarius *eodem lib. 4. de Divinis Officiis* apud Grancolas *cit. cap.* 20. adſtruit, Officium Innocentium ab origine ſua nihil habuiſſe lugubre; ſed hoc poſteà invectum fuiſſe in aliquibus tantùm ſecularium Eccleſiis; in Monaſteriis verò ſemper dictum fuiſſe *Gloria in excelſis* ad Miſſam, & *Te Deum* ad Matutinum. Uldaricus Abbas in conſuetudinibus Cluniacenſibus, docet, apud prædictos ſuos Monachos ſervatum fuiſſe antiquum uſum Monaſteriorum, de quo loquitur Amalarius: *In Natali Innocentium, quòd aliæ Eccleſiæ non cantant Gloria in excelſis, nec Alleluja, hoc minimè curatur à nobis;* ſed ùt ùt ſit de præfatorum Monachorum Ritu, inpræſentiarum hoc certum eſt, quòd juxta Rubricas Miſſalis Romani, & apud univerſam Eccleſiam, in Feſto SS. Innocentium, quamvis in Miſſa dicatur *Credo* (ratione Octavæ Nativitatis Domini, & S. Johannis Apoſtoli) attamen non dicitur *Gloria in excelſis*, niſi venerit in Dominica, aut niſi SS. Innocentes Martyres ſint Titulus, ſeu Patroni Eccleſiæ (non autem præciſè alicujus Altaris, etiam majoris) cùm enim ibi ſint duplex primæ claſſis, tunc etiam juxta noſtrum Gavantum *tom. 2. ſui Theſauri ſect. 6. cap. 6. num.* 7. & Bauldry *part.* 4 *cap. 2. n.* 37. necnon Halden *part.* 2. *tit.* 12. *n.* 28. tunc, inquam, in Officio hujus Feſti, ſicùt dicitur *Te Deum*; ita in Miſſa dici debet, non tantùm *Credo*, ſed etiam *Gloria in excelſis*, item Graduale cum *Alleluja* ante & poſt ℣. omiſſo Tractu, ac denique *Ite Miſſa eſt* in fine Miſſæ, & tam ad *Officium*, quàm ad *Miſſam* adhiberi *color rubeus;* perinde ac fit in Eccleſia univerſali, quando hoc Feſtum venerit in Dominica, quia (ùt benè ratiocinatur noſter Gavantus) ſi hæc omnia ſigna lætitiæ conceduntur ratione *Dominicæ*, in qua non eſt dolendum, debent pariter concedi in Feſto Titularis, ſeu Patroni Eccleſiæ, in quo etiam non eſt dolendum; & ſi SS. Johanni Baptiſtæ, ac Laurentio conceditur *Credo*, tam quando celebratur eorum Feſtum in propria Eccleſia, quàm quando idem Feſtum incidit in *Dominicam*, rectè exinde arguitur, æqualia eſſe quoad prædicta, celebrari aliquod Feſtum in Dominica, & celebrari in propria Eccleſia; quapropter in utroque caſu, æqualiter ſunt celebranda. An autem ſimili modo liceat ordinare Miſſam hujus Feſti, necnon Officium, quando hoc non quidem eſt Titulare Eccleſiæ, ſed in ea aſſervantur inſignes SS. Innocentium Reliquiæ; laudatus Halden, qui proponit *cit. loc.* hoc dubium, aſſertivè reſolvere non audet; verùm ſubnectit. quòd ſicùt teſte Gavanto *loc. ſupracit.* titulus ſolius Altaris SS. Innocentium, etiam *majoris*, non eſt ratio ſufficiens ad difformandum ſe in modo dicendi Miſſam, & Officium de hoc Feſto, & ad recedendum à Ritu Eccleſiæ univerſalis; ita etiam particularis Eccleſiæ alicujus dictarum Reliquiarum cultus, etiamſi ſollemnis, & publicus, ſufficere non videtur ad difformandum ſe in modo celebrandi Miſſam hujus Feſti ab Eccleſia univerſali. Bauldry tamen *part. 4. cap. 2. num.* 38. cenſet, quòd ſi in Eccleſia aliqua fuerit aliquod Corpus eorundem Innocentium, vel inſignis Reliquia, poſſit celebrari Miſſa, & recitari Officium eorundem, cum canticis, & ſignis lætitiæ, eodem modo, quo fit, quando tale Feſtum occurrit in Dominica.

In die autem Octava hujus Feſti, ubicunque, aut quocunque die celebretur, in Officio dicitur pariter *Te Deum*, ùt ſuo loco etiam adnotabimus; & in Miſſa *Gloria in excelſis*, itemque *Graduale* cum *Alleluja*, & ℣. ſequente, necnon in fine Miſſæ *Ite Miſſa eſt*, & adhibetur tam ad Officium, quàm ad Miſſam color rubeus, ùt præſcribitur in Rubricis. Ratio autem hujus Ritus eſt, ùt notat Gavantus *pag. 177. num.* 3. & in Præfatione ad Octavarium Romanum, quia dies Octava Beatitudinem Cœleſtis Patriæ ſignificat,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

à qua omnis abeſt luctus, ac lacrymæ. Non dicitur tamen *Credo* in die hujus Octavæ, niſi hæc venerit in Dominica.

XX. Gavant. pag. 178. col. 1. n. 11. *Dominica infra Octavam, &c.*) Hæc Dominica appellatur: *Dominica vacat prima poſt Nativitatem Domini.* In aliquibus Ordinibus Romanis dicitur prima Dominica poſt Nativitatem. Hæc Dominica à Micrologo *cap.* 27. à Gavanto *cit.* vocatur Officium *Dum medium ſilentium, &c.* quia hæc eſt Antiphona *à cap.* 18. *Sapientiæ* deſumpta, qua incipitur Introitus Miſſæ hujus diei, & per quam nos docet Eccleſia, quòd ſicùt mediæ noctis tempore Deus Populum ſuum ab Ægypti captivitate liberaverat; ita etiam media nocte Verbum ſuum Incarnatum Mundo apparuit, ut à peccati ſervitute eum liberaret.

Advertere debemus, quòd ſi poſt Feſtum S. Thomæ Cantuarienſis occurrat Sabbatum, ipſa die Sabbati dicitur Miſſa de Octava Nativitatis, cujus Introitus incipit: *Puer natus, &c.* cum commemorationibus ibi poſitis, ùt dicitur in Rubrica poſita poſt Feſtum prædictum S. Thomæ.

XXI. Gavant. pag. 178. col. 1. num. 12. *Octava Nativitatis, & Circumciſionis, &c.*) Ordinarium Nannetenſe relatum ab Edmundo Martene *in tract. de antiq. Eccleſ. diſcipl. cap.* 13. *n.* 15. ait: *Quidam dicunt, quòd in die Circumciſionis tria Feſta concurrunt, B. M. V. Circumciſionis, & Octavæ Domini, quia ſi Chriſtus circumciſus non fuiſſet, nihilominùs fieret Octava. Et alii dicunt, quòd duo Feſta tantùm concurrunt, B. M. V. & Circumciſionis; unde in multis Eccleſiis dicitur prima Miſſa de B. M. V.* Vultum tuum, &c. *alia verò de Circumciſione:* Puer natus eſt, &c. *& Evangelium Lucæ legitur:* Poſtquàm impleti ſunt. Hæc præfatum Ordinarium; & quidem in pleriſque antiquis Miſſalibus duæ Miſſæ reperiuntur, ùt adnotat idem Martene *cit. loc.* In antiquioribus Sacramentorum libris, alia etiam legitur Miſſa *ad prohibendum ab Idolis* inſcripta, ùt in codice Gellonenſi, in Rhemenſi, Regio Gallicano, *n.* 3865. præſertim verò in Sacramentario Gelaſiano, & aliis quibusdam, quæ Miſſa potiſſimùm inſtituta erat ad reprimendas Paganorum hac die ſuperſtitiones, quas fusè deſcribit S. Auguſtinus, ſeu alius *ſerm.* 129. in Appendice novæ editionis, quasque etiam refert Martene *ubi ſupra cit.* Poſteà verò ex duabus Miſſis una tantùm facta eſt ſub titulo Circumciſionis: *Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini*, in qua duplex habetur Benedictio, una ante Communionem, altera poſt.

Quale autem Officium Romæ olim fieret hac die, ùtrùm de Octava Nativitatis, vel de Circumciſione, vel de Virgine, difficile dictu eſſe ait Grancolas *Comment. Hiſtoric. in Breviarium Romanum lib.* 2. *cap.* 24. In Sacramentario Gelaſiano, ſicùt etiam in Gregoriano, Miſſa hujus diei inſcribitur: *In Octavas Domini, in Octavis Domini.* Durandus verò *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 13. ait, quòd cùm Eccleſia non faciat Feſtum de Paſſione Domini, videtur quòd in Circumciſione, in qua incipit Paſſio Domini, tunc etenim primum Sanguinem ſuum fudit, non ſit faciendum feſtum, ſed potiùs lamentum, ſicùt & in Paſſione; adeoque dicitur, quòd Feſtum non fit de Circumciſione, ſed de Octava Natalis Domini.

In Hiſpania quartum Concilium Toletanum habitum Anno 633. præſcribit abſtinentiam hac die ſervandam, & cantari vetat *Alleluja* in Officiis Eccleſiæ, ſed nequaquam loquitur de Officio Circumciſionis; ita pariter D. Iſidorus *lib.* 2. *de Div. Offic. cap.* 40. ait, Eccleſiam Kalendis Januarii inſtituiſſe jejunium propter errorem Ethnicorum; ſed de Feſto & Officio Circumciſionis, ne verbum quidem facit. E contrà vero in Gallia Feſtum hoc Circumciſionis nomine vocatur, & Concilium Turonenſe ſecundum *Can.* 17. habitum Anno 567. præcipit ea die jejunari, ſicùt aliæ Eccleſiæ hoc præſcribebant ad profanas conſuetudines Ethnicorum, quæ Kalendæ Januarii vocabantur, expiandas, ut ſuperiùs

perius innuimus, & Miſſam Circumciſionis præſcribit; ita etiam in Capitularibus Caroli Magni *lib. 6. cap.* 186. appellatur hæc dies Circumciſio: *In Circumciſione Domini Kalendis Januarii.* Ordo pariter Cluniacenſis de Circumciſione tantùm loquitur. In antiquis Martyrologijs Galliæ appellatur Circumciſio JEſu Chriſti ſecundùm carnem, & quidem, ut benè ponderat Grancolas *loc. cit.* Octava Natalis celebrari non poteſt abſque celebritate Feſti Circumciſionis, quoniam octava die JEſus Chriſtus circumciſus fuit. Et quamvis in ſupracit. Sacramentariis, Gelaſiano, & Gregoriano, intituletur Miſſa hujus diei *in Octavis Domini*, ùt ſuprà etiam innuimus, nihilominùs in Præfationibus utriuſque Sacramentarii mentio fit non ſolùm Octave Nativitatis, ſed etiam Circumciſionis, & Puerperii B. M. V. *cujus hodie Circumciſionis diem, & Nativitatis octavam celebrantes, tua Domine mirabilia veneramur, quia quæ peperit, & Mater, & Virgo eſt;* hæc habentur in Præfatione codicis Gregoriani, ſimiliter etiam recenſentur in codice Gelaſiano; in Miſſali verò Gothico, Miſſa hujus diei, quæ unica eſt, inſcribitur: *Ordo Miſſæ in Circumciſione Domini N. J.* ſed in præſenti Miſſali Romano recognito omnia prædicta tria Feſta in unum conflata videntur in Ordine Miſſæ; nam Oratio eſt *de S. Maria;* Evangelium verò *de Circumciſione*, reliqua *de Octava* Nativitatis, & Miſſa inſcribitur: *in Circumciſione Domini, & Octava Nativitatis.* Si hoc Feſtum Circumciſionis incidat in Dominicam, Anno illo Dominica vacat, ideſt nihil eo Anno, die illo fit de Dominica, nec in Miſſa, nec in Officio; reliqua ſerventur, proùt diſponunt Rubricæ Miſſalis in tali die. prædicta innuiſſe ſufficiat pro ſacra eruditione hujus Feſtivitatis, & qui plura ſcire deſiderat, adire poterit citatos Auctores, nimirum Martene, Grancolas, nec non Baillet, & Thomaſſinum *lib. 2. cap.* 8.

XXII. Gavant. pag. 178. col. 1. num. 14. *Vigilia Epiphaniæ, &c.*) Nonnulla ſpectantia ad ſacram eruditionem hujus Vigiliæ tradit Grancolas *Comment. Hiſtor. in Breviarium Romanum cap.* 29. Quoad praxim ſervandam in Ritibus hujus Vigiliæ multa etiam congerit noſter Gavantus *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 6. *n.* 1. unde nihil aliud ſupereſt obſervandum hoc loco, niſi hanc Vigiliam ita eſſe privilegiatam, ut ſi in illa occurrat alicubi Feſtum etiam primæ claſſis, de ea debeat fieri commemoratio ad Laudes in Miſſa, cum ultimo de eadem Vigilia Evangelio. Ita Halden *part.* 2. *tit.* 1. §. *Hæc eſt Vigilia*, & Guyetus *lib.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 5. ubi addit, hanc Vigiliam ita eſſe privilegiatam, ut æquiparetur Dominicis, & ideò in Feſto primæ claſſis in eam occurrente, faciendam eſſe de ea commemorationem, quæ in aliis Vigiliis omittitur in prædicto caſu, ùt alibi diximus. An verò in hoc caſu cantandæ ſint duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſi vera eſſet ratio Francolini apud Gavantum 1. *part. tit.* 7. *de Commemorat. n.* 2. duas Miſſas nunquam eſſe cantandas poſt unam Horam; non deberet cantari niſi unica Miſſa, quia utraque harum Miſſarum in prædicto caſu cantanda eſſet poſt Tertiam; ſed cùm ratio illa parùm valeat apud Guyetum *cit. lib.* 4 *cap.* 2. *quæſt.* 5. hinc exiſtimat Rubricæ de Vigiliis futurum conformius, ſi duæ Miſſæ Conventuales in dicto caſu cantentur in prædictis Eccleſiis, nimirum una de Feſto primæ claſſis, altera de Vigilia Epiphaniæ; neque obſtat, ait ipſe, quod in hac Vigilia non ſit jejunium; Vigilia enim Aſcenſionis perinde ſine jejunio eſt, & tamen duas, imò aliquando tres in ea dicendas eſſe Miſſas Conventuales declarat propria Rubrica. Ulteriùs idem Auctor *lib.* 4. *cap.* 5. *quæſt.* 5. ſubnectit, quòd ſi vera Dominica eſt Vigilia iſta Epiphaniæ, ùt infrà ipſe probat, talem Vigiliam reputari tanquam diem Dominicam, tunc dicendam eſſe nihilominùs ejus Miſſam adſtruit, & quidem poſt Primam, ſi incommodum videtur, duas Miſſas nulla mediante hora cantare. Si hæc Vigilia incidat infra ali-

quam Octavam conceſſam aliquibus ex ſpeciali privilegio, quia de jure communi hoc accidere non poteſt, cùm novo jure Urbani VIII. interdictæ ſint omnes Octavæ à die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam; ſi, inquam, incidat infra aliquam Octavam, tunc quidem non duæ Miſſæ, ſed unica Conventualis, & hæc de Vigilia dicenda erit, cum commemoratione illius Octavæ, & *Credo* etiam extra Dominicam, ſi talis Octava illud habeat, non enim hæc eſt Vigilia ſimplex, ſeu ferialis, ùt ſunt aliæ Vigiliæ communes, ſed feſtiva, & Dominicalis, adeoque capax Symboli, aliunde debiti; Miſſæ pariter privatæ deberent dici de Vigilia in prædicto caſu cum commemorat. Octavæ; cæterùm in hac Vigilia prohibentur Miſſæ Votivæ, & Defunctorum, ùt liquet ex Decreto edito die 27. Aprilis 1697. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 514. & alio emanato die 16. Junii 1708. dato in noſtro Indice ſub *n.* 607. & denique ex alio edito die 10. Decembris 1718. dato in noſtro Indice ſub *n.* 635.

XXIII. Gavant. pag. 178. col. 2. num. 15. *Epiphania, ſeu Theophania, &c.*) Jam ſuperiùs diximus, Feſtum hoc primitùs, in Oriente præſertim, fuiſſe unitum cum Feſto Nativitatis JEſu Chriſti, & deinde ſejunctum ad imitationem Eccleſiæ Occidentalis. Hoc Feſtum appellatur Epiphania, nimirum manifeſtatio, ſeu apparitio, ſive quia hoc die celebratur etiam Chriſti Baptiſmus, & divina manifeſtatio ſuæ Gloriæ, illis verbis ſui Æterni Patris facta: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* ſive quia in hac die adoratus fuit à Magis, & Gentibus manifeſtatus eſt. Appellatur etiam hoc Feſtum Theophania ab aliquibus, quæ vox Dei præſentiam ſignificat, propterea quòd Pater Divinus præſentiam ſuam in Filii Baptiſmo manifeſtaverat. Tria objecta in hoc Feſtum coaluere, nimirum Chriſti Baptiſmum, miraculum in Nuptiis ab eo factum, quo aqua in vinum converſa eſt, & adoratio Magorum; unde S. Maximus Taurinenſis *homilia 6.* de Epiphania agit de tribus hiſce Feſtis in unum conflatis, ſed nequaquam dici poteſt, quodnam eorum in 6. Januarii diem inciderit. S. Iſidorus Hiſpalenſis *Offic. lib.* 10. *cap.* 6. id ipſum advertit, dicendo: *Tribus cauſis hæc dies Epiphania dicitur, quia Chriſtus in Baptiſmo ... & quòd eo die ſideris ortu Magis eſt proditus, ſive quòd primo ſigno per aquam vinum factam ...* Hæc omnia patent etiam ex Hymno Prudentii, quem ad Divina Officia adhibet Eccleſia, & ex S. Paulino *carm.* 9. de S. Felice. Quidam autem opinati ſunt, ab Eccleſia triplicem hanc Gloriam manifeſtationis JEſu Chriſti fuiſſe conjunctam, & die 6. Januarii celebratam, ut oblivione deleret triplicem Imperatoris Auguſti triumphum, quem Romæ 6. Januarii Ethnici celebrabant; poſteaquàm per hunc Imperatorem Pax toto Orbe Terrarum conciliata eſt, clauſumque Jani Templum. Quapropter, ut Populus à prophana illa celebritate revocaretur, triplicem memoratum Chriſti triumphum, aut manifeſtationem, Eccleſiam in unum idemque Feſtum conflaſſe, & eidem diei 6 Januarii affixiſſe nonnulli arbitrati ſunt, ùt refert Oroſius *lib. 6. cap.* 18. Feſtum hoc eſt antiquiſſimum, tum in Oriente, tum in Occidente, & eſt unum ex illis, quæ ab Eccleſia Latina vocantur *Sacratiſſima Sacroſancta* in Canone Miſſæ, propterea quòd circa ea totus Divini Officii Ordo verſatur. Ritus, qui ſpectant ad recitationem Officii hujus diei, examinabimus *in tom. 2. noſtr. obſerv.* ubi agemus cum Gavanto de eadem ſollemnitate. Ea verò quæ ſpectant ad ſacram eruditionem Miſſæ hujus diei, & alias ceremonias, quæ antiquitus in hac die exercebantur in Eccleſia Orientali, necnon in Ambroſiana, & aliis Occidentalibus, fusè deſcribuntur à Grancolas *loc. cit. cap.* 30. necnon ab Edmundo Martene *cap.* 14. ſicùt etiam à Thomaſſino *de dierum Feſtorum celebritate lib.* 2. *cap.* 6.

Infra Octavam hujus Feſtivitatis non poſſunt

ſunt dici Miſſæ Votivæ privatæ, neque Defunctorum, ùt patet ex ſuprà allegato Decreto dato in noſtro Indice ſub *n.* 217. edito die 28. Auguſti 1627. unde infra Octavam etiam præſente corpore, ùt benè advertit Halden *cit. loc.* dictæ Miſſæ privatæ Defunctorum celebrari non poſſunt. Quòd ſi ex gravi cauſa diebus infra hanc Octavam dicatur Miſſa Votiva ſollemnis, eaque habeat Præfationem propriam, debet hæc in ea dici, ùt ſuprà adnotavimus in Miſſis Votivis ſollemnibus, quæ celebrari poſſunt infrà Octavam Nativitatis. Si autem prædicta Miſſa Votiva ſollemnis non habeat Præfationem propriam, tunc dicenda eſt *Præfatio Epiphaniæ*, ùt & hujus *Communicantes*, ſive habeat, ſive non habeat Præfationem propriam. Si autem Votiva illa ſollemnis ſit Miſſa de Requiem, quæ præſertim coram corpore dici poteſt, tunc *Præfatio*, & *Communicantes* erit commune, nam in Miſſis quibuſcumque Defunctorum hæc nunquam variantur, quocunque tempore legantur.

Infra Octavam Epiphaniæ dicitur eadem Miſſa, quæ in Feſto, & poſt Orationem diei dicuntur Orationes: *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* & *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi occurrat Feſtum ſimplex; tunc enim tertia eſt: *Deus, qui ſalutis, &c.*

De diebus infra Octavam Epiphaniæ occurrentibus, agit etiam Grancolas *loc. cit. cap.* 31. ubi varia congerit, quæ ſpectant ad ſacram eruditionem, præſertim Officii, Antiphonarum, Lectionum, &c. quæ olim dicebantur, & hodie adhuc dicuntur in prædictis diebus, & in Octava ejuſdem Feſti Epiphaniæ.

De Feſtis autem duplicibus, & aliis, quid agendum ſit infra dictam Octavam Epiphaniæ, pendet, ùt ait Gavantus *num.* 18. à Rubrica Breviarii, ubi cum ipſo nos quoque de prædictis Feſtis, & aliis ſermonem habebimus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IV. De Dominicis poſt Epiphaniam, uſque ad Septuageſimam.

I. Gavant. pag. 178. col. 1. n. 1. *Cur ſex tantum Dominicæ intercurrant, &c*) Dominicæ poſt Epiphaniam, uſque ad Septuageſimam poſſunt eſſe, vel ad ſummum ſex, vel ad minimum una; quò enim propior Epiphaniæ, vel ab ea remotior eſt Septuageſima (quæ quidem major, aut minor diſtantia à Paſchatis mobili Feſto dependet) eò pauciores, vel plures, ſunt Dominicæ infra hoc tempus; & hinc poſitum eſt in Breviario Romano Officium ſex Dominicarum poſt Epiphaniam, & in Miſſali deſcribuntur ſex Miſſæ dicendæ in ſex Dominicis, quæ ad ſummum occurrere poſſunt poſt Epiphaniam. Quod ſi alicui, vel aliquibus illarum poſt Epiphaniam celebrandis locus ordinarius non ſit; tunc vel celebrantur Sabbato Septuageſimam præcedente, vel transferuntur poſt Dominicam 23. poſt Pentecoſten, ùt patet ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur poſt Miſſam, quæ dicitur in Octava Epiphaniæ.

Ab Octava Epiphaniæ uſque ad Purificationem, niſi fuerit duplex, poſt Orationem diei, in Miſſa dicuntur iſtæ Orationes: *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* niſi ratione *Menſis*, aut Feriæ II. dicendum ſit *Fidelium, &c.* (tunc enim hoc dicitur ſecundo, ſeu penultimo loco, tertio autem *Deus, qui ſalutis, &c.*) tertia *Eccleſiæ tuæ, &c.* vel *Deus omnium Fidelium, &c.* pro Papa: poſt Purificationem verò Oratio ſecunda eſt *A cunctis*, tertia ad libitum; niſi rurſus ratione menſis, aut Feriæ 2. dicenda ſit loco ſecundo Oratio *Fidelium*, & tertio *A cunctis*. Denique eadem ſecunda Oratio *A cunctis*, & tertia ad libitum, in Miſſa dicetur

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur pariter poſt diem 2. Februarii, in caſu, quo occurrat transferri Feſtum, ſeu potiùs Officium Purificationis B. M. V. ùt liquet ex Decreto emanato die 14. Februarii 1705. dato in noſtro Indice ſub *n.* 588.

II. Gavant. pag. 178. col. 2. n. 3. *Secunda Dominicæ Miſſa dicitur ſemper, &c.*) Si Dominica Septuageſimæ fuerit Dominica 2. poſt Epiphaniam; tunc in præcedenti Sabbato, ſi non fuerit impeditum Feſto ſemiduplici, dicitur Miſſa de Dominica ſecunda poſt Epiphaniam cum ſupradictis Orationibus. Si verò Feſtum ſimplex in eo occurrat, de eo facienda eſt commemoratio in Miſſa Dominicæ; ſi verò Sabbatum illud fuerit impeditum Feſto aliquo ſemiduplici, tunc prima die poſt Octavam Epiphaniæ, in qua non fit Feſtum duplex, dicitur Miſſa de ſecunda Dominica, & Feſtum ſemiduplex in eo occurrens transfertur in primam diem ſimiliter non impeditam. Ita colligitur ex Rubrica Miſſalis, quæ habetur ante Dominicam ſecundam poſt Epiphaniam.

Nunc verò in recenti Decreto edito à S. R. C. die 29. Novembris 1721. ita habetur -- Officium proprium SS. Nominis JESU, quod aliàs plerisque Chriſtiani Orbis Provinciis, & Regnis, variiſque particularibus Eccleſiis, & Ordinibus Regularibus fuerat conceſſum, imposterùm ab omnibus Chriſtifidelibus, tam Secularibus, quàm Regularibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſub Ritu duplici ſecundæ claſſis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam recitari, & Miſſam reſpectivè celebrari debere, indulſit S. R. C. die 29. Novembris 1721. annuente Innocentio XIII. ſub die 20. Decembris ejusdem anni -- Ex vi igitur prædicti Decreti, in prædicta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, celebranda eſt Miſſa de SS. Nomine JESU, cum commemoratione præfatæ Dominicæ, & Evangelio in fine. Quando autem prædicta Dominica ſecunda poſt Epiphaniam non habuerit propriam ſedem Dominicalem, ob Dominicam Septuageſimæ occurrentem die 18. vel 19. vel etiam 20. Januarii (in quibus caſibus agendum eſt de prædicta Dominica ſecunda, ùt ſuperiùs expoſuimus) tunc, cùm prævaleat Dominica prædicta Septuageſimæ, ſicùt prævalet occurrente in ea Feſto Purificationis B. V. M. Officium SS. Nominis Jesu erit transferendum ad primam diem non impeditam, & ſic etiam Miſſa correſpondens dicto Officio. In prædicta Miſſa SS. Nominis JESU, quamvis in pluribus Miſſalibus impreſſa ſervetur ſequentia, quæ incipit: *Lauda Sion Salvatoris JESU nomen, & amoris*, hæc tamen non eſt dicenda niſi à Fratribus Minoribus S. Franciſci, tum quia in conceſſione anteà facta Societati JEſu Anno 1701. 1. Octobris, dicitur expreſsè: *Excluſa tamen ſequentia;* tum quia poſt hanc univerſalem conceſſionem, Miſſa Romæ impreſſa non continet dictam ſequentiam. Rurſus dicta ſequentia omitti pariter debet à Cappellanis, ſeu Confeſſariis non Franciſcanis, in Eccleſiis Monialium Ordinis S. Franciſci; nam præfati Cappellani poſſunt quidem in dictis Sanctimonialium Eccleſiis dicere Miſſam de Feſto, de quo ipſæ Moniales recitant Officium, ùt alibi diximus, & liquet præſertim ex Decreto edito die 20. Novembris 1717. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 634. ſed prout talis Miſſa deſcripta jacet in Miſſali Romano, in qua non habetur dicta ſequentia.

III. Gavant. pag. 179. col. 2. n. 5. *Dominica VI. poſt Epiphaniam deſiderata fuit, &c.*) De Dominica VI. poſt Epiphaniam, nullum habebatur Officium, nec Miſſa, quia rarò accidit, ut ſex occurrant Dominicæ ab Epiphania uſque ad Septuageſimam, & ſi quando accidiſſet, in VI. Dominica repetebatur Officium, & Miſſa quintæ Dominicæ. Pius autem V. ùt notat Gavantus *hic*, interſeri juſſit Officium proprium, nec non Miſſam pro VI. Dominica.

Novæ

# Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

## Tit. V. De Dominicis à Septuageſima, uſque ad Feriam 4. Cinerum.

I. Gavant. pag. 179. col. 1. n. 1. *Quadrageſima Ritus antiquior eſt . . . nam ab Apoſtolis tradita eſt, &c.*) Non deſunt, qui inſtitutionem jejunii Quadrageſimalis Teleſphoro Summo Pontifici adſcribunt apud Euſebium in Chronico ad annum Chriſti 136. ubi ita legitur: *Quadrageſimale jejunium à Teleſphoro per hoc tempus inſtitutum ac præceptum quidam ſcribunt.* Verùm hæc verba in MSS. Codicibus deſiderari, ideoque Chronico Euſebii inſerta eſſe, jam animadverterunt Arnaldus Pontacus, & Joſephus Scaliger in Notis ad illud Chronic. Rabanus quidem Maurus *lib. 2. de inſtit. Cleric. cap.* 34. & Rupertus Tuitienſis Abbas *lib. 4. de divinis Officiis cap.* 9. idem ſcribunt ac Euſebius; ſed dicendum cum Franciſco Pagio in hiſtoria Teleſphori Papæ, Rabanum, & Rupertum facilè deceptos fuiſſe, ſive teſtimonio libri Pontificalis Anaſtaſio Bibliot. tributi, ſive interpolati jam Euſebii Chronici, & præſtantiores eſſe Auctores illos, quos referunt Thomaſſinus in *tract. de jejunio cap. 4. 5. & 6.* & Natalis Alexander *ſeculo II. diſſert. 4. art. 3.* quorum auctoritate probatur, Quadrageſimale ſeu Antepaſchale jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum, & derivatum fuiſſe, præſertim verò auctoritate Divi Hieronymi *epiſt.* 54. ad Marcellam, ubi ait: *Nos unam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolicam jejunamus, &c.* & S. Leonis *ſerm. 43. de Quadrageſima 6. cap. 2.* in quo hæc leguntur: *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur non ciborum tantummodò parcitate, ſed privatione maximæ vitiorum, &c.* Aliæ antiquorum PP. nec non Conciliorum auctoritates, & alia ſpectantia ad hoc Quadrageſimale jejunium, legi poterunt apud mox laudatos Auctores, nec non apud Baillet *tom. 4. pag. 36. & ſeqq. editionis Pariſienſis Anno* 1716. Grancolas *Comment. hiſtor. in Breviarium Romanum cap.* 37. & recentiſſimè apud Card. Lambertinum *in ſua inſtruct. ſeu notificatione* 15. in qua inter alia optimè notat, hunc Ritum ab Hæreticis impetitum, fuiſſe à quatuor ſapientiſſimis S. Rom. Eccleſ. Card. validiſſimè propugnatum, nimirum Baronio *ad annum Chriſti 57. n. 140.* Bellarmino *tom. 4. ſuarum controv. lib. 2.* Cozza *in ſuo tract. Dogmat. & Morali de jejunio*, & Gotti in ſuo commendatiſſimo opere contra Jacobum Piceninum *tom. 2. part. 1. art. 6. §. 4. & ſeqq.*

II. Gavant. pag. 179. col. 1. n. 2. *Quinquageſima tribuitur Teleſphoro, &c.*) Inſiſtendo Gavanti veſtigiis, hunc ordinem tenemus in his noſtris Additionibus, & Obſervationibus, procedendo nimirum à Ritibus, & jejunio Quadrageſimali, ad Dominicam Quinquageſimæ, de qua dicimus, quòd non ſolùm Radulphus tribuit Quinquageſimam Teleſphoro, ſed etiam Petrus Bleſenſis *ſerm.* 13. qui pariter Quadrageſimæ inſtitutionem eidem Pontifici adjudicavit; quæ quidem falſa opinio ab Ante-Siricianis decretalibus, de quibus ſuprà ſermonem habuimus in pluribus locis, originem trahit; deinde *cit. ſerm.* 13. Petri Bleſenſis dubitatur à nonnullis, utrùm ſit genuinus, vel ſuppoſititius, ùt notat etiam Card. Lambertinus *in ſua notificat.* 14 Prædictum autem Quinquageſimæ nomen pluſquàm quadringentis annis poſt Teleſphorum invectum fuiſſe cenſet Grancolas *l. c. cit. cap.* 35. & pluſquàm centum poſt S. Ambroſium, ideoque non admittit tanquam verum, & genuinum *ſerm.* 19. qui ſub ejus nomine circumfertur, & qui *de Quinquageſima* inſcribitur. Concilium Aurelianenſe I. anno 511. *Can.* 24. Quinquageſimam vetuit, hoc eſt jejunare una hebdomada ante Quadrageſimam: *Ut ante Paſchæ ſollemnitatem, non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur*; idque



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

prohibuit, ut Ritus uniformis ab omnibus ſervaretur. Quartum verò Concilium Aurelianenſe anno 541. *Can.* 2. tanquam novum quiddam, & inſuetum conſiderans, Quadrageſimam anticipare duabus hebdomadis, ut ſupplerentur ſex Dominicæ, in quibus jejunare non licet, & ſex Sabbata, quibus multi jejunare nolebant ad exemplum Orientalium, jejunari juſſit Sabbatis Quadrageſimæ, & idcirco non ſolùm Quinquageſimam, ſed etiam Sexageſimam vetuit -- *Hoc etiam decernimus obſervandum, ut Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur, neque Quinquageſimam, aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos audeat indicere, ſed neque per Sabbata quiſque ſolvat Quadrageſimæ jejunium.* Hujusmodi autem conſtitutiones Populis tantùm, & Laicis inſervierunt; vetuſtiſſima enim eſt apud Clerum abſtinentiæ inchoatio in Quinquageſima, ùt legitur in vita S. Uldarici Auguſtani Epiſcopi circa decimum ſeculum, in qua legitur, quòd Clerici carnes manducare deſinerent à Dominica ante Quadrageſimam: *Mos eſt Clericorum, Dominica ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad Paſcha devitare.* Petrus Bleſenſis *cit. ſerm.* 13. de Quadrageſima ait: *Jejunium Quadrageſimale, Regulares Cœnobitæ incipiunt à Septuageſima; Græci à Sexageſima, Clerici verò noſtri Auctore Teleſphoro Papa à Quinquageſima, Univerſus exercitus Chriſtianæ militiæ, Juvenes, & Virgines, Senes cum junioribus ab hac Quadrageſima.* Concilium Claromontanum Anno 1095. ſub Urbano II. ita ſtatuit: *Nemo Clericorum à Quinquageſima carnes comedat.* Concilium Andegavenſe Anno 1270. ſuſpenſionem minatur Presbyteris, qui jejunium Quadrageſimale non inciperent Feria 2. Quinquageſimæ; & Concilium Salisburgenſe Anno 1281. ad id Religioſos omnes adſtringit; & quidem multi Religioſorum Ordines, inter quos etiam noſtra Clericorum Regularium Congregatio, hoc obſervat inſtitutum, jejunandi nimirum 2. & 3. Feria ante Cineres, & ita præſcribitur in noſtris conſtitutionibus *lib.* 2. *cap.* 3. Porro his duobus diebus jejunio Quadrageſimali adjectis id myſterium obſervare erit, ait noſter Antonius Caracciolus in Synopſi veterum Religioſorum Rituum 2. *part. cap.* 3. *num.* 6. quod Beatus Ambroſius memorat, videlicèt, ſicùt poſt 42. manſiones ad Terram promiſſionis à Judæis perventum eſt, ita nos 42. dierum jejuniis Beatam Reſurrectionis Regionem Chriſti reſurgentis meritis conſequamur. Non deſinam advertere, quòd in Liturgia Mozarabica hæc Dominica Quinquageſimæ appellatur *Dominica ad carnes tollendas*, & in hiſtoria Mathæi Paris, vocatur *Carniſprivium*, ob inſinuatam rationem, quia nimirum ab hac Dominica incipiebat abſtinentia à carnibus, & Antepaſchale jejunium.

De Quinquageſima fuſè diſſerit Amalarius *lib.* 1. *de eccleſiaſt. Officiis cap.* 3. Baillet *tom.* 4. *pag.* 15. Grancolas ſupracit. *cap.* 35. Et Card. Lambertinus *in ſua eruditiſſima Inſtructione Paſtorali* XIV.

III. Gavant, pag. 179. col. 2. num. 4. *A numero dierum Ordo Romanus Septuageſimam definit, &c.*) Dominica 3. quæ præcedit Quadrageſimam, hoc eſt primam Dominicam Quadrageſimæ, vocatur Septuageſima. Etenim ſicùt ab Eccleſia illa Dominica ſemper appellata fuit Quadrageſima, ideſt quadraginta dierum ſpatium, ita juxta eandem dicendi formulam retrogrado gradu appellata eſt Quinquageſima, prima illarum trium Dominicarum, quæ præcedunt Quadrageſimam, ſecunda verò appellatur Sexageſima, & tertia Septuageſima: hoc nomen ſortitæ ſunt præfatæ Dominicæ ob rationes, quas inſinuat Gavantus *hic*, & quas etiam tradit Piſart *in direct. Canonic. c.* 5. nec non Halden *part.* 1. *tit.* 40 §. 1. præſertim verò Durandus *in Rationali lib.* 6. *cap.* 24. Baillet *loc. ſupracit.* §. 2. *n.* 4. *pag.* 4. *editionis Pariſienſis* 1716.

Græci primi fuerunt, qui à Septuageſima Quadrageſimæ exordium duxerunt, quia non jejunabant Feria 5. neque Sabbato, ne-

que

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quæ Dominica, ideoque ut tres prædictos dies reſtituerent, anticipabant Quadrageſimam tribus hebdomadis, ùt refert Ratramnus *lib. 4.* contra Græcos *cap. 4. Tribus enim ablatis de ſeptem, Dominica videlicet, Sabbato, & quinta Sabbati, ſuperſunt quatuor dies per ſingulas hebdomadas jejunari.* Ad imitationem facilè Græcorum, ùt opinatur Grancolas *ſupracit. cap. 33.* invecta eſt Romæ Septuageſima, ſaltem in Officio, & Miſſa, & idcirco tribus hebdomadis anticipatus eſt Quadrageſimæ Ritus, ſublatis quibusdam lætitiæ ſignis in Officio publico, eo tempore, quod in Oriente jejunio quadrageſimali conſecratum erat, ne ſcilicet Romani Græcis laxiores viderentur; qui Ritus cum Roma in Galliam tranſiſſet Caroli Magni ævo, quæſitum fuit, qua auctoritate talis Ritus firmari poſſet. Extat epiſtola Alcuini ad Carolum Magnum ſcripta, qua Princeps ille conſulitur de Quinquageſimæ & Sexageſimæ origine, & quia ſuppoſititiæ Decretales, à Pſeudo-Iſidoro compilatæ, & interpolatæ, pervagari cœperant, Teleſphoro Papæ attribuebatur Decretum de Quinquageſima, ut Sabbati jejunia ſupplerentur, & Papæ Melchiadi Decretum de Sabbatis non jejunandis; dicebaturque primus Quinquageſimam, ſecundus Sexageſimam inſtituiſſe. Ita porro Carolus Magnus Alcuino reſpondit. Cùm tales ſuppoſititiæ Epiſtolæ Decretales ſub Carolo Magno in Galliam invectæ fuiſſent, nil mirum, ſi Princeps ille deceptus fuerit. Sed Ratramnus videtur non ignoraſſe talium Decretorum falſitatem, cùm ea ſilentio præterierit. Concludimus igitur, quòd ex anticipatione jejuniorum quadrageſimalium, tres iſtæ hebdomadæ, nempe Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, ſunt introductæ.

Duo Septuageſimæ termini ſunt: dies 18. Januarii, Feſtum Cathedræ S. Petri Romæ, quando Paſcha incidit in diem 22. aut 23. Martii, & dies 22. Februarii, quo colitur Cathedra S. Petri Antiochiæ, quando Paſcha tardiùs occurrit, videlicèt 25. Aprilis, ùt contigit Anno 1734. quo hæc ſcribebam.

IV. Gavant. pag. 181. col. 1. num. 13. *Omittuntur à Septuageſima Cantica lætitiæ, &c.*) In præfatis tribus Dominicis, quæ præcedunt Quadrageſimam, dicitur Miſſa propria cum *Credo*, ſine *Gloria in excelſis*, & *Alleluja*: in eadem Miſſa, ſi Dominica Septuageſimæ (idem eſt de Dominica Sexageſimæ, ac Quinquageſimæ) venerit ante Feſtum Purificationis, vel in ipſa die Purificationis, Oratio ſecunda eſt *Deus, qui ſalutis æternæ, &c.* (Correſpondens autem huic ſecreta, juxta Rubricas Miſſalis, tunc non eſt *Mentibus noſtris, &c.* utpotè incidens cum Oratione currentis Dominicæ; ſed *Tua Domine, &c.* ex Miſſa Votiva de S. Maria poſt Purificationem) tertia Oratio erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, uti notatur in Dominica ſecunda poſt Epiphaniam. Si verò venerit hæc Dominica poſt Feſtum Purificationis, Oratio ſecunda erit *A cunctis*; tertia ad libitum. In iisdem Dominicis (uti & in Feſtis) poſt Graduale (omiſſo in Feſtis *Alleluja*, ac ℣. ſeq.) dicitur Tractus, ùt ibi, non item in Feriis, in quibus reſumitur Miſſa præcedentis Dominicæ; nam in iis tantùm dicitur Graduale, omiſſo Tractu. Præfatio Communis à Septuageſima, uſque ad Feriam 4. Cinerum, in Miſſa Dominicali, ac Feriali, & in Fine *Benedicamus*; quòd ſi in hac, aut alia Dominica privilegiata, occurrat dies octava alicujus Feſti (*v. g.* Patroni, aut Dedicationis Eccleſiæ) fit de tali Octava tantùm commemoratio in Miſſa, ſicùt & in Officio, non tamen dicitur in Miſſa tunc talis Dominicæ tertia Oratio. Cùm enim in Dominicis infra Octavam dicantur tantùm duæ Orationes (niſi fortè facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis occurrentis) à fortiori non niſi duæ erunt dicendæ Orationes in caſu, quo dies ipſamet Octava occurrat in Dominica, utpote nobilior tam die infra Octavam, quàm etiam Dominica infra

Octavam, uti diſcurrit Bauldry *part. 3. cap. 7. in tit. de Orat.* ſectando doctrinam noſtri Gavanti in eodem Titulo *de Orat. &c.*

Cæterùm de prædictis Dominicis Septuageſimæ, & Sexageſimæ eruditè tractant iidem, quos allegavimus ſuprà de Quinquageſima, nec non Durandus *in Ration. lib. 6. cap. 24.* & Martene *in tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 16.* Alios earundem Dominicarum Ritus nos cum Gavanto tradenus in noſtris Obſerv. & Addit. ad 2. Tom. ſui Theſauri, in quo commentatur Rubricas Breviarii Romani.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. VI. De Feria 4. Cinerum, uſque ad Dominicam de Paſſione.

I. Gavant. pag. 181. col. 1. n. 1. *Feria IV. ſeu dies Cinerum non eſt caput Quadrageſimæ, &c.*) Suprà innuimus, Concilium Aurelianenſe anno 541. ut Quadrageſima ab omnibus ſervaretur, vetuiſſe Quinquageſimæ, aut Sexageſimæ Antepaſchale jejunium, & ejusmodi conſtitutiones Populis & Laicis inſerviiſſe, quia Clerici adhuc ex peculiari diſciplina inchoabant jejunium Antepaſchale à Dominica Quinquageſimæ; nunc verò iterum dicimus, quòd antiquitus vigebat uſus non inchoandi præſcriptum quadrageſimale jejunium, niſi Feria 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimæ; unde veriſſimum eſt, quòd Feria 4. quam diem Cinerum appellamus, non erat caput Quadrageſimæ, & reverà tres aliæ Feriæ ſequentes titulo carent Quadrageſimæ, ſed inſcribebantur *Feria V. Feria VI. Sabbato infra Quinquageſimam*, & prædicta Feria 4. inſcripta fuit hoc titulo: *Feria IV. in capite jejunii* in Sacramentario Gregoriano. Ideò autem inſtitutum fuit poſt aliqua ſecula initium jejunii antepaſchalis in hac Feria, quia plerique vexabantur ſcrupulo non jejunandi quadraginta dies, ſicùt fecit Chriſtus Dominus, & idcirco iſti quatuor alii dies ante prædictam Dominicam adjecti ſunt, ad complendum Quadrageſimale jejunium, cùm in Dominicis Quadrageſimæ non ſervaretur. Præfati tamen quatuor dies non erant præſcripti in Hiſpania tempore S. Iſidori Hiſpalenſis, neque tempore quarti Concilii Toletani, imò neque Romæ tempore S. Gregorii, qui Homilia 16. in Evangelia expreſsè dicit, quòd non jejunabatur niſi 36. dierum ſpatio, propterea quòd è quadraginta duorum dierum numero ſex Dominicæ ſubtrahendæ erant. *A præſenti enim die* (hæc ſunt præciſa verba S. Pontificis) *uſque ad Paſchalis ſollemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo ſunt: Ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quàm triginta & ſex dies remanent, dum verò per trecentos, & ſexaginta quinque dies Annus ducitur; nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi Anni noſtri decimas Deo damus;* unde probabile eſt, ùt cenſet eruditiſſimus Menardus *in notis & obſerv. in librum Sacram. S. Gregorii pag. 55.* necnon Grancolas *ſupracit. cap. 36.* Miſſam, quæ reperitur in tali Sacramentario, & quæ inſcribitur: *Feria IV. caput jejunii*, adjectam eſſe poſt obitum S. Gregorii, cùm illius tempore, quatuor illos ante primam Dominicam Quadrageſimæ dies nulla jejunii lex involverit. Reperitur etiam in Codice Gelaſiano à Card. Thomaſio evulgato, de quo jam mentionem pluries fecimus, reperitur, inquam, in dicta Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ Miſſa ſic inſcripta: *In jejunio prima Statio. Feria IV.* Oratio autem prædictæ Miſſæ ſic incipit: *Inchoati jejunii quæſumus Domine benigno favore proſequere, &c.* Quamvis autem Gelaſius D. Gregorium præceſſerit, & quamvis dictus Codex Sacramentorum Gelaſio attribuatur, non inde tamen inferendum eſt, quòd ante D. Gregorium fuerit inſtituta hæc Miſſa,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſa, & quatuor illorum dierum ante Quadrageſimam inſtitutum jejunium; nam ſicuti in Codice Gregoriano, ita etiam in hoc Gelaſiano, de quo loquimur, adjectam fuiſſe talem Miſſam cenſendum eſt; quamvis enim iſte Codex Gelaſio attribuatur, tamen ejus autographum, ad cujus exemplar typis traditus fuit cura prædicti Ven. Card. Thomaſii, qui & idcirco nunc Thomaſianus appellatur, non eſt exaratum niſi paulò ante Annum ſeptingenteſimum, ùt opinatur doctiſſimus Morinus *lib* 7. *de Pœnitentia cap.* 1. *num.* 15. adeoque poſt S. Gregorium, ùt idem Morinus fatetur, & cum eo Thomaſius. Itaque mirum non eſſe debet, ſi huic Codici aliqua reperiantur inſerta, quæ ævum Gregorianum ſubſecuta ſunt; & reverà in ſua eruditiſſima Præfatione mox laudatus Card. Thomaſius ait, ſe libenter admittere, huic Codici nonnulla eſſe appoſita ſequenti ſeculo, quæ Conditores Codicum Sacramentariorum à ſe ſuprà nominatos, nimirum Leonem, Gelaſium, & Gregorium, non ſapiunt. Igitur valido innixi fundamento adſtruere poſſimus, prædictam Miſſam in Feria IV. poſt Quinquageſimam, Codici pariter Gelaſiano adjectam fuiſſe.

Ex hucuſque dictis liquet, Micrologum hallucinatum fuiſſe, cùm capite 46. aſſeverat, ante S. Gregorium additos fuiſſe quatuor jejunii dies, qui Quadrageſimam præcedunt. Æneas Epiſcopus Pariſienſis in ſuo libro contra Græcos *quæſt.* 3. affirmat, S. Gregorium triginta ſex tantùm dies, ſive ſex hebdomadas computaſſe. Rurſus etiam ex regula Magiſtri, quæ habetur *part.* 2. *Codicis Regularum Monaſticarum* evulgati à celeberrimo viro Luca Holſtenio *cap.* 28. colligitur apertè, quatuor hoſce dies ſeptimo ſeculo nondum fuiſſe adjectos. Verùm in prædicta regula eodem capite præſcribitur, ut quod Dominicæ Quadrageſimæ, de quadraginta jejuniis ſubtrahunt Monachi, quarta (nempe Feria) ſexta, & Sabbato à Sexageſima, in jejuniis uſque ad Veſperam continuatis, reſtituant; ut ita quadraginta in numero jejunia compleantur. Nicolaus I. in epiſt. ad Bulgaros, his non præſcribit, niſi Anni decimas pro jejunio Quadrageſimæ; nimirum triginta ſex dies, fortaſſe quia nondum in omnibus Eccleſiis Occidentalibus accepta erat additio quatuor prædictorum dierum, vel quia Populis recenter converſis eam non proponere Pontifex ſatius judicavit. In Eccleſia Mediolanenſi uſque ad tempora S. Caroli, non incipiebatur abſtinentia, & jejunium, niſi Feria II. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, quæ dies erat lætitiæ, & majorum Bacchanalium. Et liquidò apparet ex ejus vita exarata, ejusque Conciliis, quantopere ſudaverit in ſupprimendis prædictis Bacchanalium ſolatiis, quæ ætate ſua nondum deſierant in prædicta Dominica, iiſque abſtinentiam curaverit ſubſtituere, non immutatis tamen quatuor diebus dictam Dominicam primam Quadrageſimæ præcedentibus. *Edicimus prætereà* (en Decretum S. Caroli, quod legitur in Actis Eccleſ. Mediol. *pag.* 12.) *ut in Provincia noſtra proxima quarta Feria poſt Quinquageſimam omnes quadrageſimalis obſervantiæ initium faciant. Præter Civitatem Mediolanenſem, easque Diœceſis partes, ubi ex D. Ambroſii inſtituto Divina Officia celebrantur.* Aliud verò Decretum: Quòd in Quadrageſimæ diebus, prima Dominica etiam in Eccleſia Mediolanenſi numerari debeat, ac proinde à cibis, qui quadrageſimali tempore lege jejunii vetiti ſunt, eo die ſit abſtinendum, ſicut aliis Dominicis Quadrageſimæ, habetur in quinta Synodo Diœceſiana, & inter Acta dictæ Eccleſiæ *pag.* 382. Verùm quamvis nunc in Eccleſia Mediolanenſi prædicti quatuor dies primam Dominicam Quadrageſimæ præcedentes, non ſint obnoxii legi jejunii quadrageſimalis, & quamvis olim omnes hoc modo quadraginta completis diebus, exemplo Chriſti, Moyſis, & Eliæ, non je-

junarent, tamen dicebantur quadraginta dies, & Quadrageſimam jejunare, ùt notat Socrates *lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. cap.* 21.

Cæterùm non unam fuiſſe olim jejunii quadrageſimalis obſervandi rationem, ſive apud Catholicos, ſive apud Hæreticos, ſive apud Græcos, ſive apud Latinos, liquet ex citato Socrate eodem loco, necnon ex Sozomeno *lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. c.* 10. Idem etiam palàm eſt ex S. Leone Papa *ſerm.* 4. in Quadrageſima, & fuſiùs ex Auctore *diſſert.* 6. de jejunio, ſeu *Notarum* ad eundem Sermonem quartum de Quadrageſima. Idem ex Caſſiano *collat.* 21. *cap.* 25. 27. ex S. Dorotheo *doctrina* 15. ex Bailletum, 4. *de Inſtit. Quadrageſimæ n.* 4. *pag.* 38. & *ſeqq. ſupradictæ editionis*, & denique ex Thomaſſino *in tract. de jejuniis part.* 2. *cap.* 1. & 2. in quibus ex profeſſo agit de additione prædictorum quatuor dierum ad jejunium quadrageſimale ante primam Quadrageſimæ Dominicam.

## Pro Ritu ſollemni Benedictionis Cinerum.

II. Rubr. n. 2. pag. 182. *Ante Miſſam benedicuntur Cineres, &c.*) Antequàm diſſeramus de præſenti Ritu benedicendi Cineres hac Feria IV. in capite jejunii, operæ pretium duco, aliqua tradere circa originem & antiquitatem ejusdem ceremoniæ & Ritus. Regino (editus à Baluzio *pag.* 135.) Auctor IX. Seculi, à nonnullis antiquis Conciliis deſumpſit publicæ pœnitentiæ, & ſacri Cineris Ritum. Aderant pœnitentes præ foribus ſacrarum ædium, cilicio & ſacco induti, nudis pedibus, & omnia præſeferentes demiſſionis argumenta; aderat quoque Epiſcopus, & Presbyteri, quibus pœnitentium flagitia, ac mores perſpecti erant, debitaſque pœnas eis imponebant, deinde adſpergebant eos aqua luſtrali, & ſacro Cinere, aliaque præſtabantur, ùt videre eſt apud eundem Auctorem, & apud Thomaſſinum, qui ejusdem verba refert *lib. 2. de Feſtorum celebratione cap.* 13. *num.* 13. Similia legi poſſunt apud Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 17. ubi variarum Eccleſiarum ordines collegit, quibus omnes IV. hujus Feriæ Ritus exhibentur. Eadem pariter colliguntur ex S. Iſidoro Hiſpalenſi *lib. 2. de Officiis cap.* 16. & ex Grancolas *lib. 2. cap.* 43. *ſui Commentarii in Breviarium Romanum*, ex quorum Auctorum placitis, & traditis duo palàm fiunt; primum, ſacros Cineres, quibus hac die omnes aſpergi ſolemus, ad ſolos publicos pœnitentes olim pertinuiſſe, ſed ſuccedentibus temporibus aliquos pietate inſignes voluiſſe participes eſſe harum publicarum humiliationum, & Cinere ſacro etiam conſpergi cum publicis pœnitentibus, quod poſteà tam multi imitati ſunt, ut in communem jam tranſierit conſuetudinem Seculis XII. & XIII. Secundum, quod ex prædictis Auctoribus deducitur, eſt, olim prædictis ceremoniis & Ritibus conſecrata fuiſſe jejuniorum primordia ineunte Quadrageſima, adeoque poſt primam Dominicam Quadrageſimæ. Ex quo autem hac Feria IV. poſt Quinquageſimam incepit jejunium, & appellari cœpit Feria IV. in capite jejunii, eidem Feriæ annexæ fuerunt etiam ceremoniæ illæ ſacræ, quæ pro publicis pœnitentibus Eccleſiæ reconciliandis, ineunte Quadrageſima, exercebantur.

Poſtquàm ceſſavit in Eccleſia diſciplina publicæ pœnitentiæ, nulla alia remanſit in Eccleſia, ſaltem Occidentali, reliquia ejusdem pœnitentiæ, niſi hæc ſacrorum Cinerum aſperſio, & jejunii quadrageſimalis obſervantia.

Tranſitum igitur faciendo nunc ab antiquo ad recentem Ritum aſpergendi Cineres ſuper hominum capita; dicimus, quòd antequàm incipiant recitari Horæ Canonicæ, per Sacriſtam, vel per aliquem Acolythum, hora competenti parari debet Altare majus ſimpliciter cum ſex candelabris de more, & ſine aliis ornamen-

namentis, quæ ſollemnitatem ſapiunt. Color autem antipendi, ſicùt & omnium paramentorum, debet eſſe violaceus. Item ſuper Altare præparabitur Miſſale in cornu Epiſtolæ ſuper Pulvino violaceo, aut Legili, inter dictum Miſſale verò, & cornu Epiſtolæ collocabitur Vas argenteum, ſeu ex alia decenti materia confectum, cum cineribus de combuſtis ramis palmarum, ſive aliarum arborum, præcedenti Anno in Dominica Palmarum benedictis. Dictum autem Vas debet eſſe coopertum, vel operculo ſimili, vel Velo violaceo, uſque ad Benedictionem Cinerum. Ex Biſſo lit. F. n. 41. §. 1. & Caſtaldo *lib. 3. ſect. 4 cap. 1. n. 4.* A prædicto Altari tamen non eſt amovendum SS. Sacramentum (ſi adeſſet) pro hac functione; eſto Sacerdos ipſi Altari terga vertere debeat in Cinerum diſtributione. Bauldry *part. 4. cap. 4. art. 1. n. 4.* & Biſſus *lit. B. n. 86. §. 2.* contra Caſtaldum *loc. ſupracit. cap. 3. n. 3.*

In Abaco verò, ſeu Credentia Altaris majoris, præter conſueta, præparari debet Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, Pelvis cum medulla panis, & Vas aquæ, ac Manutergium pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt Cinerum diſtributionem. Prætereà Thuribulum cum Navicula, & thure. Quia autem poſt Cinerum Benedictionem, & diſtributionem debet cantari Miſſa Conventualis, ſuper eandem Credentiam poſſunt etiam præparari Calix cum Velo, & Burſa coloris violacei, & pelvicula cum Ampullis vini, & aquæ, & mappula ad manus tergendas; Velum humerale, & Stola latior, quæ inſervire debet Diacono; & quæcunque alia, quæ ſolent adhiberi in Miſſa ſollemni.

Denique in Sacriſtia debent præparari tria, vel quatuor Superpellicea pro Clericis, juxta morem Eccleſiarum. Deinde Pluviale violaceum pro Celebrante, item Planetæ plicatæ pro Miniſtris Sacris, & duæ Stolæ pro Celebrante & Diacono, cum aliis conſuetis paramentis pro Miſſa ſollemni; Thuriferarius item parabit ignem in loco congruo juxta morem.

III. Gavant. pag. 182. col. 1. lit. a *Debent autem eſſe aridi, &c.*) Cineres, qui debent præparari à Sacriſta, ùt diximus, debent eſſe aridi, non in modum luti, ùt declaravit Sac. Congregatio in Decreto allato à Gavanto, & dato in noſtro Indice ſub *num.* 17.

IV. Gavant. pag. 182. col. 1. lit. b *Finita Nona, &c.*) Incepta Hora Nona in Choro, Celebrans præcedentibus Miniſtris & Clericis ex more, perget ad Sacriſtiam, ubi ſumet paramenta ſupradicta cum iiſdem, & accenſis ſex cereis in Altari per aliquem Acolythum, finitaque Hora Nona in Choro, ùt præſcribunt Rubricæ Miſſalis *in proprio de tempore*, nunquam verò poſt Tertiam, ùt declaravit S. R. C. in Decreto edito die 22. Januarii 1701. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 550. Celebrans Stola & Pluviali cum Alba (vel Alba & Stola tantùm in minoribus Eccleſiis) paratus, & Miniſtri cum Planetis plicatis in majoribus Eccleſiis, ſed ſine Manipulis; vel in Eccleſiis minoribus, ùt ſuprà, in Albis, cum Stola à Diacono, ſine Manipulis procedunt, &c.

V. Gavant. pag. 182. col. 2. lit. e *De Sacriſtia ad Altare, &c.*) Parati ùt ſuprà Sacerdos, Miniſtri, & Clerici, è Sacriſtia diſcedentes more ſolito, procedunt ad Altare majus, præcedentibus Thuriferario ſine thuribulo & navicula, ſed manibus junctis, habente ad ſiniſtram alium Acolythum miniſtraturum Vas aquæ benedictæ (ſecundùm numerum Clericorum, alioquin ſufficit unus ex Ceroferariis ad miniſtrandum poſteà Vas prædictum) etiam manibus junctis, deinde ſequuntur Ceroferarii cum candelis accenſis, quos ſequitur Ceremoniarius; denique Miniſtri Sacri hinc inde à lateribus Celebrantis, manu proximiori (altera infra pectus admota) fimbrias anteriores Pluvialis Celebrantis elevantes, unuſquiſque à parte ſua, & ii tres tecto capite procedunt, Celebrans verò manus junctas tenet ante pectus. Si tamen Celebrans non habet Pluviale, tunc Miniſtri Sacri procedunt ad Altare unus poſt alium, manibus junctis ante pectus,

& capi-

& capite tecto. Bauld. *part.* 4. *cap.* 3. *art.* 2. *n.* 4. Biſſus *lit. B. n.* 84 §. 2.

VI. Gavant. pag. 182. col. 2. lit. f *Celebrans oſculato Altari in medio.*) Cùm ad Altare pervenerint, illud reverenter ſalutant cum debitis reverentiis nudo capite, deinde Clero fit ab iisdem ſolita reverentia, ùt fit in Miſſa ſollemni; poſteà aſcendunt ad Altare, quod Celebrans oſculatur in medio, Miniſtris Sacris unico genu genuflectentibus; Ceroferarii interim deponunt candelabra ſuper credentiam, & apud illam ſtant.

VII. Gavant. pag. 182. col. 2. lit. f *Accedit ad librum*) Mox Celebrans, & Miniſtri Sacri ad librum poſitum in cornu Epiſtolæ accedunt, ubi ipſe Celebrans ſtat inter utrumque Miniſtrum, ùt docet Gavantus, ita tamen, ut prædicti Sacri Miniſtri aliquantiſper ab Altari diſtent. Biſſus *lit. B. n.* 86. §. 3. & Celebrans legit ſubmiſſa voce, & manibus junctis, Antiphonam: *Exaudi Domine*, quæ interim in choro cantatur ad modum Introitus Miſſæ. Bauldry *part.* 4. *c.* 4. *art.* 1. *n.* 5. & Biſſus *ſup.*

VIII. Rubric. *n.* 3. pag. 182. *Non vertens ſe ad Populum, &c.*) Cantata in choro ſupradicta Antiphona, Sacerdos adhuc ſtans in cornu epiſtolæ, non vertens ſe ad Populum, dicit manibus junctis: *Dominus vobiſcum*, & choro ad omnia reſpondente, ſubdit ſtatim, manibus item junctis, quatuor Orationes ſequentes, proùt in Miſſali deſcribuntur (junctæ enim manus, debent teneri ad Orationes in omnibus Benedictionibus ex Miſſali) & etiam *Oremus* dicit manibus junctis, caput Cruci inclinando de more. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. In choro autem hoc tempore omnes ſtant facie ad Altare verſa. Bauldry, & Biſſus *ſup.*

Dum Celebrans dextera format ſignum Crucis ſuper Cineres, ſiniſtram ponit ſuper Altare, & Diaconus à dexteris Celebrantis elevat anteriorem fimbriam Pluvialis, ne eum impediat. Gavant. Bauld. & Caſtald. *cit. n.* 6.

IX. Rubric. n. 4. pag. 182. & Gav. ib. col. 1. lit. g *Impoſito incenſo in Thuribulo de more, &c.*) Dum Celebrans legit Orationes prædictas in Tono Feriali, Thuriferarius parat thuribulum cum igne tempeſtivè, & alius Acolythus Vas aquæ Benedictæ, firmantque ſe ambo prope Diaconum. Tum finitis Orationibus Sacerdos ibidem ponit incenſum in Thuribulo, more ſolito illud benedicens per illa verba: *Ab illo benedicaris, &c.* miniſtrante Thuriferario thuribulum, & Diacono Naviculam, ùt mos eſt. Biſſus *lit. B. num.* 86. § 5. Bauldry *part.* 4. *cap.* 4. *art.* 1. *n.* 6. quo facto Thuriferarius aliquantulùm recedit (Naviculam verò ſuper Credentiam reponit, ſolo thuribulo retento) ut cedat locum Acolytho habenti Vas aquæ benedictæ.

X. Rubric. n. 4. pag. 182. & Gav. ib. col. 1. lit. h *Aſpergit in medio, &c.*) Dictus Acolythus tenens Vas aquæ benedictæ accedit ad Diaconum, eique ſine oſculis porrigit aſperſorium, quod poſteà Diaconus cum oſculis aſperſorii, & manus, porrigit Celebranti, ut notat Gavant. qui eo accepto dicens remiſſiori voce ℣. *Aſperges me, &c.* ſine cantu, & ſine Pſalmo, ter aſpergit Cineres, in medio ſcilicet, à dexteris, ideſt in parte ſuæ ſiniſtræ oppoſita, & à ſiniſtris.

XI. Rubric. num. 4. pag. 182. & Gavant. ib. col. 1. lit. l *Ter adolet eodem modo, &c.*) Deinde reddito aſperſorio Diacono, ab eodem accipit thuribulum cum oſculis (porrectum ipſi Diacono à Thuriferario ſine oſculis) & ter incenſat Cineres eodem modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens; incenſatis Cineribus, reddit thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui thuribulum, dempto tamen prius igne, reponit ſuper Credentiam, ſicut etiam alius Acolythus debet reponere Vas aquæ benedictæ ſuper eandem Credentiam, vel in alio loco congruo. Biſſus *ſup.* §. 5. & Bauldry *ſup. n.* 7.

XII. Rubr. n. 4. pag. 182. & Gavant. ib. col. 1. lit. m *Dignior Sacerdos, in ſuo habitu Chorali, &c.*) Celebrans poſtquàm incenſatis Cineribus reddiderit Diacono thuribulum, ſe recipit ad medium Altaris, ibique nudo capite

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pite (ex Decreto S. R. C. 18. Julii 1626. in noſtro Indice ſub *n.* 200. in quo præſcribitur, quòd Cineres, Candelæ, & Palmæ diſtribuantur à Celebrante detecto capite) ſtat converſus ad Populum, medius inter Diaconum à dexteris tenentem Vas Cinerum, & Subdiaconum à ſiniſtris, omnes aliquantulùm ab ejuſdem Altaris fronte diſtantes; interim Ceremoniarius accedit ad digniorem Sacerdotum de choro, & facta ei reverentia, cum ſuo habitu chorali, ſed ſine Stola, ùt notat Gavantus, & ùt declaravit S. R. C. per Decretum editum die 14. Februarii 1705. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 590. eum ducit ad Altare, quò cùm pervenerit ille dignior de choro, habens præfatum Ceremoniarium à ſiniſtris, vel alium Miniſtrum præcedentem, accedit facta choro debita inclinatione, ad Altare cum genuflexione, ſi non ſit Canonicus, & ſi ſit Tabernaculum SS. Sacramenti, ſemper etiam à Canonicis facienda eſt genuflexio.

XIII. Gavant. pag. 182. col. 2. lit. n *Stantis quidem, &c.*) Et poſteà facta Celebranti profunda reverentia, aſcendit ad proximiorem gradum ſuppedaneo Altaris, ubi ſtans, imponit cineres ſuper caput Celebrantis, ſtantis quidem, & non genuflexi, ſed capite inclinato, & manibus junctis; Biſſus *ſup. lit.* B. n. 86. §. 6. & Bauld. *part. 4. art. 2. n. 2.*

In ponendo Cineres, format Sacerdos dignior de Clero ſuper caput ipſius Celebrantis ſignum Crucis, dicendo interim: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

XIV. Rubr. n. 4. pag. 182. & Gavant. pag. 183. col. 1. lit. o *Ipſemet Celebrans, &c*) Si non adſit alius Sacerdos præter Celebrantem, tunc ipſemet Celebrans genuflexus utroque genu ſuper ſuppedaneum Altaris, facie ad illud verſa, ſibi ipſi imponit Cineres in capite, nihil dicendo, ſed ſolùm formando ſignum Crucis ſuper ſuum caput, quaſi Cineres à Chriſto immediatè accipiat. Diaconus autem, etiamſi eſſet Sacerdos, non deberet Cineres Celebranti imponere, cùm in eo officio ſit Miniſter Celebrantis, & conſequenter illo inferior. Biſſus *ſup.* § 8. Bauld. *ſup. n.* 3. Corſett. *tract.* 1. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 8.

Huc ſpectat exhibere ſequens Decretum: Cineres Epiſcopo miniſtrare Feria 4. cinerum, non ad primam dignitatem, ſed ad Canonicum eo die Celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 156.

Sic etiam habetur in Ceremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Tunc autem ſedet Epiſcopus officium faciens ſine Mitra & ſine Birreto, & Canonicus celebraturus Miſſam ſolus accedit ad eum, facta Altari, & Epiſcopo reverentia; & imponit cineres in caput ipſius ſedentis, dicens, *Memento homo, &c.* quo facto Epiſcopus accipit Mitram, & extenſa ſuper ejus gremio mappa munda per duos Acolythos, imponit Cineres eidem Canonico Celebranti, ante ſe inclinato, dicens: *Memento homo, &c.*

Hoc loco etiam adnotandum occurrit, quòd Sacra Epiſcoporum & Regularium Congregatio *in una Lucana*, ùt habetur apud Nicolium *in Floſculis V. Mitra ſub num.* 2. declaravit, quòd candelæ, Cineres, & Palmæ, diſtribuuntur ſtando cum Mitra in capite ab eo, qui habet privilegium eam geſtandi, & hoc ſub die 18. Februarii 1650.

Romæ verò in Cappella Pontificia, cùm Papæ à Magno Pœnitentiario diſtribuuntur Cineres, nullum profertur verbum, ùt advertitur ex Ordine Romano Petri Amelii Galli Urbani V. Sacriſtæ anno 1378. quamvis olim etiam, dum Pontifici imponebantur Cineres, dicerentur communia verba: *Memento homo, &c.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Pro Ritu Sollemni Diſtributionis Cinerum,

XV. Rubric. n. 5. pag. 183. *Dum cantatur Antiphona, &c.*) Dum incipitur diſtributio cinerum, in choro cantatur Antiphona: *Immutemur habitu, &c.* & alia, quæ chorus proſequitur, & ſi ſit magnus Populi Concurſus, repetitur uſque ad finem diſtributionis. Videant autem cantores, ne deſint Clerici, qui continuò cantent; ideò poſt reditum priorum, ii cantent, & alii procedant ad cineres capiendos, vel ſi ſint pauci, unus poſt alium procedat. Biſſus *ſup.* §. 9. Bauld. *ſuprà n. 9.*

XVI. Gavant. pag. 183. col. 1. lit. p *Sacerdos ſtans aperto capite, &c.*) Poſtquàm Celebrans à digniori cineres acceperit, ſtans in medio ſuppedanei aperto capite (ùt ſtatuit S. C. 18. Julii 1626. & habetur in noſtro Indice ſub *num.* 200.) & habens Diaconum à dexteris tenentem Vas Cinerum, priùs imponit Cineres Sacerdoti digniori, à quo ipſe Cineres accepit, genuflexo ſuper ſuppedaneum Altaris. Bauldry *cit. loc. art. 2. num.* 4. & Ceremoniale Monaſticum *libr.* 4. *cap.* 5. §. 3. & id colligitur etiam ex Decreto edito die 14. Februarii 1705. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 590. in quo declaratur, quòd dignior è Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum, accepit candelam, Cineres, &c. debet accedere, & ſine Stola, & recipere genuflexus, ſicùt alii, candelam, Cineres, &c. & oſculando manum Celebrantis porrigentis candelam, Palmam, &c. neque huic Decreto refragatur aliud ſimile Decretum priùs editum die 30. Auguſti 1664. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 421. in quo è contrà declaratum fuit, quòd dignior Sacerdos, ad quem ſpectat, Candelam, Cineres, & Palmam, Sacerdoti Celebranti in die Purificationis, in Feria 4. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debeat ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non verò flexis genibus. Non, inquam, hoc Decretum adverſatur alteri ſuprà expoſito, nam hoc Decretum ultimo loco datum, eſt conforme diſpoſitioni, quæ habetur in Ceremoniali Epiſc. lib. 2. *c.* 19. *n.* 5. ibi enim legitur, quòd eidem digniori, ſtanti capite inclinato, Celebrans Cineres imponit. Dicendum eſt igitur, quòd hoc ſecundum Decretum loquitur de Sacerdotibus in dignitate conſtitutis, ùt multi ſolent eſſe in Cathedralibus, ad quorum unum ſpectat miniſtrare Cineres Celebranti, & ideò ab eodem Celebrante accipit Cineres ſtans, non verò genuflexus. Primum verò ex ſupradictis Decretis loquitur de aliis Sacerdotibus, non in dignitate conſtitutis, qui recipere debent prædictos Cineres, non ſtantes, ſed genuflexi; & reverà tale Decretum eſt reſolutio, & reſponſio, data PP. Cappuccinis proponentibus tale dubium,

Reſumendo ſermonem de Sacerdote digniori, qui primus omnium accipit Cineres à Celebrante, debet, inquam, eos recipere genuflexus ſuper ſuppedaneum Altaris, manibus junctis, capite inclinato; quod & alii obſervabunt in accipiendis Cineribus. Immediatè poſt præfatum digniorem Sacerdotem accedunt Miniſtri Sacri, facta priùs Altari genuflexione, & Celebranti reverentia, genuflexi ſuper Altaris ſuppedaneum ambo ſimul accipiunt à Celebrante Cineres. Diaconus autem non oſculatur Celebrantis manum, ſicùt nec præfatus Sacerdos, in hac functione, quia id commodè fieri non poteſt. Alterutem diſcurrendum eſt in diſtributione Palmarum, & Candelarum, ùt liquet ex primo Decreto ſuperiùs dato. Diaconus verò in hac functione accepturus Cineres, tradit Vas cinerum Ceremoniario, vel alteri; juxta Rituale tamen Monaſt. Reformationis Monachorum S. Bernardi *l. b.* 3. *cap* 5. *n.* 3. illud deponit ſuper Altare, & acceptis Cineribus, illud recipit denuo, & tunc iterum ſe locat ad Celebran-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lebrantis dexteram, & Subdiaconus ſimiliter ad ſiniſtram, ubi erant priùs. Biſſus *ſuprà* §. 10. Bauldry *ſuprà num.* 4. Corſettus *ſuprà n.* 5. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 4. *c.* 3. *num.* 8. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *tit.* 4. *n.* 9. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. *ſtans.*

Hæc autem dicta ſint de illis Eccleſiis, quæ non ſunt Cathedrales, nam ſi in prædictis Eccleſiis Cathedralibus aliqua Dignitas, vel Canonicus aliquis celebret, & Beneficiati, ſeu Manſionarii miniſtrent, tunc poſt digniorem de Clero priùs excipiunt Cineres Canonici omnes, quamvis non ſint parati, & quidem ſtantes, non verò genuflexi, & poſt eos ſuccedunt ſupralaudati Miniſtri Sacri Beneficiati, ùt ſuprà, licèt ſint parati. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 19. §. 5. Bauldry *part.* 1. *cap.* 9. *num.* 18. Attamen Diaconus & Subdiaconus ſemper, quantùm fieri poteſt, debent eſſe ejusdem ordinis cum Celebrante, & non inferioris, contraria conſuetudine non obſtante, juxta Decretum editum die 8. Maji 1631. à S. R. C. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 255. in quo ſtatuitur, quòd Dignitate, vel Canonico ſollemniter celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtante contraria conſuetudine, &c. Igitur ſi prædicti Sacri Miniſtri fuerint Canonici, tunc poſt præfatum digniorem de Clero ſtantes, capite tamen inclinato, ante omnes alios, ſacros Cineres recipiunt.

XVII. Rubric. num. 6. pag. 183. & Gavant. ibid. col. 1. lit. q *Veniunt alii cum debitis reverentiis, &c.*) Poſteà accedunt alii de Clero ad Altare (ſed primò majores, deinde inferiores, bini ſimul, vel unus poſt alium, pro numero Clericorum, ne deficiant in choro, qui cantent) ubi facta debita reverentia tam ipſi Altari, quàm Celebranti, genuflexi ſuper ſuppedaneum, manibus junctis, & capite inclinato, Cineres à Celebrante accipiunt, manus tamen Celebrantis non oſculando, quia commodè fieri non poteſt. Verùm ſi ſint Canonici Eccleſiæ Cathedralis, non genuflexi, ſed ſtantes, capite tamen inclinato à Celebrante Cineres accipiunt. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 19. §. 5. ùt nos ſuprà innuimus; Canonici verò Collegiatarum genuflexi Cineres accipient, niſi immemorabilis conſuetudo obſtet, ùt docet Bauldry ex S. R. C. *part.* 5. *lib.* 2. *cap.* 9. *art.* 2. *n.* 20. necnon Turrinus *part.* 2. *cap.* 2. §. *Cùm Epiſcopus.* Ita etiam genuflectere non debet Superior Eccleſiæ, quando ab alio accipiat Cineres, ſi ipſemet functionem tunc non faciat; quod idem dicendum eſt de Candelis, & de Palmis; quilibet verò, poſtquàm accepit Cineres, redit ad Chorum, ideſt ad locum ſuum, facta priùs Altari, & Celebranti debita reverentia. Biſſus *ſuprà* §. 11. Datis Cineribus Clero ad Altare, ibi etiam dantur Magiſtratui, Principibus, & Nobilioribus genuflexis, manibus junctis, ùt ſuprà, qui Seculares Principes hac die cedere ſolent locum, ſicùt etiam Feria VI. in Paraſceve, omnibus de Clero, & præſertim Canonicis paratis, etiamſi eſſent maximi, & valdè potentes, idque quia in acceptione Cinerum oſtendere debent humilitatem actus; Magiſtratus verò, Officialesque omnino capiant Cineres poſt omnes de Clero. Ceremoniale Epiſcoporum *ſuprà* §. 11. Biſſus *ſuprà* §. 12.

Huc ſpectat Decretum editum à S. R. C. die 13. Maji 1603. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 21. in quo declaratum fuit - Quòd aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundùm prærogativam ſui Ordinis.

Pertinet etiam ſubſequens aliud Decretum ad ſupradictam materiam, à S. R. C. editum die 15. Martii 1608. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 85. in quo habetur -- Quòd in accipiendis Cineribus, Candelis, Palmis, &c. attendatur conſuetudo in Vicario, & Canonicis. Et idem in thurificatione, & aliis, niſi Canonici ſint parati.

Vide etiam aliud Decretum datum in noſtro Indice ſub *n.* 606. in quo agitur de præcedentia Vicarii Generalis.

XVIII. Rubr. n. 6. pag. 183. & Gavant. ibid. col. 1. lit r *Populus extra gradus Altaris, &c.*) Quia non convenit, ut communiter laici Cineres accipiant ad Altare; idcirco diſtributis Cineribus Clero, Principibus, &c. Celebrans deſcendit ad cancellos, ubi laicis utriuſque ſexus genuflexis (& advertat ne mulieribus imponat Cineres ſuper velum, ſed omnino ſuper capillos, ùt notat Gavantus hoc loco. Bauldry *part. 4. cap. 4. art. 2. n.* 7 Biſſus *ſuprà* §. 13.) imponit Cineres ſuper caput, ſingulis verba ſupradicta repetens, ſemper in maſculino genere, licèt fœminis diſtribuat; interim Diacono tenente Vas Cinerum; & in hac Cinerum diſtributione Diaconus à parte ſua manu ſiniſtra, Subdiaconus verò manu dextera, ſiniſtra infra pectus poſita, elevant fimbrias anteriores Pluvialis, ne Celebrantem impediant. Biſſus *ſuprà*, Bauldry *ſuprà*, Gerlacus Vinitor *ſuprà num.* 11.

XIX. Gavant. pag. 183. col. 1. ead. lit. r *In fine diſtributionis, &c.*) Completa totaliter Cinerum diſtributione, Celebrans procedit ad latus Epiſtolæ per planum, & ibi lavat manus privatè in angulo Altaris; Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 19. §. 6. Bauldry *ſuprà n.* 9. Vinitor *ſuprà n.* 12. Biſſus *ſuprà* §. 14. vel prope credentiam in plano; Biſſus *ſuprà*, cum aqua, & mica panis (ſi tamen diſtributio Cinerum terminatur ad Altare, quamvis non deceat, tunc Sacerdos manus lavat, ſtans non in plano, ſed ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ: Biſſus *ſuprà*) fundente aquam aliquo Acolytho, & Miniſtris Sacris miniſtrantibus Manutergium. Lotis manibus, & exterſis, Celebrans aſcendit per laterales gradus ad cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, ibique ſtans versùs Altare manibus junctis, medius inter Miniſtros Sacros, cantat in tono feriali *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Concede nobis Domine*, ùt in Miſſali.

Supereſt nunc, ut hoc loco exhibeantur ſequentia Decreta, quæ ultra alia ſuperiùs tradita, ſpectant pariter ad hanc functionem Benedictionis, & diſtributionis Cinerum.

Benedictiones Palmarum, Candelarum, Cinerum, & alias ſimiles functiones facere, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non verò ad Canonicum hebdomadarium pertinet. S. R. C. 21. Martii 1609. & in noſtro Indice datur ſub *n.* 95.

Refertur etiam hoc Decretum ab Urſay *Diſcept. Eccleſiaſt. tom. 2. part. 2. diſcep.* 1 pro Capitulo Cathedralis Cremenſis, cum Præpoſito ejusdem Eccleſiæ ſub *n.* 76. *pag. mihi* 190.

Cineres Epiſcopo miniſtrare Feria IV. Cinerum, non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum ea die Celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. & in noſtro Indice ſub *num.* 156.

Miſſarum ſollemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum Benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet, juxta formam libri Ceremonialis Epiſcoporum, abſente, vel impedito Epiſcopo, ad primam Dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinet. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Crototen. ſeu S. Severi*, & in noſtro Indice datur ſub *n.* 116.

Abſente Epiſcopo, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiunt per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 209.

Abſente Epiſcopo ſpectat ad primam Dignitatem diſtributio Cinerum, Palmarum, &c. 3. Decembris 1672. & in noſtro Indice ſub *n.* 449.

Quod quidem Decretum conciliatur cum antecedente, quia ſupponitur, quòd prima Dignitas celebret loco Epiſcopi.

Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Dec. 1703. & in noſtro Indice ſub *n.* 565.

Denique lubet etiam addere Decretum edi-

tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum à S. C. Epiſcoporum, & Regularium die 3. Julii 1615. *in Firmana*, & habetur apud Nicolium in Floſculis *v. Benedictio*, in quo Decreto ſic ſtatuitur.

In Eccleſiis Regularium, in quibus exerceri conſuevit cura Animarum, Benedictio Cinerum, eorumque diſtributio, pertinet ad Regulares, non ad Parochum.

XX. Gavant. pag. 183. col. 1. ead. lit. r *Deinde dicitur Miſſa, &c.*) Terminata ſupradicta Oratione, Sacerdos deſcendit in planum Altaris, ubi depoſito Pluviali, capit in plano ad cornu Epiſtolæ ante Altare, non medio (quod tantùm Epiſcopis conceditur) Manipulum, & Planetam violaceam, ſicùt & Miniſtri Sacri ſuos Manipulos ſumunt; deinde cum debitis reverentiis Choro, ſi ante ipſum tranſeunt, accedunt ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, Celebrans incipit Miſſam more ſolito. Quando verò Miniſtri Sacri debeant deponere, & reſumere Planetas plicatas, vide ea, quæ tradit Gavantus noſter *part.* 1. *tit.* 19. *Rubr.* 6. & ea, quæ tradita ſunt à nobis in noſtris Additionibus, & Obſervationibus *ad tit. 1. hujus quartæ partis de Rubricis Miſſarum de Adventu n.* 4.

Sacerdos autem, qui celebrare debet hanc Miſſam, debet eſſe ille idem, qui benedixit Cineres, & hoc eruitur ex Decreto edito die 12. Junii 1627. à S. R. C. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 209. de quo Decreto mox mentionem fecimus. Ab aliis, nempe à Fagioli in Kalendario perpetuo Rationali, in adnotationibus ad Februar. *lit. A.* ſub *n.* 6. allegatur Decretum editum à S. R. C. ſub die 26. Februarii 1628. & à Pittono aliud pariter ſimile Decretum editum die 12. Aprilis 1640. in quibus declaratur: quòd ille idem, qui benedixit Candelas in Feſto Purificationis B. M. V. vel Cineres in Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. Sed non obſtante omni diligentia, quam adhibui, in Regeſtis S. R. C, reperire non potui hæc duo Decreta, nihilominùs ex à nobis allegato primo Decreto ſub die 12. Junii 1627. & ex Bauldry *part.* 4. *c.* 4. *art.* 2. *n.* 10. diſertè colligitur, ad eundem Sacerdotem ſpectare Miſſam ſollemnem celebrare, qui Cineres benedixit. Si autem ex aliqua rationabili cauſa Sacerdos, qui benedixit Cineres, non celebret Miſſam, tunc finita Cinerum diſtributione, lotis, exterſisque manibus, finitaque ultima Oratione, Sacerdos cum cæteris Miniſtris ad Sacriſtiam recedit, facta Altari debita reverentia reſpectivè, & Choro, & alius Sacerdos cum ſuis Miniſtris de Sacriſtia accedit ad Altare pro Miſſa celebranda more ſolito, in qua Miſſa ad Confeſſionem, ad Orationes, omnes in Choro genuflectunt ante Epiſtolam, & etiam Acolythi idem facere debent ad Altare, qui in his Choro ſe conformare debent. Bauldry *ſuprà n.* 11. Biſſus *tom.* 2. *lit. M. n.* 249. §. 2.

Dum Celebrans privatè legit ℣. *Adjuva nos, &c* genuflectere debet unico tantùm genu ad prima verba, ut commodiùs poſſit legere ℣. in libro, & ſtatim ſurgere. Sed dum cantatur iſte ℣. à Choro, genuflectunt omnes, exceptis duobus Cantoribus, & antequàm inchoetur, Celebrans, & Miniſtri Sacri deſcendunt ad ſecundum gradum Altaris, ut dum cantatur: *Adjuva nos Deus* à Choro, ſtatim genuflectant in ſuppedaneo Altaris utroque genu, quod eſt omnino ſervandum, & ideò debet Celebrans ſe expedire à legendo Evangelio ſubmiſſa voce; quod ſupponimus potuiſſe legere ante initium ℣. præſertim ſi cantatur à Choro Graduale, vel alii ℣℣. Tractum antecedentes, ita lentè, ut præfatus Celebrans, dum cantatur, commodè legat Evangelium, ne intra Tractum, & ultimum ℣. *Adjuva nos*, ſilentium interponatur, ad quod Cantores omnino advertere debent. Bauldry *ſup. n.* 13. Biſſus *lit. G. n.* 29. Vinitor *ſup. n.* 15.

Præfatio Miſſæ hujus diei, eſt propria Quadrageſimæ, *Qui corporali jejunio, &c.* quæ quotidie dicitur, etiam diebus Feſtis, atque

in Miſſis Votivis, quæ propriam non habent Præfationem, ab hac die incluſivè, uſque ad Dominicam Paſſionis excluſivè. Ad *Sanctus*, omnes genuflectunt, uſque ad *Pax Domini*, *&c.* excluſivè. Biſſus *lit. G. n. 29. §. 9.* Caſtaldus, Bauldry, & alii Rubriciſtæ communiter.

Recitatis conſuetis orationibus poſt Communionem, & dicto à Celebrante more aliàs uſitato *Oremus*; Diaconus adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, vertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, nulla facta priùs genuflexione, quia non eſt in medio Altaris, & ita ad Populum converſus, cantat manibus junctis: *Humiliate capita veſtra Deo*; quo dicto, omnibus genuflexis manentibus, & capite inclinato, præter Celebrantem, per eandem viam vertit ſe ad Altare, & ibi ſtat à tergo Celebrantis, inclinatus ad Orationem, manibus junctis. Biſſus *tom. 1, lit. D. n. 123. §. 46.* Si autem non ſit Diaconus aſſiſtens in hac Miſſa, ipſe Sacerdos Celebrans perſiſtens in eodem loco ante librum, id ipſum junctis manibus dicit, caput inclinans Cruci, ac poſteà extenſis manibus eadem voce ſubjungit Orationem ſuper populum in fine Miſſæ adnotatam, qui modus dicendi Orationem ſuper populum ſervatur etiam deinceps in omni, ac ſola Miſſa feriali de tempore quadrageſimali, uſque ad Feriam 4. majoris hebdomadæ incluſivè, non autem in Miſſis Feſtivis, ac Votivis, etiam illis, quæ dicuntur in colore violaceo.

Huc uſque locuti ſumus in ſuppoſitione, quòd poſt Benedictionem cinerum cantetur Miſſa cum Miniſtris ſacris; ſi verò dicatur Miſſa tantùm privata, in eo caſu, dicta Oratione *Concede*, *&c.* Celebrans, & Miniſtri ſacri deſcendunt in planum, ubi depoſito Pluviali, ſi eo utatur, capit in eodem plano ad cornu Epiſtolæ, & non in medio, Manipulum, & Planetam, & hinc pergit ad medium ante infimum gradum Altaris, ibique facta debita reverentia, incipit Miſſam de more: Miniſtri verò Sacri, factis debitis reverentiis, reſpectivè diſcedunt, ac redeunt ad Sacriſtiam, ubi paramenta deponunt. Bauldry *ſuprà num. 16.* & Biſſus *tom. 2. lit. M. n. 249. §. 5.*

Si verò non adſint Miniſtri Sacri, tunc Celebrans ſolus cum uno, aut pluribus Acolythis, miniſtrantibus Thuribulum, Naviculam, & Aquam benedictam, benedicit cineres, ùt infrà, & unus ex illis à dextris elevat partem anteriorem Pluvialis, ſi eo utatur, manu ſiniſtra, dum cineres diſtribuit. Bauldry *ſuprà art. 3. n. 1.*

Quòd ſi cinerum benedictio fiat ſine Clericis, & non ſint in choro, qui cantent, tunc Antiphona *Immutemur habitu*, *&c.* cum ſeq. dicitur à Celebrante, antequàm cineres diſtribuat; & finita diſtributione, lavat manus, ac eas fricat cum medulla panis, miniſtrante Acolytho, vel Acolythis, ſi plures ſint; vel ſi nullus adſit Acolythus, Miniſtro Miſſæ privatæ; deinde dicit Orationem *Concede, &c.* in cornu Epiſtolæ, & depoſito Pluviali, ſi eo utatur, ſumit Manipulum, & Planetam, & Miſſam celebrat de more. Bauldry *ſup. n. 1. & 2.*

Quia demum aliquando in aliquibus locis Populus expectare non poteſt poſt Horam Nonam ad accipiendos cineres; ideò poſſunt ſummo mane ab aliquo Sacerdote aliqui cineres benedici, qui deinde ſuis in Vaſis per Altare diſtribuuntur, ut pro temporis opportunitate Populo ſatisfieri poſſit: hæc autem privata benedictio fiet eo modo, quo ſuprà diximus, demptis iis, quæ ad majorem ſolemnitatem ſpectant; & in fine Sacerdos lavat manus non in pelvicula conſueta, quantùm fieri poteſt, ſed in aliquo Vaſe ad id præparato, & manuum lotiones, & cineres, qui non erunt ampliùs uſui, in Sacrarium immittuntur. Biſſus *tom. 1. lit. B. n. 86. §. 17.* Bauldry *ſup. art. 3. n. 2. & 3.*

Subnectere lubet aliqua Decreta, quæ pertinent ad Ritus ſervandos in Miſſæ Celebratione hujus Feriæ 4. cinerum. Qui habent privile-

privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, non ideò debent facere commemorationem de Octava in Feria 4. cinerum, neque in Officio, neque in Miſſa. Ita S. R. C. 24. Januarii 1682. & dabitur hoc Decretum in Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii.

In Feria 4. cinerum non poteſt cantari ad Altare, ubi exponitur SS. Sacramentum, Miſſa Votiva de Sacramento, ſed debet cantari Miſſa de dicta Feria cum Oratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione. Ita Clemens XI. in ſua conſtitutione, ſeu inſtructione, pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti ſub die 20. Januarii 1705. quæ inſtructio datur per extenſum in his noſtris Additionibus, & Obſervationibus *part. 2. tit.* 14.

In hac Feria 4. cinerum non poſſunt dici Miſſæ Votivæ, neque Miſſæ Defunctorum, ut liquet ex Rubricis, & ex Decreto S.R C. edito die 28. Auguſti 1627. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 217.

Quinimò hæc dies, juxta Breviarii, & Miſſalis Rubricas, tali privilegio gaudet, ut quodlibet Feſtum, etiam ex majoribus, occurrens transferri debeat in primam ſequentem diem non impeditam, ita ut hac die omnino de ipſa Feria celebretur.

Rurſus ſi in Feriis Quadrageſimæ occurrat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, fit de eo cum commemoratione Feriæ, & prætereà dicitur tertia Oratio in Miſſa, proût deſcribitur in Miſſali, cum Evangelio Feriæ in fine. In Eccleſiis autem Cathedralibus, & Collegiatis, dicuntur duæ Miſſæ Conventuales; prima de Sancto, cujus celebratur Officium, poſt Tertiam, cum paramentis coloris tali Officio convenientis, abſque commemoratione Feriæ, & cum Evangelio Sancti Johannis in fine; altera Miſſa Conventualis poſt Nonam, de Feria, abſque commemoratione Sancti, cum Orationibus aſſignatis.

XXI. Gav. pag. 183. col. 2. n. 9. *Feria V, &c.*) Si in Feriam V, poſt cineres incidat Feſtum SS. quadraginta Martyrum, ſeu dies decimus menſis Martii, tunc Oratio ſecreta pro Feria currente accipienda eſt ex Feria 6. ſubſequente, quia ſecreta Feſti, & Feriæ currentis, tunc coincidunt, ùt optimè adnotavit noſter Gavantus *part. 1. Tit. 7. n. 8. lit. Q.* & Bauldry *part. 4. cap. 5. num. 2.*

XXII. Gavant. pag. 183. col. 2. n. 11. *In Dominica prima Quadrageſimæ, &c.*) Hæc prima Dominica Quadrageſimæ celebris ſemper fuit; in ipſa namque ex antiqua PP. traditione olim inchoabatur quadrageſimalis obſervatio, & Ritus, ùt ſuprà innuimus, proût etiam adhuc in Eccleſia Mediolanenſi juxta Ambroſianos Ritus ſervatur, & in Romana Eccleſia ab hac die, à veſperis videlicèt Sabbati præcedentis, incipit Officium proprium temporis quadrageſimalis, unde in omnibus Feriis, quibus jejunatur, uſque ad Sabbatum Sanctum incluſivè, veſperæ celebrantur ante comeſtionem, etiam in diebus Feſtivis, non verò in Dominicis, quia in eis non jejunatur. Hæc prima Dominica, juxta Rubricas Miſſalis, & Breviarii Romani, eſt primæ claſſis, unde quodcunque Feſtum in ea occurrens, etiam Patroni, vel Titularis, ſeu Dedicationis propriæ Eccleſiæ, transfertur in primam ſequentem diem non impeditam.

Altare floribus non ornetur, neque apponantur Imagines, ſeu Reliquiæ inter candelabra. Miniſtri Sacri non utantur Dalmatica, ac Tunicella, ſed Planetis plicatis in Eccleſiis majoribus, ſicùt etiam in omnibus aliis Dominicis, & Feriis Quadrageſimæ, excepta Dominica 4. proût dicemus, & proût alibi diximus agentes de uſu talium Planetarum.]

XXIII. Gavant. pag. 184. col. 1. n. 12. *Feriæ Quatuor Temporum, &c.*) In hac prima hebdomada, juxta ea, quæ diximus ſuprà, agentes de Quatuor Temporibus, unà cum jejunio quadrageſimali, celebratur etiam ſollemne jejunium Quatuor Temporum primi menſis in Vere, & quidem juxta ea, quæ tradit Gavantus *hic*, ex Decreto S. Gregorii VII. proût etiam ſcripſit Micrologus, *in lib. de eccleſiaſt.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*eccleſiaſt. Obſerv. cap.* 24. *& cap.* 25. nec non celeberrimus Vir Ludovicus Antonius Muratori *in diſſert. de jejuniis quatuor Temporum, quæ habetur tom.* 2. *ſuorum Anecdotorum*; recolantur tamen ea, quæ diximus ſuprà in tertia Adventus hebdomada de talibus jejuniis quatuor temporum, ne iterum repetamus eadem, quæ ibi exarata ſunt; nam & ex à nobis ibi traditis conſtabit, Gregorium VII. non ab initio inſtituiſſe, ſed potiùs confirmaſſe dicta jejunia quatuor Temporum.

XXIV. Gavant. pag. 184. col. 1. n. 13. *Dominica ſecunda habet, &c.*) Dominica ſecunda Quadrageſimæ eſt ſecundæ claſſis, ſicùt pariter Dominica tertia, & quarta, & ideo juxta Rubricas, Officium duplex in eis occurrens, etiam ſecundæ claſſis, transfertur, & tantùm fit de Patrono Titulari, vel dedicatione Eccleſiæ, ſed ſine Octava, ùt meliùs videbimus in ſecundo Tomo, in quo tractabimus de Rubricis Breviarii Romani.

XXV. Gavant. pag. 184. col. 1. num. 15. *Dominica quarta, &c.*) Dominica 4. Quadrageſimæ pulſantur Organa, & in Miſſa ſollemni Miniſtri Sacri utuntur Dalmatica, & Tunicella coloris violacei; Altare verò paratur feſtiviùs, quàm in aliis Dominicis, nam adhiberi poſſunt flores, & Imagines, aut Reliquiæ, quæ non poſſunt adhiberi in aliis Dominicis. Bauldry *ſuprà n.* 4. Vinitor *part.* 6. *tit.* 4. *n.* 2. Hæc Dominica dicitur *Lætare* ab Introitu Miſſæ; nominata etiam fuit Dominica *Panis*, quia legitur Evangelium multiplicationis Panis, ſignificaturque in ea Populi Chriſtiani liberatio à tyrannica Idolorum ſervitute. Durandus *lib.* 5. *cap.* 53. Unde in ſignum læti diei, Cardinales induuntur veſtibus roſaceis, & Summus Pontifex, eundo, ac redeundo à cappella, in ſignum lætitiæ fert Roſam auream in manu, ab eo benedictam, quam deinde alicui magno Principi mittere ſolet. Ver enim denunciat, quod poſt Hyemis turbines ſuccedens mundum lætificat. Antiquitus hæc ceremonia fieri ſolebat in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem; ùt colligitur ex ſermone Innocentii III. hac die habito. Solebant enim Romani Pontifices hac die tractatum ad populum habere, & hinc Pius II. ſermonem pariter hac Dominica habuit, & Roſam ab eo benedictam, ad ſuam Senenſem Patriam miſit. Sixtus verò IV. in ſignum ſui gentilitii ſtemmatis anno 1471. quercus aureæ ramum Cathedrali Savonæ ejus Patriæ dono miſit. Quæ ſolemnitas quamvis non conſtet, à quo Pontifice primò fuerit inſtituta, eſt tamen antiqua, & ante Leonis IX. tempora, qui Romanam Cathedram moderabatur Anno 1050 de quo Cencius Camerarius ait: quòd hic Pontifex penſionem annuam pro expenſa hujus Roſæ ſuper redditus Monaſterii S. Crucis Lotharingiæ impoſuerat. Alexander III. Venetiis Anno 1177. ceremoniam hanc celebravit in Eccleſia S. Marci, ùt teſtatur Petrus Bleſenſis *ſect.* 15. qui eodem ſeculo ſcribebat; Baron. Anno 1177. *n.* 18. & idem ex Card. Beſſarione ibidem; & Benedicto Zani Venetiarum Duci dono dedit in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ: Flav. Blondus *decad.* 2. *lib.* 6. Clemens Papa VI. Ludovico Regi Neapolis miſerat; Odoricus Raynal. ad An. 1348. n. 11. Macrius *Hierolexico V. Dominica Lætare pag. mih.* 218. De eadem Roſa aurea, quæ continet Muſcum, & Balſamum, mentionem faciunt Ordines Romani 11. 12. 13. 14. & 15. evulgati à Mabillonio, necnon Innocentius Papa III. *ſermone in Dominica Lætare, ſeu de Roſa*, Reginaldus Card. Polus *de Enſe, & Roſa aurea, ad Philippum Regem, & Mariam Angliæ Reginam*: Angelus Rocca *in opuſculo*, in quo quærit, cur aurea Roſa quarta jejunii quadrageſimalis Dominica à Summo Pontifice benedici ſoleat, & cur hæc ſollemnitas in Baſilica S. Crucis in Hieruſalem fieri ſolebat. Gulielmus Durandus *in Ration. libr.* 6. *cap.* 53. Johannes Baptiſta Caſalius *de veteribus ſacris Chriſtianorum Ritibus capit.* 81. Noſter Paulus Maria Quarti *de Benedictionibus in particulari ſect.* 2. Claudius Dufreſne *in ſuo Gloſſario*

Car-

Carolus Cartari in ſuo libro Italicè exarato, & Romæ impreſſo Anno 1681. cui titulus; *La Roſa d'Oro Pontificia, Racconto Hiſtorico;* quibus omnibus addi poſſunt Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina c.* 19. Franciſcus Pagi *in vita Urbani II. n.* 57. Denique Theophilus Raynaudus *in tract. qui continetur in tom.* 10. *ſuorum Operum.*

XXVI. Gavant. pag. 184. col. 2. eodem n. 15. *Hac die* (nempe Feria 4. Dominicæ 4.) *fiebat ſcrutinium Baptizandorum, &c.*) De hoc ſcrutinio Baptizandorum fusè diſſeruimus in noſtris Additionibus, & Obſervationibus præliminaribus, agentes ex profeſſo de Miſſa ſcrutinii, unde legi poterunt ea, quæ ibidem à nobis tradita ſunt.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Tit. VII. De Dominica de Paſſione, & Hebdomada majori.

## Pro Ritu ſervando in Dominica de Paſſione, & Feriis ſequentibus.

I. Gavant. pag. 184. col. 1. n. 1. *Inprimis Veſperis Dominicæ de Paſſione, &c.*) Sabbato præcedente Dominicam Paſſionis, ante Veſperas primas de eadem Dominica, etiamſi ſint de Sancto, teguntur, juxta Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 20. Cruces, & Imagines Salvatoris per Eccleſiam, Velis violacei coloris, in quibus non appareat ulla figura, ſeu Imago, ne inſignia quidem Paſſionis; nullæque ponendæ ſunt ſuper Altare Imagines Sanctorum. Verùm non ſolùm Cruces, & Imagines Salvatoris, in dictis primis Veſperis de Dominica Paſſionis, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum, quæ reperiuntur in Eccleſia, tegi debent, ùt decrevit S. R. C. 4. Auguſti 1663. & datur tale decretum in noſtro Indice ſub *n.* 404. Prædictæ autem Cruces ita velatæ manere debent, uſque ad Fer. 6. in Paraſceve. Utrùm autem Feria 5. in cœna Domini Crux Altaris, in quo celebratur, tegi debeat Velo albo in Miſſa, & ad mandatum, eſt quæſtio, quæ à nobis reſolvetur infrà. Feria, inquam, 6. in Paraſceve, non ſolùm detegitur Crux adoranda ab Officiatore, ſed etiam detegi debent, poſt talem functionem, aliæ Cruces, quæ ſunt in Eccleſia; non item Imagines Altarium, & Icones Sanctorum, quæ omnes tectæ manent uſque ad finem Litaniarum Sabbati Sancti.

Ceremoniale Monaſticum *libr.* 4. *cap.* 5. *n.* 9. vult, quòd in Feſtis, quæ recurrente Paſſionis tempore celebrantur, ab Altari illius Sancti, de quo feſtivitas agitur, ſit removendum Velum, & detegenda Imago. Verùm, cùm in Decreto edito à S. R. C. die 19. Novembris 1649. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 300. habeatur, quòd Sabbato Paſſionis debeant velari Imagines, & Cruces, etiamſi occurrat eo die Feſtum S. Titularis, vel Patroni Eccleſiæ; Rurſus quoniam ex alio Decreto eadem die, & eodem anno edito, & dato in noſtro Indice ſub *n.* 301. habetur, quòd dictæ Imagines, & Cruces, detegi non debent, etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum S. Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ; hinc liquet, prædictam diſpoſitionem Ceremonialis Monaſtici nullo modo ſervandam eſſe. Semper enim toto Paſſionis tempore, Imagines, & Cruces, quocunque recurrente Feſto, velatæ eſſe debent, & quidem, ùt dixi, velo violaceo; non enim mutandum eſt Velum juxta colorem Feſtorum occurrentium, ùt optimè docet Guyetus *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 25. & hæc eſt praxis omnium Eccleſiarum, cùm talis color violaceus Veli, quo teguntur Cruces, & Imagines, ſignificet Chriſtum, qui abſcondit ſe, & exivit de Templo, ùt legitur in Evangelio Dominicæ de Paſſione; & reverà antiquitus in Cap-

pella Papali, ùt legitur in Ceremoniali Romano Marcelli Corcyrenſis *lib. 2. cap. 38.* in quo ſermo habetur de quinta Dominica Quadrageſimæ, legitur, cùm in fine Evangelii dicitur: *JEſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*: Clerici Cappellæ ſuper Altare Velum paratum, cordulis in rotulis ſuprà in altum confixis, euntibus, ſurſum trahunt, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur.

II. Gavant. pag. 184. col. 1. n. 3. *Omittitur etiam Judica me Deus, &c.*) In Miſſa hujus Dominicæ, & cæteris deinceps Miſſis de tempore, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè, poſt *Introibo*, non dicitur Pſalmus: *Judica me Deus*, nec *Gloria Patri* ad Introitum, nec ad finem Pſalmi, *Lavabo*. Id ipſum etiam hac, & ſequenti Dominica omittitur ad *Aſperges, &c.* poſt Pſalmum *Miſerere*, ùt habetur in Rubrica Miſſalis de aſperſione aquæ benedictæ. Dixi in Miſſa de tempore omittendum eſſe Pſalmum *Judica me Deus*, cum *Gloria, &c.* nam ſi in Feriis ſequentibus ad hanc Dominicam occurrat Feſtum duplex, aut ſemiduplex, fit de eo Officium, & Miſſa, ùt in Rubricis Breviarii, & Miſſalis præſcribitur, & in tali Miſſa, ſicut & in Miſſis Votivis hujus hebdomadæ (etiam ea, quæ dicitur de Paſſione, aut de Cruce) dicitur Pſalmus *Judica*, ita *Gloria Patri* ad Introitum, & ad Pſalmum *Lavabo, &c.* proùt alibi declaravimus, nempe in Additionibus, & Obſervationibus noſtris ad Tit. VIII. primæ Partis, ubi agitur de Introitu Miſſæ.

III. Gav. pag. 184. col. 2. eod. n. 3. *Dicta eſt ab Ordine Romano Dominica mediana, &c.*) Hæc Dominica, ùt optimè notat Gavantus, vocatur ab Ordine Romano *mediana*. Nomine Dominicæ medianæ, aliqui intellexerunt Dominicam quartam Quadrageſimæ, quia hæc eſt media reſpectu quadrageſimalis Tractus. Gloſſa tamen in canone *principalis diſtinct. 63.* aſſerit eam eſſe, quæ dicitur ad *ſitientes*; idem affirmat ad canonem *in Parochia 16. quæſt. 1.* quæ opinio Gloſſ. confirmatur ex Epiſtola prima Gelaſii Papæ *cap. 13.* & auctoritate Ordinis Romani à Gavanto allegati, ubi lectiones Prophetæ Hieremiæ, quæ diſponuntur in Dominica mediana, ſunt illæ, quæ reperiuntur in Dominica Paſſionis in primo Nocturno. Idem etiam colligitur ex Ivone Carnotenſi *epiſt. 63.* in qua habetur: *Apoſtolica Inſtitutio, & Paterni Canones habent, ut non fiat Levitica, vel Sacerdotalis Ordinatio, niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, & decimi, aut initio Quadrageſimæ, vel Sabbato medianæ.* Fuit autem hæc Dominica ſic appellata, ùt aliqui opinantur, quia in ejuſmodi Lectionibus fit mentio Lunæ quartadecimæ, & quintædecimæ, quæ cùm ſint medietates periodi Lunaris, idcirco hæc Dominica mediana dicitur. Hæc ex Macrio *V. Dominica mediana*, ubi ſubnectit, Theophilum Raynaudum abſque fundamento cogitaſſe, hanc Dominicam medianam eſſe quartam Quadrageſimæ, & ideò Roſam, de qua ſuprà ſermonem habuimus, & de cujus Benedictione ipſe egit, *medianam* perperàm vocavit; dum ſuprà adductæ auctoritates omnes Dominicam medianam, hanc Dominicam eſſe demonſtrant. Eſt autem hæc Dominica Paſſionis Dominica major primæ claſſis, ideſt privilegiata contra quodcunque Feſtum etiam primæ claſſis. In Eccleſiis tamen, ubi hodie eſt titulus Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet (v. g. Sancti Joſephi, aut Annunciationis B. M. V.) poſſunt juxta Rubricam generalem ſextam Miſſalis, hac Dominica cantari duæ Miſſæ, una de die, altera de Feſto, poſt horam utrique congruentem, de qua *Rubrica generalis 15. Miſſalis num. 2.* & Gavantus *part. 1. tit. 6. & 15.* diciturque in Miſſa de Feſto Pſalmus *Judica, Gloria, Credo, &c. & Tractus.* Item Præfatio de eodem Feſto, ſi propriam habeat, ſine ulla commemoratione. Admittit quoque hæc Dominica commemorationem Feſti ſimplicis.

IV. Ga-

IV. Gavant. pag. 184. col. 2. n. 4. *De duabus Orationibus, non tribus, &c.*) In Miſſa hujus Dominicæ duæ Orationes tantùm ſunt dicendæ, nimirum Oratio propria hujus diei, & altera vel contra *Perſecutores Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ita ut tertia Oratio non dicatur. Hæc eadem Rubrica ſervari debet ab hac die incluſivè, in Miſſis ferialibus, & de tempore, uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſivè. Gravis tamen uſque modò agitata fuit quæſtio, utrùm occurrente Feſto ſimplici in hac Dominica, vel in prædictis Feriis ſubſequentibus, in Miſſa de tempore debeat dici tertia Oratio, nimirum ſecunda de Feſto ſimplici in tali Feria occurrenti, & tertia *Eccleſiæ*, vel alia *Deus omnium Fidelium*, & pro Papa. Dè hac re alibi ſermonem fecimus, nimirum in noſtris Obſervationibus ad *Tit. IX. Part. I. num. VI. & ſeq.* ubi tamen hujus dubii reſolutionem ſuſpendimus, & remiſimus lectorem ad præſentem locum; ſperabamus etenim, dum hoc opus Typis mandaretur, aliquod Sac. Rituum Congregationis Decretum hujus celebris controverſiæ penitus deciſivum. Et quidem voti noſtri compotes facti ſumus; die enim 15. Sept. Anni 1736. poſtquàm hæc folia Typographo conſignata erant, S. Cong. humillimè ſupplicatum fuit pro definitiva declaratione -- An in Miſſis ferialibus à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, occurrente Feſto ſimplici, dicenda ſit tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*: & an eadem tertia Oratio recitanda quoque ſit infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes? Referente autem Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. Card. de Gentilibus, eadem S. R. C. inhærendo reſolutionibus *aliàs* in ſimili dubio editis, & ſignanter *in una Rubricarum* die 22. Novembris 1659. necnon *in Cæſaraugustana* 13. Septembris 1692. & denique *in Piſtorien.* 4. Maji 1709. reſpondit: nihil eſſe innovandum; nimirum non eſſe dicendam tertiam Orationem.

Ejuſmodi igitur iteratis Sac. Congreg. Decretis, & quæſtione diligenter diſcuſſa emanatis, remanet omnino firmum, & inconcuſſum, quòd recurrente Feſto ſimplici in prædictis diebus, præter Orationem diei, & aliam de ſimplici, non ſit dicenda tertia Oratio in Miſſis de tempore. Antequàm emanaret ullum ex memoratis Decretis, tenebat hanc ſententiam noſter Gavantus, & ita intelligebat Rubricarum diſpoſitiones circa prædictas duas Orationes tantùm dicendas. Siquidem in *part. 4. Tit. XI. num.* 2. ubi ſermonem habet de Octava Paſchatis, ait -- infra quam ſi fiat commemoratio de ſimplici, non tamen dicitur tertia Oratio - & *ibid. n.* 25. ubi ſermonem habet de Octava Pentecoſtes, concludit -- quòd ſi fiat de ſimplici commemoratio, non tamen dicitur tertia Oratio in Miſſa -- & hæc verba Gavanti, cùm reperiantur in prioribus editionibus ſui Theſauri, ipſi profectò tribuenda ſunt; quod non ita certò affirmare poſſumus de aliis verbis, quæ ad *Tit. IX. I. Partis* ſui Theſauri ad Rubricam *n.* 8. leguntur, nempe -- ſi in prædictis occurrat commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio, ad ſenſum Rubricæ -- quæ verba in prima, & ſecunda editione ſui operis reverà non leguntur, & ideò dubitandi locus eſt, utrùm ipſe, vel alius ea addiderit in poſterioribus editionibus.

Gavanti ſententiam omnes complexi ſunt, præſertim Bauldry *part. 4. cap. 12. n. 6.* Biſſus *lit. P. n. 52. §. 3.* Turrinus *part. 2. ſect. 2.* Corſettus *part. 2. cap. 4. n. 5.* & alii communiter. Inter quos recenſentur PP. Benedictini Congregationis S. Mauri, qui in ſuo Ceremoniali Monaſtico *lib. 3. cap. 13. num. 20.* ita loquuntur -- Si tempore Paſſionis dicatur Miſſa Votiva, tres Orationes dicuntur, ſicùt fit in ſemiduplicibus: at ſi eodem Paſſionis tempore, infra Octavam Paſchæ, & Pentecoſtes, fiat commemoratio de Feſto ſimplici, ea fiet ſecundo loco, & non dicetur alia Oratio aſſignata, ſcilicet *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* -- Animadvertere debemus, prælaudatos Monachos edidiſſe Ceremoniale Lutetiæ Pariſio-

riſiorum Anno 1680. ſcilicet poſtquàm Carolus Guyetus ſuam evulgaverat ſententiam, ingentique conatu eam propugnaverat contra Gavantum *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 18. quapropter ob rationes ab eodem Auctore adductas nihil permoti fuerunt, neque ſuaderi potuerunt ad recedendum à Gavanti ſententia, quam licèt ipſe nullo argumento comprobaverit, tamen ceu certiſſimam habuerunt prædicti Monachi S. Mauri, ea ducti ratione, quam ipſimet innuunt *cit. loc. n.* 18. nimirum, quia Orationes communes, ſeu quæ de tempore appellantur, ſecundo loco, & tertio poſitæ, non debent omitti, niſi ratione alicujus Octavæ, vel alicujus Feſti occurrentis debeat fieri commemoratio aliqua: tunc etenim, ſi occurrant duæ, vel plures commemorationes faciendæ, omittitur utraque illarum de tempore; ſi tantùm una occurrat commemoratio facienda, omittitur tunc tertia Oratio, quæ eſt ſecunda de tempore, & tertio loco dicitur illa, quæ eſt prima de tempore, & quæ ſecundo loco dicenda erat. Sit exemplum, quando in Miſſa præſcribuntur tres Orationes dicendæ, una de Officio, ſeu de die, aliæ verò duæ de tempore, ſecunda *A cunctis*, & tertia eligenda ad libitum Sacerdotis; tunc ſi occurrant duo Feſta ſimplicia, omittitur utraque Oretio de tempore, & ſubſtituitur commemoratio utriuſque Feſti ſimplicis. Exemplum habes hoc Anno 1736. die 21. Octobris, in qua incidit Dominica 21. poſt Pentecoſten: Hac enim die occurrit Feſtum ſimplex S Hilarionis, & SS. Urſulæ, ac ſociarum Virg. & Mart. quorum duæ commemorationes eripuerunt locum Orationum duarum de tempore.

Firmata igitur hac regula, quòd Orationes, quæ correſpondent commemorationibus factis in Officio poſt Laudes, ſubſtituantur in Miſſa Collectis, ſeu Orationibus pro tempore aſſignatis, & quæ de tempore appellantur; debet pariter firmari hæc alia regula, quòd ſicùt duæ commemorationes de duobus ſimplicibus Feſtis occurrentibus in eadem die, ſubſtituuntur in Miſſa duabus Orationibus de tempore, quando duæ aſſignantur dicendæ, poſt Orationem diei; ita unica commemoratio de ſimplici facienda, ſubſtituitur unicæ Orationi de tempore, quando unica tantùm eſt aſſignata in Miſſa dicenda. Ex quo igitur in memoratis Feriis à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in cœna Domini, & infra Octavas Paſchæ, & Pentecoſtes, unica aſſignatur Oratio de tempore dicenda, nempe, vel *Eccleſiæ*, vel *pro Papa* poſt Orationem diei; hinc fit, quòd ſi occurrat Feſtum ſimplex in prædictis diebus, omittenda ſit Oratio illa unica de tempore aſſignata, & loco illius dici debeat Oratio de dicto Feſto, quæ correſpondet commemorationi ejuſdem ſimplicis factæ in Officio.

Ex hucuſque dictis ſequitur, quòd particula tantùm, quæ habetur in Rubrica Feriæ 4. poſt Paſcha, in qua legitur -- Ab hac die uſque ad Sabbatum in albis incluſivè, poſt Orationem diei dicitur una ex ſequentibus Orationibus tantùm, niſi facienda ſit commemoratio Feſti ſimplicis -- Sequitur, inquam, quòd illa particula *tantùm* advertatur numero ternario Orationum, ita ut occurrente Feſto ſimplici, nulla ex illis Orationibus dicatur, quæ ſunt communes, ſeu de tempore, ſed loco unius ex illis recitari debeat Oratio de ſimplici occurrente. Neque officit, quòd eædem particulæ, *tantùm*, & *niſi*, habeantur etiam in Rubrica ſub eam. 10. *part.* 1. *tit.* 9. in qua dicitur: *Et die Octava dicitur una tantùm Oratio, niſi facienda ſit aliqua commemoratio;* quin aliqua ex dictis particulis adverſetur numero binario Orationum; nam in hac Rubrica agitur de Orationibus, quæ ambæ ſunt Officii, & diei, adeoque de Orationibus, quæ in Miſſa nunquam omittuntur, niſi in aliquo caſu particulari habeatur exceptio in Rubricis, ſicùt contingit in Dominica Palmarum, & in Vigilia Pentecoſtes, in quibus ſi occurrat Feſtum

ſimplex,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimplex, declaratur in Rubricis, quòd de eo quamvis fieri debeat commemoratio in officio, non tamen debet pariter ejusdem fieri commemoratio in Miſſa. Ex quo igitur in præfata Rubrica de Octava præſcribatur unica tantùm Oratio, nempe diei, & ſubdatur, *niſi facienda ſit aliqua commemoratio*, nimirum niſi ſit addenda alia Oratio Officii; ideò illa particula *tantùm* ibi adjecta non adverſatur numero binario Orationum, nullus enim ſanæ mentis intelligere poteſt, quòd commemoratio facienda ſubſtitui debeat Orationi illius diei, ſeu Octavæ, ita ut loco iſtius, debeat dici Oratio commemorationis. At particula *tantùm*, quæ habetur in Rubrica Feriæ 4. poſt Paſcha, verſatur, non circa Orationem Officii, & diei, ſed circa Orationem de tempore, cujus indoles eſt, ut omittatur in concurſu alterius Orationis de Officio, ſicùt ſuprà clariſſimè explicavimus.

Rurſus neque dici poteſt, quòd illa particula *tantùm* adverſari nequeat numero ternario Orationum, quia ſi is eſſet ſenſus Rubricæ, ſervandus æquè foret, non ſolùm in occurrentia Feſti ſimplicis, ſed inſuper in occurrentia Feſti ſemiduplicis, quo incidente dicitur Oratio ſecunda de Feria, & Tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Nihil, inquam, urget hæc difficultas contra ea, quæ diximus, quia in Rubricis, ut ſuprà expoſuimus, eſt ſpecialis diſpoſitio de Miſſa Feriali hujus temporis, in qua excluditur tertia Oratio; ſed in Miſſa Feſti ſemiduplicis diverſa eſt diſpoſitio Rubricæ, in dicta etenim Miſſa poſitivè, & expreſſè præſcribuntur tres Orationes dicendæ: prima de Sancto, ſecunda de Feria, Tertia communis, ſeù de tempore, nempe *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*. Non debemus autem audacter inſurgere contra Rubricarum Auctorem, & dicere, quare ſic ordinaſti, nimirum duas tantùm Orationes in Miſſa Feriæ, & tres in Miſſa Feſti ſemiduplicis, quod eſt nobilius Feria?

In Miſſa de Duplici dicenda aliquando in Feriis hujus hebdomadæ, Oratio ſecunda eſt de Feria currenti, cui addenda eſt commemoratio de Feſto ſimplici, ſi quod occurrat. At verò in Miſſa de Feſto ſemiduplici, ſecunda Oratio eſt de Feria, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, niſi facienda ſit commemoratio de Feſto ſimplici occurrente; tunc enim erit de illo (omiſſa Oratione pro *Eccleſia*, vel *pro Papa*) in Miſſis privatis.

Dixi in Miſſis privatis, nam ubi infra hebdomadam Paſſionis in ejusmodi Feſto ſemiduplici cantandæ erunt duæ Miſſæ Conventuales (uti in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis) una de Feſto, altera de Feria, in Miſſa de Feſto ſemiduplici, ſecunda Oratio erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*; aut ſi occurrat Feſtum ſimplex, ſecunda Oratio eſſet de Feſto ſimplici. In Miſſa verò de Feria Oratio ſecunda erit *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, non autem de ſimplici, etiamſi tale ſimul occurrat, & tunc non dicetur tertia Oratio, tam in Miſſa Conventuali de Feſto, quàm in Miſſa Conventuali de Feria, juxta ſententiam P. Halden, de qua mentionem fecimus in noſtris Obſervationibus *ad Tit. IX. Partis I. n. 6.* Non deſunt tamen, qui in Miſſa Conventuali de Feſto ſemiduplici, præter Orationem de Feſto ſimplici occurrente, dicunt etjam tertiam Orationem *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*.

Advertere tamen eſt cum Halden in ſuis addendis & corrigendis *pag. mihi* 20. quòd hoc tempore Paſſionis, nec non infra Octavam Paſchæ, & Pentecoſtes, & omnibus illis diebus, quibus ex præſcripto Miſſalis dicuntur tantùm duæ Orationes; *Oratio ſupranumeraria* à ſuperiore indicta (ſeu una, ſeu plures) ſuperaddita eſt duabus illis aliis à Miſſali pro Feria currente præſcriptis, & poſt utramque à Miſſali præſcriptam: hoc autem eſt etiam conforme decreto à S. R. C. emanato die 17. Auguſti 1709. quod reperitur in noſtra Appendice. Adnotare etiam debemus, quòd juxta Decretum emanatum die 11. Julii 1643. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 285. ſi in Feria 2. poſt hanc Domini-

minicam dicitur Officium Defunctorum, non ideò tamen debeat dici Miſſa Defunctorum; neque Oratio Fidelium in Miſſa occurrente. Vide etiam Decretum editum die decima Januarii 1693. *in una Galliarum*, & datum in noſtro Indice ſub *n.* 506. in quo confirmantur aliqua jam à Rubricis præſcripta, & à nobis ſuperiùs tradita, præſertim circa Miſſas Conventuales alicujus Feſti in hac hebdomada occurrentis, & Feriæ pariter occurrentis, necnon circa Orationem de Feſto ſimplici.

V. Gavant. pag. 184. col. 2. eodem n. 4. *De Præfatione, de Cruce, &c.*) Præfatio Miſſæ dicitur de Cruce in hodierna die, ac reliquis quoque deinceps Miſſis, uſque ad Feriam 5. in Cœna Domini incluſivè, etiam in Feſtis, ac Miſſis Votivis, niſi propriam habeant, aut niſi dicatur *Miſſa de Requiem*, in hac enim ſemper dicitur *Præfatio communis*, *& Communicantes commune* quocumque tempore pariter dicitur, &c.

VI. Gavant. pag. 185. col. 1. n. 6. *Dominica Palmarum, &c.*) Hæc Dominica, ut optimè notat Gavantus, varia ſortita eſt nomina, quorum fuſiores explicationes videri poſſunt apud Grancolas *lib.* 2. *Comment. Hiſtorici in Breviarium Romanum c.* 53. & apud Edmundum Martene *de diſcipl. eccleſ. c.* 20.

## Antiquitas Ritus Benedictionis Palmarum.

VII. Gavant. pag. 185. col. 2. eodem n. 6. *In Benedictione Ramorum, &c.*) Benedictionis Palmarum, ſeu Olivarum, quæ fieri præſcribitur in hac Dominica, nulla apparet mentio, ait Martene *cap.* 20. *de antiqua Eccleſ. diſciplina*, apud Auctores ante ſeculum octavum, aut nonum; nullum apparet illius veſtigium in pervetuſtis Miſſalibus Francorum, & Gothorum, à Thomaſio vulgatis, nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex MS. Bobienſi à Mabillonio eruta, & edita *tom.* 1. *Muſæi Italici*, nullum in Ordine Gelaſiano, nullum in S. Gregorii Sacramentorum libro Menardi notis illuſtrato, aliiſque nonnullis ante annos nongentos exaratis, &c. Hæc Martene *cit. loc.* qui ſubdit, ſe nullum Amalario antiquiorem, qui prædictæ Benedictionis mentionem fecerit, Auctorem vidiſſe. Verùm fallitur ſapientiſſimus Vir, etenim in Sacramentario S. Gregorii Magni, à clariſſimo Menardo edito, hujus Benedictionis mentionem fieri apertiſſimè liquet in Oratione, quæ Communionem præcedit, in qua Deo dicitur, quemadmodùm Fideles ſe illi offerebant eo die cum frondibus Palmarum, & Ramorum, vellet eos poſt mortem recipere Palmis victoriæ præcinctos, & bonorum operum fructibus exornatos, &c. quapropter mirari ſubit, eruditiſſimum Martene affirmare potuiſſe, nullum Sollemnitatis Palmarum, & Ramorum veſtigium extare in Sacramentario Gregoriano à Menardo vulgato; dubitat tamen doctiſſimus Grancolas, an prædicta Oratio Sacramentario Gregoriano fuerit adjecta; ſed vana omnino eſt hæc dubitatio, etenim in Codice Membranaceo Sacramentarii Gregoriani, qui reperiebatur in Bibliotheca Reginæ Sueciæ, ſupra octingentos annos exarato, hæc leguntur à doctiſſimo noſtro Thomaſio obſervata -- Die Dominico in Palmis ad S. Joannem in Lateranis Benedictio in Palmis: *Deus, cujus Filius, &c.* -- Obſervavit hæc Thomaſius in Notis Mss. ad Sacramentarium Pamelii, quas penès me habeo; ex quo manifeſtum eſt, in antiquiſſimo omnium Codice Gregoriano Benedictionem Palmarum extare, ac proinde jam Gregorii ævo hujuſmodi ceremoniam in Eccleſiæ Romanæ diſciplinam tranſiiſſe. Et ſanè uno tantùm poſt Gregorium ſeculo hic Ritus in Anglia vigebat teſte Aldhelmo Orientalium Saxonum Epiſcopo *lib. de Laudibus Virginis cap.* 15. En Aldhelmi teſtimonium - Aut fruſtra vocabuli privilegium participavit cum Advocato, & Redemptore noſtro, de quo lactentes Evangelica conſona vocis harmonia pſallentes concordi-

ter cecinerunt: ***Benedictus, qui venit in nomine Domini***, cujus rei regulam noſtra quoque mediocritas (authentica Veterum auctoritate ſubnixi) in ſacroſancta Palmarum Sollemnitate, binis claſſibus canora voce concrepans, & geminis concentibus Hoſanna poſtulans, cum jucundæ jubilationis melodia concelebrat -- In quo teſtimonio illud ſedulò animadvertendum, Scriptorem hunc affirmare, quòd hujusmodi ceremonia erat authentica veterum auctoritate ſubnixa; & reverà Grancolas *Comment. Hiſt. in Breviarium Romanum* cap. 53. ubi agit de hac ceremonia, cenſet eam Romæ fuiſſe in Angliam invectam; itaque neceſſariò fatendum eſt, Anglos hanc diſciplinam ex Auguſtino ipſorum Apoſtolo, illuc à Gregorio Pontifice miſſo, accepiſſe; niſi Aldhelmo mendacii notam velimus inurere, qui recentem Ritum nobis tanquam veterem vendicaret. Quòd ſi rem altiùs repetere placet, eundem Ritum, etiam Gregorio antiquiorem in Eccleſia Occidentali fortaſſe inveniemus. Nam in Sacramentario Gelaſii (quidquid Martene dixerit nullam in eo reperiri mentionem, nullumque veſtigium præfatæ Benedictionis) Dominica 6. Quadrageſimæ habet hunc titulum -- Domin. in Palmis de Paſſione Domini - Quo titulo ſanè docemur, jam tunc in Romanam Eccleſiam Palmarum Ritum invectum fuiſſe; Adrianus Baillet *tom.* 4. in hiſtoriam hujus diei, putat, id etiam Gelaſiano Codici fuiſſe adjectum; ſed ab ea opinione, ſicùt etiam à ſua Grancolas, & Martene, profectò receſſiſſent, ſi, antequàm eam amplecterentur, præ oculis habuiſſent vetuſtiſſimum Kalendarium Eccleſiæ Romanæ, quod ipſemet Martene poſteà evulgavit *tom. 4. Theſauri Anecdot.* quodque ipſe eruditiſſimus Vir labente quarto, vel ineunte ſeculo V. ſcriptum exiſtimavit, in quo quidem Kalendario hæc leguntur -- Dominica in Palmis ad S. Joann. in Lateranis -- Nulli itaque dubium eſſe debet, quin hic Ritus antiquiſſimus ſit in Eccleſia Romana. At inquiunt adverſarii, cur igitur nulla hujus Ceremoniæ mentio apud Iſidorum, nulla in Gallicana Liturgia à Mabillonio edita, ex Codice Bobienſi, nulla in Miſſali Francorum, atque Gothorum à Thomaſio vulgato, nulla in Pontificali Egberti Ebroicenſis Epiſcopi? Nimirum, quia non omnes Ritus, quos ſuſcipiebat Eccleſia Romana, non omnes, inquam, in Gallia, & Hiſpania vigebant, quod Viri illi peritiſſimi profectò non ignorant; quamvis ergo hæc Ceremonia apud Gallos ante Carolum Magnum in uſu non fuiſſet, ex hoc tamen non licet inferre, in Eccleſia Romana, & in aliis Occidentis Eccleſiis non fuiſſe receptam; poſſet id exemplis quamplurimis demonſtrari, niſi res Lippis & Tonſoribus nota eſſet. Præterire denique non debeo, quòd in Codice Ratoldi extat Benedictio Palmarum.

Antiquum quoque fuiſſe in Oriente Palmarum ſeu Ramorum Feſtum, quinimo antiquius quàm in Occidente, deducitur ex Vita S. Euthymii à Cyrillo Scythopolitano ſcripta, in qua legitur, quòd Solitarii, qui in deſertum ſecedebant poſt Epiphaniam, ut ad Feſtum Paſchatis ſe pararent, ad Monaſterium ſuum revertebantur ad Feſtum Palmarum celebrandum, quod erat in capite hebdomadæ, qua Dominicæ Paſſionis Myſteria celebrantur; & à Clero procul dubio, ùt benè ponderat Grancolas ſuprà *loc. cit.* Monachi iſti didicerant hoc Feſtum celebrare quinto ſeculo in Oriente. Meminit pariter Sollemnitatis Palmarum idem S. Cyrillus Hieroſolymitanus *in Catecheſi* 10. ùt refert Menardus, *in Notis & Obſerv. in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag.* 56. & *in pag. ſeq.* alia congerit pertinentia ad antiquitatem hujus Sollemnitatis. Verùm ex ultima auctoritate S. Cyrilli Baillet *tom.* 4. *ſupracit.* agens de hiſtoria Feſti Ramorum *pag.* 194. §. 2 minimè vult inferri Sollemnitatem, de qua loquimur; ſicùt etiam ex ſermonibus, qui S. Epiphanio, & S. Jo. Chryſoſtomo tribuuntur, in quibus Sollemnitas iſta de Palæſtina

in

in Cyprum & Syriam tranſiiſſe dicitur, nihil certi deduci poſſe adſtruit, quia ſermones prædictos Auctoribus multò recentioribus adjudicandos eſſe opinatur, cui ſententiæ accedit etiam Grancolas *loc. cit.*

## Praxis Ritus ſollemnis Benedictionis Palmarum, De his, quæ præparanda ſunt pro tali Ritu.

VIII. Rubr. num. 7. pag. 185. *Completa Tertia, &c.*) Altare hac die parcè paretur, non cum Floribus, vel Imaginibus ſollemnitatem indicantibus; ſed intra Candelabra interponi poterunt Rami Palmarum, ſive Olivarum, auro, vel argento decenter ornati. Pallium Altaris debet eſſe coloris violacei. In loco apto ad cornu Epiſtolæ prope Credentiam collocetur Crux proceſſionalis Velo violaceo tecta; & vitta violacea pro liganda Palma in ſummitate Crucis. Si ad Altare ſit Sacramentum in Tabernaculo, non debet pro facienda hac functione amoveri. Bauldry *part. 4. art. 1. n. 5.* Biſſus *lit. B. n. 225. §. 4.*

Super credentiam ponatur Thuribulum cum Navicula, & præter alia requiſita pro Miſſa Sollemni, Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & Bacile cum Manutergio, necnon Vas aliud, ſeu Urceus aquæ pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis, faciendis poſt Palmarum diſtributionem. Item paretur alia Credentia in cornu Epiſtolæ prope Altare, versùs cornu poſterius, linteo pulchro undequaque contecta, ſuper quam ponantur Palmæ, & Rami Olivarum, ſeu illis deficientibus aliarum arborum, in quibus Ramis inſerantur, ſi fieri poteſt, Cruces ex Palma. Palmæ, ſive Olivarum Rami pro Celebrante, Canonicis, & Miniſtris Sacris, ſint aliis pulchriores; item pro Magiſtratu, ſive Nobilioribus convenit Ramos prædictos decenter ornari pro conſuetudine loci, & perſonarum qualitate, & omnes ſupradicti Rami tegantur ſuper Credentiam Mappa munda, vel alio Velo decenti, uſque dum fiat eorum Benedictio. Bauldry *ſup. n. 2.* Biſſus *ſup. §. 5.*

Paretur etiam in aliquo loco remoto Vas cum carbonibus ardentibus, & forcipe ad eos ponendos in Thuribulo. Parentur quoque Miſſalia, tam pro Celebrante, quàm pro Miniſtris Sacris, & Ritualia pro proceſſione; item ponatur ſuper Credentiam ordinariam Stola latior coloris violacei pro Diacono, ſi Miniſtri Sacri utantur Planetis plicatis; nam ſi iis non utantur, ſed miniſtrent in albis, neque Diaconus utitur Stola latiori, cùm hæc adhibeatur loco Planetæ plicatæ.

Parentur etiam tria legilia, ſuper quæ Paſſio cantetur, ſicùt & tria Miſſalia, aut tres Codices, in quibus Paſſio diligenter notata ſit. Prætereà in Sacriſtia, vel alio loco ab Altari remoto, præparari debent pro Cantoribus Paſſionis tres Amictus, tria Cingula, tres Stolæ, & totidem Manipuli, quibus indui debent tres Miniſtri, qui Paſſionem debent cantare. Biſſus *ſuprà §. 7.* & Bauldry *ſuprà.* Ad Manipulos verò quod attinet pro Cantoribus Paſſionis, uſus illorum non præſcribitur à noſtro Caſtaldo *in Praxi Cerem. lib. 3. ſect. 4. cap. 5.* ubi nullam facit mentionem de prædictis Manipulis. Verùm, cùm in Ceremoniali Epiſc. *lib. 2. c. 21. n. 4.* expreſſa fiat de eiſdem mentio pro illis, qui Paſſionem ſunt cantaturi; hinc de illorum uſu non videtur dubitandum.

Deputentur prætereà per Ceremoniarium duo, aut quatuor Cantores, qui in reverſione proceſſionis decantent in in Eccleſia v. *Gloria, Laus, &c.* Item per eundem Ceremoniarium deputentur, & in tabella deſcribantur ii omnes, qui hac die miniſtrare debent, qui ſunt Diaconi, Cantores Paſſionis, & alii Miniſtri, & quid illis agendum ſit, præſcribatur. Bauld. *ſup. n. 6.*

## Pro initio Ritus Benedictionis Palmarum.

IX. Rubric. eodem n. 7. pag. 185. *Facta aſperſione aquæ more ſolito, &c.*) Sed ſine *Gloria Patri.* Acolythus ponit Vas ejuſdem aquæ cum Aſperſorio ſuper Credentiam propè Ramos, & dicta à Celebrante ſolita Oratione *Exaudi*, ſtatim ponatur Miſſale ſuper Altare in cornu Epiſtolæ à Ceremoniario, vel ab alio, niſi anteà poſitum fuerit; itemque diſcooperiantur Palmæ, ſive Rami.

X. Rubric. eodem n. 7. pag. 185. *Sacerdos indutus Pluviali violaceo, &c.*) Dum prædicta peraguntur à Ceremoniario, vel ab alio, Celebrans indutus Pluviali violaceo, aſcendit ad Altare, medius inter Sacros Miniſtros Planetis plicatis indutos, hinc inde Pluviale elevantes, & cùm ad ſuppedaneum pervenerit, Altare in medio oſculatur, dein de & ipſi Miniſtri cætera præſtent, prout diximus in Feria 4. Cinerum.

XI. Rubric. eodem n. 7. pag. 185. *Vel ſine Caſula, &c.*) Ex defectu Pluvialis aliquando Celebrans peragit hanc functionem indutus Stola tantùm violacea ſuper Albam, ſine Caſula, & ſine Manipulo, etiam quando, deficiente Diacono, ipſe deberet cantare Evangelium Benedictionis Palmarum, ut docet Biſſus *lit. C. num.* 220. Quamvis verò nonnulli opinati fuerint, quòd etiam Manipulum induere debeat, ob Evangelium, quod (deficiente Diacono) ipſemet Celebrans cantare deberet in Benedictione Palmarum; nihilominùs, ſtante illa regula univerſali, quæ habetur in Rubrica generali *part.* 1. *tit.* 19. *num.* 4. nimirum: *Ubi Pluviale haberi non poteſt in Benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans ſtat ſine Planeta, cum Alba, & Stola:* nequaquam Manipulus adhibendus eſt; teſtante etiam Gavanto *ibidem*, quòd nullus eſt extra Miſſam uſus Manipuli Sacerdotalis; in hujuſmodi autem Palmarum Benedictione Sacerdos eſt extra Miſſam, juxta eundem Gavantum *hoc tit.* 7. *num.* 8. Prætereà ſi Sacerdos in hujuſmodi Benedictione Pluviali uteretur; procul dubio deberet (deficiente Diacono) cantare ipſe Evangelium ſupradictum, & per conſequens ſine Manipulo, qui, ex Rubrica generali *ſupracit.* & Gavanto *ibidem*, cum Pluviali ſtare non poteſt; ergo nec quando ſola Stola præſcribitur in defectu Pluvialis, Manipulus aſſumi debet ob idem Evangelium canendum.

XII. Gavant. pag. 185. col. 2. lit. b. *Et deinde in cornu Epiſtolæ, &c.*) Poſtquàm Celebrans oſculatus fuerit Altare in medio, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans medius inter Miniſtros Sacros (ita tamen, ut prædicti Sacri Miniſtri aliquantiſper diſtent ab Altari) legit, non ſe ſignans, Antiphonam *Hoſanna filio David*, ut in Miſſali, quam interim Cantores inchoant, & Chorus proſequitur. Biſſus *lit. B. num.* 87. §. 4. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 2. *num.* 3.

## Pro Ritu Sollemni Benedictionis Palmarum.

XIII. Rubr. n. 8. pag. 185. *Deinde Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ, &c.*) Cantata à Choro prædicta Antiphona, Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ inter Miniſtros Sacros, non converſus ad populum, ſed verſus Altare manibus junctis, etiam ad *Oremus*, & ad Orationes, ut diximus agentes de Benedictione Cinerum, quia ſumus extra Miſſam, cantat *Dominus vobiſcum, &c.* & Orationem in Tono Feriali. Bauldry *ſuprà num.* 4.

XIV. Rubr. n. 9. pag. 185. *Poſteà Subdiaconus, &c.*) Dum Celebrans cantat Orationem, Subdiaconus vadit ad Credentiam,

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

ubi depoſita Planeta plicata, ſi ea utatur, ſumit ambabus manibus Miſſale, & comitatus à Ceremoniario, vel ab alio, facta de more debita reverentia Altari, & Choro, accedit prout de more ad locum ſolitum pro cantanda Epiſtola, ibique in Tono conſueto Epiſtolæ cantat lectionem *de libro Exodi*, ùt in Miſſali, quam interim Celebrans legit ſubmiſſa voce, ſi velit, aſſiſtente ſibi Diacono, ùt in Miſſa Sollemni ad Introitum, qui in fine lectionis reſpondet: *Deo gratias.* Subdiaconus autem, cantata Epiſtola, ſeu lectione, accedit cum ſocio à ſiniſtris ſuis ad medium Altaris, ubi genuflectit cum eo in infimo gradu, unico genu, & mox ſurgens pergit in cornu Epiſtolæ ad Celebrantem, ubi ſuper altiorem gradum de more ſolito genuflectens, manum Celebrantis oſculatur, & reddito Miſſali clauſo Ceremoniario, & factis iterum debitis reverentiis Altari, & Choro, ad Credentiam accedit, ubi Planetam plicatam reſumit, ſi ea utitur. Deinde redit ad Celebrantem, ibique eidem aſſiſtit, non tamen defert Miſſale Celebranti ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epiſtolæ (præmiſſis *Graduali*, *Munda cor meum, & Jube Domine benedicere, &c.* ibidem, & non in medio Altaris, profundè inclinatus de more versùs Crucem) Liberum tamen eſt Celebranti recitare tam Epiſtolam, quàm ea, quæ ſequuntur, uſque ad Evangelium incluſivè. Bauldry *ſuprà num.* 5. Biſſus *ſuprà*, & Gavantus *in Ceremoniali ſuæ Congregationis Cler. Reg. S. Pauli lib.* 2. *cap.* 2.

XV. Rubr. n. 10. pag. 185. *Interim, dum cantatur Reſp. &c.*) Vel quando opus eſt, Diaconus, depoſita prius Planeta plicata (ſi ea utatur) & ſumpta Stola latiori loco Planetæ, vel deficiente hac latiori Stola, convoluta eadem Planeta ſuper humerum ſiniſtrum ad modum Stolæ, defert de more librum Evangeliorum, ſive Miſſale, ante pectus ſuper medium Altaris; interim Thuriferarius tempeſtivè accedit ad cornu Epiſtolæ, cum Thuribulo, & Navicula, ibique Celebrans, Diacono miniſtrante, ac ſtante à dexteris ejus, ponit Thus in Thuribulo de more cum Benedictione, ùt ad Evangelium, quo facto Diaconus, genuflexus in medio Altaris ſuper ſuppedaneum, ùt mos eſt, & inclinatus versùs prædictum Altare, manibus junctis dicit: *Munda cor meum, &c.* Deinde ſtante ſemper Celebrante à cornu Epiſtolæ, omnia peraguntur à Diacono, Thuriferario, & aliis, ſicùt in Miſſa Sollemni, dum cantatur Evangelium, quo terminato, & incenſato Celebrante, Diaconus iterum Planetam plicatam reſumit, ſi ea utatur, alioquin ſtat in albis, cum Stola, & Manipulo, deinde ad Altare accedit, ùt infrà. Biſſus *ſuprà* §. 6. Bauldry *ſuprà num.* 6. Vinitor *part.* 4. *tit.* 6. *num.* 10.

Si autem Celebrans peragerct hanc Benedictionem ſine Miniſtris Sacris, ipſemet ſtans in cornu Epiſtolæ, poſt lectam ab aliquo Clerico lectionem, & poſt cantatum in Choro Graduale, ſeu Reſponſorium; adhibito incenſo, ipſemet, inquam, Sacerdos cantare debet Evangelium Benedictionis in cornu Epiſtolæ, juxta Decretum S. R. C. editum die 27. Aprilis 1697. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 512. Idque antea etiam docuerant Biſſus *lit. B. num.* 87. §. 10. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 4. *num.* 1.

XVI. Rubr. n. 11. pag. 186. *Poſtea benedicuntur Rami, &c.*) His omnibus peractis, Celebrans manibus junctis benedicit prædictos Ramos; ſtans in cornu Epiſtolæ, aliquantulùm ad Ramos converſus (Miniſtris Sacris hinc inde ſtantibus junctis manibus) dicit *Dominus vobiſcum* in Tono feriali, deinde Orationem: *Auge fidem, &c.* præmiſſo *Oremus*, qua finita, proſequitur Celebrans Præfationem, ùt in Miſſali, manibus tamen junctis, aſſiſtentibus hinc inde Miniſtris Sacris, ùt ſuprà, qui in fine ſe inclinant, & cum Celebrante dicunt *Sanctus, &c.* (quod etiam cantatur à Choro in Tono feriali) & ad *Benedictus, qui venit*, erecti de more ſe

ſignant

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſignant. Bauldry *ſuprà art. 2. num.* 8. Vinitor *ſuprà num.* 12. Cùm Celebrans Ramos dextera benedicit ſigno Crucis ad illam notam ✠ ſiniſtra ſuper Altare poſita, Diaconus elevat fimbriam ſui Pluvialis; interim, qui ſunt in Choro, ſtant versùs Altare detecto capite, & inclinant ſe cùm nomen Jeſu profertur. Bauldry *ſuprà*, Vinitor *ſuprà num.* 14. Biſſus *ſuprà* §. 7.

XVII. Rubr. n. 15. pag. 186. *Celebrans ponit incenſum, &c.*) Expletis Orationibus, Sacerdos impoſito cum Benedictione, prout de more, Incenſo in Thuribulum, ter aſpergit Ramos aqua benedicta, eo modo, quo deſcribit Gavantus *hic*, dicens interim ſubmiſſa voce; *Aſperges me, &c.* & poſteà ter adolet incenſo nihil dicens. Miniſtrandum eſt autem in hac Benedictione non ſolùm Aſperſorium Sacerdoti à Diacono, ſed etiam Thuribulum, cum ſolitis oſculis, ac reverentiis. Poſtremò dicitur Oratio: *Deus, qui Filium, &c.* & ſic completa erit Benedictio Ramorum.

## Pro Diſtributione Palmarum.

XVIII. Rubr. n. 14. pag. 186. *Completâ Benedictione Palmarum, &c.*) Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique ſtat in medio Diaconi à ſiniſtris, qui ei Palmas, ſeu Ramos diſtribuendos porrigere debet, & Subdiaconi à dexteris, nudo capite. Biſſus *ſuprà* §. 10. & Vinitor *ſuprà num.* 17. Thuriferarius verò depoſitis Thuribulo, & Navicula, aut Sacriſta ſtans ad latus Epiſtolæ, offert Diacono præfatas Palmas ſine oſculis, & hic porrigit Celebranti cum oſculo tantùm Ramorum, non verò manus; ſimiliter alius Acolythus deponit Vas aquæ benedictæ. Bauldry *ſupr. num.* 12.

XIX. Rubr. n. 14. pag. 186. & Gavant. ibid. col. 1. lit. g *Dignior ex Clero, &c.*) Interim Ceremoniarius, vel alius vadit ad Chorum, ubi cum debitis inclinationibus invitat Sacerdotem digniorem ex Clero, qui ipſo Ceremoniario comite cum ſuo habitu chorali, ſed ſine Stola, ùt diximus ſuprà in Fer. 4. Cinerum, vadit ad Altare, quo perventus facit cum Ceremoniario ante infimum gradum Altaris genuflexionem unico genu (ſi tamen ſit Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, profundam tantùm reverentiam facit) ſemper verò genuflectunt omnes etiam Canonici, ùt ſæpius diximus, ſi in Tabernaculo aſſervatur SS. Sacramentum; deinde facta profunda reverentia etiam Celebranti, præfatus dignior de Clero aſcendit usque ad gradum Altaris proximiorem ſuppedaneo, & ibi accepta de manu Diaconi ſtantis à ſiniſtris Celebrantis Palma pulchriori, eam oſculatur, non verò manum Celebrantis, eamque porrigit eidem Celebranti, quam ipſe quoque oſculatur, & poſteà alicui Miniſtro cuſtodiendam tradit, ut liberè alias aliis diſtribuere poſſit. Tum Diaconus accipit aliam Palmam à Thuriferario, ſeu ab alio Acolytho (qui neque Palmam, neque Diaconi manum oſculatur) quam porrigit cum oſculo Palmæ tantùm Celebranti, qui eam dat eidem digniori de Clero, à quo ipſe ſuam accepit, genuflexo ſuper Altaris ſuppedaneum (ùt etiam omnes alii facere debent in accipienda Palma à Celebrante) qui dignior Palmam oſculatur, non manum Celebrantis; tum ſurgit, deſcendit in planum (advertens, ne directè terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem, ac Celebranti, & deinde Choro, ſimul cum Ceremoniario debitam facit reverentiam, ùt ſuprà, poſteà eodem Ceremoniario comite, pergit ad ſuum ſtallum. Biſſus *ſup.* §. 11.

Advertendum tamen eſt, quòd ſi ſupradictus dignior de Clero ſit Superior Eccleſiæ,

qui ob rationabilem aliquam cauſam, non benedicat Palmas, quando à Celebrante Palmam accipit, neque genuflectit, neque Celebrantis manum oſculatur, ſicùt etiam faciunt Canonici Cathedralis Eccleſiæ, Bauldry *num.* 13. Biſſus *ſuprà* §. 11.

Præterea advertere etiam eſt, quòd incipiente Ramorum diſtributione, ſtatim, & non priùs, Cantores in Choro intonant Antiphonas: *Pueri Hebræorum, &c.* quas repetunt, quouſque ſit finita tota Ramorum diſtributio, & nunquam ceſſare debent, & ut ſemper ſint in Choro aliqui, qui cantent, ſerventur ea, quæ diximus in Benedictione Cinerum.

Poſt digniorem de Clero, Miniſtri Sacri parati genuflectunt ſuper ſuppedaneum, id-eſt Diaconus à dexteris, & Subdiaconus à ſiniſtris, & ita Palmas accipiunt à Celebrante, eidem à Ceremoniario, vel alio porrectas. Miniſtri verò prædicti eam accipiendo oſculentur, & deinde Celebrantis manum (ſi tamen ſunt ejuſdem Ordinis cum Celebrante, manum prædictam non oſculantur, neque genuflectunt) poſteà ſurgunt, & Altari, ac Celebranti factâ debita reverentia, ad locum ſuum redeunt, nempe Diaconus à ſiniſtris, & Subdiaconus à dexteris Celebrantis ſe recipit; prædictusque Diaconus interim miniſtrat Celebranti Ramos, aliis diſtribuendos, eos tantùm oſculando, depoſito priùs ſuo Ramo ſuper Altare. Alter Acolythus miniſtrabit Ramos prædictos Diacono ſine oſculis, ùt notat hoc loco Gavantus, & prædicti Sacri Miniſtri ſuas Palmas tradere etiam poſſunt Acolythis, qui eas teneant in manu, vel ſuper Credentiam deponant. Biſſus *ſuprà* §. 13. Poſt Sacros Miniſtros accedunt alii de Clero, primò digniores, deinde alii, omnes tamen cum debitis reverentiis, anteà, & poſt, ùt ſuprà dictum eſt.

Si qui tamen Prælati extranei adſint diſtributioni Palmarum, quando Celebrans acceperit Palmam à digniore Chori, ùt ſuprà, ipſi Prælati ante eundem Chori digniorem recipient in Altari Palmas, tantummodò inclinati, non genuflexi, nec manum Celebrantis, ſed Palmas tantùm oſculabuntur, quas etiam Celebrantem porrigendo oſculari præſtat; quòd ſi ad Altare non aſcendant, aliquis Sacerdos deſignatus illis deferat cum debitis reverentiis. Ex Cerem. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 4. §. 10.

Tum Celebrans adhuc ſtans in medio Altaris, ùt ſuprà, proſequitur diſtributionem Palmarum ſeu Ramorum Magiſtratui, & Nobilioribus, qui omnes venientes ad Altare, facta priùs eidem Altari genuflexione unico genu, ſalutato hinc inde Choro (aſſurgentibus tunc omnibus de Clero, etiam Canonicis, quia non ſunt parati) & facta debita reverentia Celebranti, genuflectunt ſuper ſuppedaneum ejuſdem Altaris, ibique genuflexi recipiunt Palmas, quas priùs oſculantur, deinde manum Celebrantis (quod etiam ſervare debent cæteri de Populo, qui ad cancellos accipiunt Ramos, ſeu Palmas. Mulieres tamen tantummodò oſculantur Palmas, non verò manum Celebrantis. Biſſus *lit. B. num.* 87. §. 14.) quibus deinde acceptis deſcendunt à Choro, factis priùs, ùt ſuprà, debitis reverentiis.

XX. Rubric. n. 14. pag. 186. & Gavant. pag. 187. col. 2. lit. h. *Exceptis Prælatis, &c.*) Prælati, ſi qui ſunt, qui accipiunt Palmam à Celebrante, ùt mox diximus, non genuflectunt, neque illius manum oſculantur, ſicùt etiam Canonici Palmam tantùm, & non manum oſculantur, neque genuflectunt, ſed tantùm ſtant inclinati. Notandum tamen eſt, quòd ſi in Eccleſiis Cathedralibus Diaconus, & Subdiaconus, qui miniſtrant in Miſſa, quæ celebratur ab aliqua Dignitate, vel à Canonico aliquo, non ſint Canonici, ſed Beneficiati, aut Manſionarii, tunc prædicti Sacri Miniſtri recipiunt Palmas, non poſt digniorem de Clero, ſed poſt

poſt omnes Canonicos Cathedralis, etiamſi non ſint parati, & genuflectunt, & oſculantur Palmam, & manum Celebrantis, ut ſuprà. Sin verò prædicti Sacri Miniſtri fuerint Canonici, tunc poſt ſupradictum digniorem de Clero, ſtantes, capite tamen inclinato, Palmas recipiunt; quod idem dicendum eſt de Candelis; quamvis ſemper, quantùm fieri poteſt, Miniſtri Sacri, debent eſſe ejuſdem Ordinis, & non inferioris cum Celebrante, non obſtante quacunque contraria conſuetudine.

Quòd ſi Epiſcopus (ſupponimus, quòd ipſe non faciat hanc Benedictionem) non accedat ad Altare pro accipienda Palma, tunc per aliquem Sacerdotem, Cotta tantùm indutum, ei Palma defertur, & ipſe Sacerdos oſculatur Palmam, ſimul & manum Epiſcopi; qui Epiſcopus oſculatur tantùm Palmam, non verò manum offerentis; & idem dicendum eſt de Candelis. Bauldry *ſuprà n.* 13. Biſſus *ſuprà* §. 18.

XXI. Rubr. n. 14 pag. 186. *Ultimò Laicis, &c.*) Facta diſtributione Choro, & Magiſtratui ad Altare, Celebrans medius inter Sacros Miniſtros deſcendit ad cancellos (factis priùs debitis reverentiis Choro) ubi eaſdem Palmas allatas à Miniſtris Populo utriuſque ſexus diſtribuit, & ſi Populus ſit multus, poterit, ùt notat Gavantus, alius Sacerdos mitti, Cotta, & Stola tantùm coloris violacei indutus, qui diſtribuat Laicis prædictos Ramos, cum oſculis, ùt ſuprà.

Recolantur Decreta S. R. C. quæ attulimus ſuprà agentes de Benedictione Cinerum, quia in his multa traduntur, quæ ſpectant pariter ad hanc ſollemnitatem Benedictionis, & diſtributionis Palmarum.

Repetimus tamen illud, in quo declaratum fuit, quòd Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non ſunt de juribus merè Parochialibus, & hoc Decretum datur in noſtro Indice ſub *num.* 565. Quarè hujuſmodi functiones licitè in Eccleſiis Regularibus fiunt, ſicut etiam in aliis Eccleſiis, & à Porochis nullatenus impediri poſſunt.

## Pro Ritu Proceſſionis hujus diei.

XXII. Rubr. n. 15. pag. 187. & Gavant. ibid. col. 1. lit. l *Imponit Incenſum miniſt. ante Diacono, &c.*) Circa finem diſtributionis Palmarum, curet Magiſter Ceremoniarum, ut omnia pro proceſſione benè diſponantur; Thuriferarius Thuribulum cum prunis accenſis præparet &c.

Celebrans verò, completa diſtributione Palmarum, ſeu Olivarum, ſi eas diſtribuerit ad cancellos, antequàm aſcendat ad Altare, debet pergere ad cornu Epiſtolæ per planum, ut ibi lavet manus cum medulla panis, ac tergat. Tum aſcendet ad librum per gradus Epiſtolæ, non tamen genuflectet, ſed tantùm mediocriter inclinabit. Si tamen non ad cancellos Palmas ſeu Olivas diſtribuerit, idem Celebrans, ſtans in cornu Epiſtolæ, ibi manus lavabit, quibus lotis, ante librum, junctis manibus dicet *Dominus vobiſcum*, & Orationem; deinde Oratione finita redibit idem ad medium Altaris, ubi ſtans more ſolito, imponet, ac benedicet incenſum, miniſtrante Naviculam Diacono, & Thuriferario Thuribulum; interim aliquis Acolythus infiget, ſeu vitta violacea ligabit in ſummitate Crucis proceſſionalis, velo violaceo tectæ, ramuſculum ex Palmis, ſeu Olivis benedictis. Polaccus *in Aphoriſmis 9. dubio* §. 8. *pag. mihi* 165. Quo facto, Diaconus, ſuo Manipulo depoſito, accipiet ab aliquo Acolytho Palmam Celebrantis, quam eidem præbebit cum oſculis ipſius Palmæ, & manus illius. Tum ſuam accipiet ab eodem Acolytho porrigente, quam tenebit ipſe Diaconus ſi-

niſtra; Celebrans verò ſuam dextera. Mox Diaconus, facta genuflexione Altari, convertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, ſtansque in ſuo gradu poſt Celebrantem, dicet: *Procedamus in pace*, cui reſpondebit Chorus: *In Nomine Chriſti Amen*, & continuò Diaconus convertit ſe ad Altare, nulla facta genuflexione. Interim Subdiaconus Benedictionis & Miſſæ deſcendit, & genuflectit ſuper infimum gradum Altaris, & ſtatim accipit Crucem proceſſionalem, accipientibus ſimiliter ſua candelabra Ceroferariis, ac medius inter eos, ùt moris eſt, accedit ad medium plani Presbyterii, vel ad cancellos, ſeu ad aditum Chori, præeunte Thuriferario cum Navicula & Thuribulo fumigante, qui ponè illos expectat ibidem, donec procedendum ſit. Cerem. Monaſt. *ſup.* §. 4. & Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 5. num.* 13.

XXIII. Rubr. n. 15. pag. 187. *Procedamus in pace, &c.*) Dicto à Diacono *Procedamus in pace, &c.* & reſponſo à Choro: *In Nomine Chriſti, &c.* Celebrans tunc, & non priùs, facta debita reverentia Altari, deſcendit in planum, ubi à Diacono accipit Birretum, ſicùt etiam ipſe Diaconus accipit ſuum à Ceremoniario, vel ab alio Miniſtro, & ſtatim ordinatur Proceſſio, hoc modo: Præcedit omnium primus, ùt mox innuimus, Thuriferarius, ſequitur poſteà Subdiaconus (medius inter duos Ceroferarios) cum Cruce habente Crucifixi effigiem, quæ Thuriferarium præcedentem reſpiciet: poſteà ſequuntur Clerici, primò juniores, deinde alii ordinatim; procedunt autem bini ſimul, & ſi numerus ſit impar, ſenior, vel ſuperior procedat medius inter duos; Palmas verò ſic deferunt, ut qui eſt à dexteris, eam deferat dextera, & ille qui eſt à ſiniſtris, Palmam deferat ſiniſtra manu.

XXIV. Rubric. n. 15. pag. 187. & Gavant. ibid. col. 2. lit. o *Ultimò Celebrans, &c.*) Ultimus omnium erit Celebrans, capite tecto, habens Diaconum à ſiniſtris, qui tamen non elevat fimbriam Pluvialis Celebrantis, & procedit capite tecto, habentes ambo ſuum Ramum. Biſſus *tom. 2. lit. P. num.* 225. §. 2.

Et ſi adſint Prælati, immediatè poſt Celebrantem procedunt, deinde Nobiles, & reliqui de Populo, & ubi eſt conſuetudo, ut ſodales Congregationis ad proceſſionem accedant, ante Clericos, & bini pariter, ac Palmas in manibus geſtantes, ſuo ordine procedere debent. Caſtaldus *libr. 3. ſect. 4. num.* 4.

XXV. Rubric. n. 15. pag. 187. *Et cantantur ſeqq. Antiphonæ, vel omnes, &c.*) In hac proceſſione cantantur à Cantoribus Antiphonæ: *Cùm appropinquaſſet Dominus, &c.* & aliæ in Miſſali deſcriptæ, quas proſequitur Chorus, quæ quidem dicuntur durante tota proceſſione, & ſi proceſſio ſit brevis, aliquæ omittuntur; ſi verò ſit longior, aliquæ repetuntur; ita ut cantus illarum duret quamdiu proceſſio durat. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art* 3. *num.* 2. & Biſſus *ſuprà* §. 3. Juxta Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 15. deberent Cantores procedere ante Thuriferarium; ſed hoc intelligendum videtur, ſi ſint aliqui Cantores Muſici, & Laici; nam ſi ſint Clerici, convenientius videtur, & eſt uſus communior, ut procedant immediatè poſt Crucem. Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 14.

Notandum eſt, quòd proceſſio regulariter incipienda eſt à latere Evangelii, niſi aliud ſuadeat loci ſitus, vel conſuetudo legitimè introducta. Ita Biſſus *lit. P. num.* 221. §. 1. *& num.* 225. §. 4. juxta mentem noſtri Gavanti; Quarti tamen *tract. de Proceſſ. ſect.* 1. *punct.* 6. *n.* 11. & Caſtald. *lib.* 12. *ſect.* 10. *cap.* 1. *num.* 12. cenſent, proceſſionem inchoandam eſſe à latere Epiſtolæ, & terminandam ad latus Evangelii.

Advertere etiam debemus in hac, & aliis hujuſmodi proceſſionibus, quæ ſine

Sacra-

Sacramento fiunt; quòd dum inceditur per Eccleſiam, ſi fortè accidat, ut in aliquo Altari fiat elevatio Sacratiſſimæ Hoſtiæ, aut Calicis, non eſt pulſanda campanula: ſi tamen pulſetur, & advertatur elevatio, tunc à tranſeuntibus ante illud Altare omnino genuflectendum erit utroque genu, uſque ad depoſitionem Sacramenti; ita S. R. C. 1. Martii 1681. & datur in noſtro Indice ſub num. 457.

Hæc proceſſio Palmarum exire debet extra Eccleſiam, ut poſſint cantari ℣℣. ut infrà.

XXVI. Rubr. n. 16. pag. 187. *In reverſione Proceſſionis, duo vel quatuor, &c.*) Dum fit proceſſio extra Eccleſiam, duo aut quatuor Cantores deputati, tempeſtivè intrant in Eccleſiam, cujus fores clauduntur, ibique expectant proceſſionem; & cùm advenerit ad prædictas fores Subdiaconus deferens Crucem, verſus ad eas, medius inter Ceroferarios, aſſiſtente Ceremoniario, ſiſtit ſe; Chorus verò ſtat in duas partes diviſus, vel per gyrum circumſtat (aut commodiori modo, quo fieri poteſt) medium habens Celebrantem (ſtante Diacono à ſiniſtris ejus) directè reſpicientem Crucem, habentem Imaginem Crucifixi, tunc ad ipſum Celebrantem converſam, ùt notat Gavantus *lit.* q. & Bauldry *ſuprà num.* 3. necnon Biſſus *lit. P. num.* 225. §. 5. quamvis non deſint, qui volunt, Subdiaconum debere tenere Crucem eodem modo, quo proceditur in proceſſione, præſertim cùm ſit percuſſurus portam Eccleſiæ haſta ejuſdem Crucis, in quo actu eodem modo procul dubio illam tenere debet. Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 7. num. 9.

XXVII. Rubr. num. 16. pag. 187. *Et decantant duos primos ℣℣. &c.*) Tum illi duo, vel quatuor, qui ſunt in Eccleſia, incipiunt ℣. *Gloria, Laus, &c.* quem integrè proſequuntur cum alio ſeq. Celebrans verò interim tecto capite, & alii, qui exiſtunt extra Eccleſiam, nudo quidem capite (videtur tamen, quòd ibi ſtare poſſint omnes, & non ſolus Celebrans cooperto capite; hæc enim, quæ ibi fiunt, pertinent ad proceſſionem, in qua tota extra Eccleſiam cooperto capite omnes procedere poſſunt. Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 7.) repetunt eoſdem ℣℣. etiam integrè, ùt in Miſſali; deinde Cantores, qui ſunt intra Eccleſiam, cantant alios duos verſus, *Cœtus in Eccleſiis, &c.* quibus terminatis, iterum, qui ſunt extra Eccleſiam repetunt *Gloria, Laus, & Honor, &c.* & ita ſucceſſivè, ùt in Miſſali, ſeu Rituali. Hos verſus debere omnes omnino cantari, tenet Bauldry *ſuprà num.* 5. & ait, ſe id colligere ex Miſſali recognito; ego tamen in Miſſali recognito lego, quòd ii verſus cantentur omnes, vel partim, proùt videbitur (intellige anteriores) quod idem habetur in Rituali Rom.

XXVIII. Rubr. n. 16. pag. 187. & Gav. ib. col. 2. lit. r *Percutit portam, &c.*) Cantatis prædictis verſibus ſive illorum parte, Subdiaconus ima parte haſtilis Crucis, non tamen amota Cruce ab haſtili, percutit ſemel tantùm, ita ut fragor audiri poſſit ab his, qui ſunt intrà, imam partem portæ Eccleſiæ, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intrà, aperitur, & proceſſio ordine ſuprà tradito ingreditur Eccleſiam, mox dicti Cantores incipiunt Reſp. *Ingrediente Domino, &c.* ex Rituali Pauli V. & Chorus illud proſequitur; in cujus fine non dicitur *Gloria Patri, &c.* ùt habetur in Miſſali. Bauldry *ſuprà num.* 5. & Biſſus *ſuprà* §. 6.

XXIX. Gavant. pag. 187. col. 2 lit. r *Tum ad Altare deponit Crucem, &c.*) Cùm autem proceſſio ad Altare pervenerit, Subdiaconus Crucem in loco congruo deponit prope Credentiam, quæ ſtatim ab aliquo Acolytho in Sacriſtiam defertur. Ceroferarii verò deponunt ſua candelabra ſuper eandem Credentiam. Bauldr. *ſup. n.* 6. Biſſus *ſup.* §. 8. Celebrans verò medius inter Diaconum & Subdiaconum, accedit ante infimum gradum Altaris, ibique deponit ſuam Palmam (ſicuti



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& Diaconus, eam Ceremoniario, vel alicui Acolytho tradendo) & facta debita reverentia Altari, & Choro, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam violaceam, ſicùt etiam Sacri Miniſtri ſuos Manipulos capiunt. Tum Celebrans, cum præfatis Miniſtris, accedit iterum ad medium Altaris, ante infimum ipſius gradum. Ceremoniale Epiſcoporum *libr.* 2. *cap.* 17 § 6.

## Pro Ritu Miſſæ Sollemnis hujus diei.

XXX. Rubr. n. 18. pag. 187. *Deinde celebratur Miſſa, &c.*) Miſſa Sollemnis (quantùm fieri poteſt) vel Privata, ſecundùm exigentiam, celebratur ab eodem, qui Ramos benedixit, ut aliàs diximus de Feria 4. Cinerum, vel ab alio, ſi aliter fieri non poſſet, ſervatis iis, quæ diximus in ſupradicta Feria, & in Miſſis Sollemnibus tempore Paſſionis.

Cùm Subdiaconus in Epiſtola pronunciabit illa verba: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, &c.* omnes genuflectere debent usque ad terram, & permanebunt genuflexi uſque ad verba illa, *& infernorum* incluſivè. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 21. §. 13. Celebrans verò genuflectit cum Diacono à ſiniſtris ejus ſuper ſuppedaneum Altaris ante medium ipſius. Bauldry *ſuprà art.* 3. *num.* 7. Biſſus *lit. M. num.* 250. Vinitor *hic num.* 29 Limita tamen, niſi Celebrans eſſet impeditus ad alia dicenda, putà *Graduale*, vel *Tractum*; Biſſus, & Bauldry *ſuprà*, quia tunc ibidem cum Diacono deberet genuflectere, & non in medio. Subdiaconus, cantata Epiſtola, manum Celebrantis oſculatur. Librum verò Acolytho tradit, reſumptaque Planeta plicata, Celebranti unà cum Diacono aſſiſtit. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 5. *n.* 3.

Finita Epiſtola, debent parari per Acolythos tria legilia nuda, & ea collocari in recta linea, tendente ab Ortu ad Occaſum in plano, ubi ſolet Evangelium decantari; ſuper eadem legilia poſteà poni debent Libri, ſeu Codices pro Paſſione decantanda, ſi ſit conſuetudo locorum, aliàs debent parari. Circa initium Tractus (qui ſemper ex integro cantatur) tres, qui ſunt cantaturi Paſſionem, pergant ad Sacriſtiam, & parant ſe habitu Diaconali, ſcilicet unusquiſque induit ſe Amictu, Alba, Manipulo, & Stola communi Diaconali, ab humero ſiniſtro pendente, coloris violacei, & circa finem Tractus procedunt à Sacriſtia ad Presbyterium ſequenti ordine. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 21. §. 14.

Antecedit aliquis Ceremoniarius, & eis deficientibus, Thuriferarius ſine Thuribulo, tum ille, qui agit Evangeliſtam, ſolus; deinde ſequitur, qui Turbarum Perſonam agit, ultimus qui refert Perſonam Chriſti, omnesque incedunt nudo capite, manibus junctis ante pectus, ſi Codices continentes Paſſionem poſiti ſint ſuper legilia, ſin minùs, deferunt ipſi unuſquiſque ſuum Miſſale, ſeu Codicem Paſſionis, ante pectus ambabus manibus, ſequentibus tribus Clericis, diverſis à Clericis Officii, indutis Superpelliceo, ſine candelabris, & ſine incenſo, ſed manibus junctis; Ceremoniale Epiſc. *ſuprà* §. 15. Chriſtianus *ſect.* 1. *cap.* 9. *num.* 2. & Gavantus *hac part. Tit. IX. Rubr.* 5. *lit.* g.

Cùm pervenerint ad Altare, præfati tres Diaconi genuflectunt ſuper infimum gradum, ita ut, qui Perſonam Chriſti agit, ſit in medio, qui Evangeliſtæ, à dexteris, & qui Turbarum, à ſiniſtris; at tres Clerici genuflectunt in plano cum Ceremoniario, pauſantes aliquantulùm, ſed nihil dicentes; tum ſurgunt, non petita, nec habita Benedictione, ſed facta iterum debita Altari reverentia, & Celebranti inclinatione, accedunt ad

legi-

legilia, & ibi ſtant in recta linea, facie verſa ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur, ſed hoc ordine; qui Evangeliſtam agit, medium locum tenebit; qui Chriſtum, dexteram; & qui Turbas, ſiniſtram Evangeliſtæ occupare debet. Gav. *ſup. cit. Tit. IX. in Rub. 5.* Bauld. *ſup. n. 9.* Nicolaus de Bralion *ſup. n. 9.* & Hippolytus à Portu *part. 2. cap. 2. art. 1. Rub. 4. in adnot. num. 1.* & hæc pariter erat ſententia Ven. Card. Thomaſii, quamvis Caſtaldus noſter *ſuprà num. 4.* Biſſus, Gerlacus Viſitor, Chriſtianus Lohner, & alii doceant, quòd qui gerit Perſonam Chriſti, medium locum tenere debeat, qui Evangeliſtæ, à dexteris, & alter à ſiniſtris; & opponentibus, alium eſſe uſum in Cappella Pontificia, reſpondet Biſſus, ideò in Cappella Summi Pontificis medium locum teneri ab Evangeliſta, quia omnes tres unico tantùm utuntur libro, & cùm Evangeliſta plura, quam alii, cantet, commodiùs medium occupat locum, & faciliùs commodare poteſt librum modò huic, modò alteri Cantori. Sed hæc Biſſi reſponſio minimè ſuffragatur ſuæ ſententiæ, nam in Sacroſancta Baſilica Lateranenſi, quamvis tres dicti Cantores utantur ſinguli ſuo Miſſali, ſeu Codice, nihilominùs qui gerit Perſonam Evangeliſtæ, medium locum tenet, qui verò Perſonam Chriſti agit, ſtat à dexteris ipſius Evangeliſtæ, & prope Altare; imò decipitur Biſſus circa Ritum Cappellæ Papalis, nam etiam in hac, ex tribus Cantoribus unuſquiſque canit Paſſionem in ſuo Miſſali; quapropter attentis auctoritatibus, & praxi talium Eccleſiarum, prima ſententia eſt potius amplectenda, quàm ſecunda.

Tres autem Acolythi ſtant facie ad Cantores converſa, terga Aquiloni vertentes, quorum qui eſt medius (ſi uno tantùm utantur libro) teneat ipſum librum, quem inter ſe mutant æquali ſpatio, dum Paſſio cantatur, prout Ceremoniarius admonet, & cùm tempus eſt, id nutu aliquo ſignificat. Caſtaldus *ſuprà*, & Bauldry *ſuprà*.

Non tamen earum Eccleſiarum conſuetudo improbatur, in quibus ſinguli Diaconi cantantes in tribus legilibus, ut ſuprà, Paſſionem, ſuum habebunt Librum, ſeu Codicem, ùt ſuprà dictum eſt, quibus & duo Acolythi tantùm ſuperpelliceis induti aſſiſtunt poſt lectorilia, vel à lateribus eorundem, prout loci ratio poſtulaverit, vel ſi tres adhibeantur Clerici, juxta praxim aliquarum Eccleſiarum, apponent unuſquiſque manus ad legilia, quaſi librum tenentes, nunquam tamen præfati Clerici, ſive duo, ſive tres, aſſiſtunt retrò poſt Diaconos cantantes Paſſionem; ſolùm verò aſſiſtunt retrò poſt dictos Diaconos, quando ipſi cantant Paſſionem in pulpito, ſeu ambone: Caſtaldus *ſuprà num. 5.* Si Diaconi Paſſionis habent legilia, ùt ſuprà innuimus, ante ſe pro ſuſtinendis libris, Nicolaus de Bralion *ſuprà* exiſtimat, non eſſe neceſſariam dictorum trium Acolythorum aſſiſtentiam (quam tamen vult ſupralaudatus Caſtaldus, ùt ipſe colligit ex noſtra conſuetudine Clericorum Regularium, vulgò Theatinorum, ſaltem duorum Acolythorum, ùt ad Evangelium) cùm in aliquibus Eccleſiis prima pars Paſſionis, quam cantant Diaconi ipſius, non cantetur in ſitu Evangelii, ſed tantùm ultima pars, quæ cantatur à Diacono Miſſæ, ad quam partem procul dubio duo Acolythi aſſiſtere debent, ùt infrà dicemus, quæ quidem Nicolai de Bralion opinio nonnullis arridet. Si deſint Cantores, Gavantus *ſupr. cit. Tit. IX. Rubr. 5. lit.* g. ait, quòd ſolus Diaconus cantare debet totam Paſſionem, &c. Non approbando diſtinctionem, ſeu diſtributionem Paſſionis inter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ita ut Celebrans vicem Chriſti gerat, & Subdiaconus Turbarum. Sed pace præclariſſimi noſtri Auctoris ego potiùs improbarem, quòd Diaconus ſolus cantet totam Paſſionem, non enim hic Sacer Miniſter poteſt variis modulationibus nunc Chriſti, nunc Evangeliſtæ, modò Turbarum perſonam induere,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cùm nimis improbus eſſet hic labor, & non ad pietatem, ſed potiùs ad riſum moveret Populum; in defectu igitur Cantorum approbarem potiùs, Celebrantem perſonam Chriſti induere, Diaconum Evangeliſtæ, & Subdiaconum Turbarum, quæ quidem modò eſt praxis multarum Eccleſiarum ſufficientiam Cantorum non habentium.

XXXI. Gavant. pag. 188. col. 1. num. 19. *In Miſſa legitur Paſſio, &c.*) Diſpoſitis omnibus, ùt ſuprà, & finito cantu in Choro (ex praxi tamen Urbis, non eſt neceſſe, ut omnes ℣℣. Tractus cantentur in Choro, ſed pauci ſufficiunt, ſi ita congruum videatur, præſertim ob anguſtiam temporis, vel paucitatem Cantorum, quamvis tamen convenientius ſit, ut omnes cantentur. Bauldry *ſuprà num.* 12.) ille, qui Evangeliſtam agit, incipit abſolutè, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, nec librum ſignans, nec ſe ipſum: *Paſſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti, &c.* & tunc omnes ſurgunt detecto capite; Palmasque in manibus tenent uſque ad finem Paſſionis, exceptis Cantoribus, & Acolythis; Celebrans quoque Palmam tenet ſiniſtra manu, ex Ceremoniali Romano *lib.* 2. *cap.* 41. à Marcello Corcyrenſi edito, & ſubmiſſa voce Paſſionem legit, ſtans in cornu Epiſtolæ, juxta Decretum emanatum die 4. Auguſti 1663. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 403. paululùm converſus ad Cantores Paſſionis; Miniſtris Sacris ſtantibus apud eum, ùt in Introitu Miſſæ, Palmas etiam ipſis ſiniſtra manu tenentibus; Diaconus verò folia Miſſalis vertit quando opus eſt. Bauldry *ſuprà num.* 13. Nicolaus de Bralion *ſupracit. num.* 12. obſervat hic, quòd fortè Celebrans, & Miniſtri Sacri tenere debent Palmas manu ſiniſtra, ùt volunt ſupracitati DD. ut ſint hi tres uniformes, cùm Diaconus vertere debeat folia Miſſalis, quando opus eſt, manu dextera, ideoque ſaltem poſt lectam Paſſionem à Celebrante exiſtimat omnes tenere debere Palmas manu dextera, ſiniſtra pectori admota.

In hac privata lectione Paſſionis dubium eſt, an ad ea verba: *Emiſit ſpiritum*, Celebrans genuflectere debeat? negativam ſententiam docent Gavant *hac part. tit. 9. rub.* 5. *lit.* h. Bauldry *ſuprà num.* 14. Vinitor *part. 6. tit. 6. num.* 32. Claudius Arnaudus *part. 4. tit. 9. num.* 4. Biſſus *lit. M. num.* 150. §. 3. & horum ratio eſt, quia Celebrans Paſſionem non legit in cornu Evangelii; affirmativam verò ſententiam tuetur Caſtaldus *libr.* 3. *ſect.* 5. *n.* 6. & Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 13. regulare enim eſt, ait Bralion, ut genuflexiones, quæ fiunt aliqua in Miſſa, fiant à Celebrante, & à Miniſtris Sacris (niſi ii in aliis ſint occupati) dum ipſe Celebrans privatim legit; & iterum, quando fiunt ab omnibus in Choro. Nec refert quod ajunt DD. contrariæ opinionis, nempe quòd ideo non debeat genuflectere Celebrans, quia Paſſionem non legit in cornu Evangelii; quid enim hoc intereſt? Nonne & in dicto cornu Epiſtolæ genuflectere poteſt? Validior eſſet objectio, ait ſupracit. Bralion, ſi dicerent, ex obſervatione hujus Ritus periculum oriri alicujus perturbationis in Choro, dum cantatur Paſſio, cùm facilè aliqui Ritus ignari, exemplo Celebrantis volent etiam ipſi genuflectere, ſed prudentis, ac vigilantis Ceremoniarii erit, huic inconvenienti obviam ire. Ita ſupràcit. Bralion.

Lecta demum Paſſione (ſcilicet uſque ad eam partem, quæ cantanda eſt à Diacono in tono Evangelii) ipſe Celebrans cum Miniſtris ſe vertit ad Cantores cum Palma in manu, & ſtat, ùt ſolet ad Miſſam, dum cantatur Evangelium. Diaconus ſtat ad ejus ſiniſtram, & Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi, omnes cum Palmis in manibus; ita Ceremoniale Romanum *ſuprà*, ſed addo cum Bralion, quòd omnes tunc debent tenere Palmas in dextera, ſiniſtra pectori admota, ùt ſuprà innuimus, &c. Dum profertur Nomen Jesus, inclinant ſe versùs

Crucem

Crucem Altaris, tam Celebrans, quàm Miniſtri, & reliqui de Clero. Obſervandum eſt hìc, quod aliqui Rubriciſtæ videntur maximas pati anguſtias, diſcutientes nimirum, an Celebrans, lecta in cornu Epiſtolæ prima ac majori parte Paſſionis, ſtatim debeat partem ſecundam legere, quæ Evangelii locum tenet, & pro qua priùs dicendum eſt: *Munda cor meum, &c.* & *Jube Domine, &c.* an verò cum Miniſtris tranſire, dum cantatur Paſſio (quod certè adſtantibus admirationis & diſtractionis occaſionem præbere poſſet) ad cornu Evangelii, ad illam legendam: an denique illud facere debeat, ſtatim poſt factam pauſam à Cantoribus? Miratur Bralion, hanc DD. anxietatem; & pro dubii ſolutione nullum prædictorum faciendum cenſet. Quid enim cauſæ eſt, ait ipſe, cùm Ceremoniale Epiſcoporum nihil in contrarium apertè dicat, quominùs poſt cantatam à Cantoribus totam Paſſionem, uſque ad partem illam ultimam, quæ locum tenet Evangelii, in cornu Evangelii illam legat Celebrans, miniſtrante Subdiacono, dum Diaconus Miſſæ pro illa cantanda deponit Planetam plicatam, accipit latiorem Stolam, defert librum, ſeu Miſſale ad Altare, & dicit: *Munda cor meum, &c.* & dum etiam tria legilia, quæ inſerviunt pro Cantoribus Paſſionis, amoventur? Hæc etenim omnia non debent fieri immediatè poſt pauſam, ùt fiunt à multis cum indecenti præcipitatione, ſed ſecundùm Ceremoniale, cantata omnino Paſſione, imò prædicta fieri debent cum tali mora, & gravitate, ut interim juxta Ceremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 21. §. 6.* omnes de Choro ſedere poſſint. Nec ulla ideò fit interruptio Officii, quamvis à Choro nihil cantetur; ſufficit enim, quòd Celebrans, & Miniſtri ad Altare ſuum munus exequantur. Ita præfatus Nicolaus de Bralion *ſuprà num. 15.*

Cùm cantantur verba illa: *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, omnes genuflectere debent utroque genu (Cantores quidem versùs Librum; reliqui verò quilibet in ſuo loco, facie tamen versùs Crucem Altaris converſa: Caſtaldus *ſuprà num. 8.*) & ideò antequàm prædicta verba cantentur, Celebrans, & Miniſtri Sacri accedunt ad medium Altaris, deſcendentes uſque ad ſecundum gradum, & genuflectunt ſuper ſuppedaneum utroque genu; nec priùs ipſo Evangeliſta ſurgant, qui Evangeliſta non genuflectit niſi prolatis à ſe omnibus dictis verbis. Biſſus *lit. P. §. 4. & 5. num. 255.* ſicque genuflexi pauſant aliquantulùm ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter.* Notandum tamen eſt ex Gavanto *hac part. tit. 9.* Bauldry, & Biſſo *ſuprà*, quòd ſignum ſurgendi non eſt dandum ſtrepitu manuum, vel alio modo à Celebrante, ſed inſervire pro ſigno ſurgendi ipſum ſurgere Evangeliſtæ. Omnibus igitur erectis, proſequuntur Cantores ea quæ remanent de Paſſione, & Celebrans cum Miniſtris Sacris redeunt ad locum ſuum, in quo erant priùs, ſicùt etiam reliqui omnes ſurgunt, & Cantores proſequuntur Paſſionem (uſque ad illam partem, quæ cantari debet à Diacono Miſſæ in cornu Evangelii) qua cantata, factis debitis reverentiis Altari, Celebranti, & Choro, redeunt ad Sacriſtiam eo ordine quo venerunt, comite Ceremoniario, qui ſtatim redit ad Altare, & illi Diaconi, qui Paſſionem cantarunt, depoſitis paramentis, redeunt ad Chorum. Bauldry *ſuprà.* Prædicta verò legilia ſtatim amoventur per Sacriſtam, vel alios.

Celebrans verò procedit ad medium Altaris de more, ibique dicit: *Munda cor meum, &c.* & Subdiaconus interim transfert librum ad cornu Evangelii, ubi accedens Celebrans legit, non ſignans nec librum, nec ſe ipſum, reliquam partem Paſſionis, quæ habetur loco Evangelii, aſſiſtente ſibi Subdiacono, qui etiam reſpondet *Laus tibi Chriſte*, ùt in aliis Miſſis.

Interim Diaconus Miſſæ, depoſita Planeta plicata, accipit Stolam latiorem, deponit librum in medio Altaris, ante quod genuflexus dicit *Munda cor meum*, & cùm Celebrans redierit ad medium Altaris, imponitur incenſum in Thuribulo de more, deinde petit ab eo Benedictionem more ſolito, & accepto libro, vadit ad planum Chori, ubi legit Evangelium, comitantibus Acolythis (ſine luminaribus tamen) ùt in aliis Miſſis; quo finito Subdiaconus defert librum oſculandum Celebranti, & deinde Diaconus ipſum incenſat, deinde Miſſa proſequitur, ùt moris eſt.

Ad elevationem Chorus reſumit Ramos Palmarum, ſeu Olivarum, qua finita, iterum Rami deponuntur. Prædicta etiam aliis diebus, in quibus cantatur Paſſio, ſunt obſervanda, præterquàm in Paraſceve, in qua ante id, quod ultimò legitur in Tono ac loco Evangelii, dicitur quidem *Munda cor meum, &c.* ùt aliis diebus, non tamen petitur Benedictio, nec miniſtratur Incenſum, nec denique Celebrans in fine oſculatur librum. In Miſſis privatis non extinguuntur lumina in Altari, dum legitur Paſſio, & tam in iiſdem, quam in Miſſa Sollemni hodie dicitur *Credo* (ſine *Gloria &c.*) ac Præfatio de S. Cruce; & in Miſſis privatis, immò & Miſſa Sollemni (ubi non benedicuntur Rami) ultimum Evangelium: *Cùm appropinquaſſet Jeſus, &c.* ex Benedictione Palmarum; at verò in fine Miſſæ Sollemnis, ubi Rami benedicuntur, dicitur Evangelium S. Johannis.

Huc ſpectat Decretum editum à S. R. C. die 7. Julii 1612. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 130. In quo ſtatuitur; quòd ubi adeſt conſuetudo, etiam Canonici cantare debeant Paſſionem, &c.

Hodie ex Decreto Eugenii IV. incipit tempus Communionis Paſchalis, & durat uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, ubi alia non eſt legitima locorum conſuetudo, qua de re nonnulla erudita, ac admodùm practica videri poſſunt apud P. Georgium Gobat *in Alphabeto Communionis, ſeu Tract.* 4. *à num.* 32.

Infra hanc quoque, & ſequentem hebdomadam, non poſſunt dici Miſſæ Votivæ privatæ, etiam de *Requiem*, etiam præſente Corpore; rurſus hac die non poteſt celebrari Miſſa Votiva Sollemnis de Feſto currente, etiam in Feſto celebri, v. g. *de Annunciatione B. M. V.* ſicùt etiam in tota hac majori hebdomada, idemque etiam eſt de Dominica Reſurrectionis, & Fer. 2. & 3. eam ſubſequente, in quibus pariter nec ullum aliud Feſtum, aut Miſſa de eo Votiva Sollemnis in gratiam populi, magno numero concurrentis, celebrari poteſt, uti conſtat ex nova Rubrica generali Miſſalis *tit.* 6. *num.* 1. poſſet tamen cantari hujuſmodi Miſſa altera de tali Feſto in aliis Feriis, intra Octavam Paſchæ. *Rubric. cit.* & Arnaudus *tract.* 1. *part.* 4. *tit.* 15. *num.* 4.

## De eadem Dominica, & de iiſdem Ritibus, ſervandis in Minoribus Eccleſiis. §. I.

Ut Ritus, & Sacræ Ceremoniæ in Minoribus Eccleſiis, in quibus pauci admodùm Clerici, & fortè unicus tantùm Sacerdos reperitur, poſſint exactè, ac uniformiter exerceri, ex Decreto particularis Congregationis à SS. D. N. Benedicto Papa XIII. indictæ, ſub die 4. Decembris Anni 1724. impreſſum fuit opuſculum inſcriptum: *Memoriale Rituum pro aliquibus præſtantioribus ſacris functionibus perſolvendis in Minoribus Eccleſiis Parochialibus. Romæ* 1725. *Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ:* ex quo quidem libello aliqua nos quoque ſeligemus, quæ inſervire poterunt pro praxi Ceremoniarum, & Sac. Rituum in præfatis Eccleſiis Minoribus.

De

## De præparandis pro Sacris Actionibus hujus Dominicæ, §. II.

Paretur Calix pro Miſſa, cum ornamentis coloris violacei, item Manipulus, & Planeta coloris violacei, & ponantur hæc ſuper Credentia Altaris Majoris; item Thuribulum, & Navicula cum Thure, Pelvis, & Urceus, nec non Manutergium, prolotione, & exterſione manuum; denique pelvicula cum ampullis vini, & aquæ, & Mappula ad tergendas manus in Miſſa.

In Altari verò ponatur pallium violaceum, & Miſſale in cornu Epiſtolæ ſuper pulvino violaceo, vel legili, Rami Palmarum loco ſacrum inter candelabra.

Prope cornu Epiſtolæ in plano paretur menſa cooperta mantili albo, & ſuper eam Palmæ benedicendæ. Crux proceſſionalis tecta velo violaceo, & vitta violacea pro liganda Palma in ſummitate Crucis.

In Sacriſtia parari debent tria ſuperpelliceа pro tribus Clericis, deinde Amictus, Alba, Cingulum, Stola, & Pluviale violacei coloris pro Celebrante.

Denique foculus cum igne, & forcipe, & Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio.

## Pro Benedictione Palmarum. §. III.

Omnibus ſuo loco diſpoſitis, feſtivo Campanarum ſonitu hora congrua convocabitur populus, & Celebrans in Sacriſtia, adjuvantibus ſecundo & tertio Clerico, dum primus accendit Candelas ſuper Altare, induit ſe Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali, & in defectu Pluvialis induitur ſola Alba cum Stola, ſine Manipulo, ut innuimus ſuprà contra Bauldry ſententiam, etiamſi dicturus ſit Evangelium. Idem Celebrans, præcedente primo Clerico, deferente Vas cum aqua benedicta, medius inter ſecundum & tertium Clericum, tecto capite procedit ad Altare, & genuflectit in ejus infimo gradu, pro aſperſione aquæ benedictæ; fit aſperſio more ſolito, poſt quam primus Clericus reponit Miſſale ſuper legili, ſeu cuſſino in cornu Epiſtolæ, & interim Celebrans, medius inter alios duos Clericos, aſcendit ad Altare, ac illud oſculatur in medio, deinde in cornu Epiſtolæ diſcoopertis per aliquem Clericum Ramis, dicit *Hoſanna*, & Orationem manibus junctis, ut in Miſſali; & alius Clericus, ſi fieri poteſt, cantat lectionem in cornu Epiſtolæ, ſin minus, legit eandem Epiſtolam ipſe Celebrans; qua dicta, qui ſunt in Choro, etiamſi laici ſint, vel idem Sacerdos cum prædictis Clericis, dicit Reſponſorium: *Collegerunt, &c.* eoque finito, Celebrans ſine Incenſo in eodem cornu Epiſtolæ cantat Evangelium, præmiſſo tamen: *Munda cor meum, & Jube Domine, &c.* Finito Evangelio, oſculatur textum in fine, & deinde dicit *Dominus vobiſcum*, Orationem & Præfationem, tenens ſemper manus junctas, tam ad hæc, quàm ad ſubſequentes Orationes. Clerici dicunt *Sanctus, Sanctus, &c.* deinde Celebrans, præmiſſo *Dominus vobiſcum*, ſubjungit quinque alias Orationes.

Interim primus Clericus ponit ignem in Thuribulo, & accipit Naviculam. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, facta genuflexione Altari, accipit è Credentia Vas aquæ benedictæ, & unà cum Thuriferario accedit ad Celebrantem, qui miniſtrante ſecundo Clerico imponit Incenſum in Thuribulo, cum Benedictione, & oſculis. Deinde ter aſpergit Ramos, dicens ſubmiſſa voce: *Aſperges me, &c.* ſine Pſalmo; demum eoſdem thurificat, & denique dicit ſextam Orationem; primus verò Clericus deponit Thuribulum, & tertius vadit ad ſiniſtram Celebrantis.

## Pro Palmarum Diſtributione. §. IV.

Prædictis omnibus ita peractis, primus Clericus accipit è Credentia Palmas pro Celebrante, & Clericis, eaſque collocat ſuper Altare. Celebrans verò, facta reverentia Cruci, genuflectit in medio Altaris, & ita genuflexus accipit ex Altari Palmam pro ſe ipſo, quam oſculatur, & poſteà tradit primo Clerico ſervandam. Si tamen adſit aliquis Sacerdos, hic dabit Palmam Celebranti, ſtanti facie ad populum converſa, cum oſculo Palmæ tantùm, & Celebrans ſimiliter Palmam tantùm oſculabitur; poſt hæc Celebrans accedit ad cornu Epiſtolæ, & cum ſuis Clericis recitat Antiphonam: *Pueri Hebræorum, &c.* Deinde facta inclinatione Cruci, vertit ſe ad populum, & diſtribuit Palmas, primò Presbyteris ſi adſint, deinde Clericis, Magiſtratibus, & Nobilioribus, &c. qui omnes oſculantur priùs Ramum, deinde manum Celebrantis. Poſt hæc Celebrans deſcendit ab Altari, & accedit ad cancellos versùs cornu Epiſtolæ, ibique offerente Palmas à ſiniſtris primo Clerico, incipit eaſdem diſtribuere, primò Viris, deinde Fœminis. Completa diſtributione, Celebrans, & dicti Clerici peragunt omnia ea, quæ diximus in diſtributione ſollemni; nimirum Celebrans lavat manus, ut ſuprà, dicit Orationem in cornu Epiſtolæ, &c. Qua completa, primus Clericus porrigit Celebranti, & aliis duobus Clericis Palmas, &c.

## Pro Proceſſione facienda. §. V.

Celebrans tenens Palmam in manibus, vertit ſe ad populum, & dicit in medio Altaris: *Procedamus in pace:* & Clerici reſpondent: *In nomine Chriſti, Amen;* tum Celebrans inchoat: *Cùm appropinquaſſet, &c.* & incipit proceſſio; in qua præcedit Clericus cum Cruce, & ſequitur Celebrans inter ſuos Clericos, recitans alternatim cum eis alta voce Antiphonas, quæ habentur in Miſſali, ſeu Rituali. Et ita progreditur proceſſio per Eccleſiam, & exit extra portam. In fine verò duo Clerici, & alii, ſi qui ſunt, ingrediuntur Eccleſiam, ubi cantant alta voce: *Gloria, Laus, & Honor*, & alios, ut ſuprà, quibus Celebrans, & alii reſpondent extra Eccleſiam reſpectivè, ut ſuprà in proceſſione ſollemni. Quibus omnibus finitis, Clericus Crucem deferens ima parte haſtilis ipſius, percutit portam Eccleſiæ; qua aperta, incipit Reſponſorium: *Ingrediente Domino, &c.* & terminatur proceſſio, & Reſponſorium ante Altare Majus; quò cùm pervenerit Sacerdos, in plano à latere Epiſtolæ deponit pluviale, & accipit Manipulum, & Planetam, & deinde dicit Miſſam, deferente primo Clerico Calicem ad Altare, & expandente Corporale in medio ejus. Dum celebratur Miſſa, Clerici poterunt tenere Palmam in manibus, quando legitur Paſſio, & in fine Miſſæ dicitur Evangelium S. Johannis: *In principio, &c.*

Si ſint aliqui laici Cantores, vel Sodales alicujus piæ Confraternitatis: poterunt decantare ea, quæ ſunt in Miſſali, vel Rituali, pro proceſſione & Miſſa, ſecundùm laudabilem conſuetudinem à Majoribus approbatam, nempe ab Ordinariis locorum.

Feria 2. 3. & 4. infra hanc majorem hebdomadam, Miſſa dicitur eo proportionaliter modo, quo infra hebdomadam Paſſionis. Feria 3. dicitur in Miſſa (ad normam præcedentis Dominicæ) *Paſſio ſecundum Marcum*, & in fine Evangelium S. Johannis. Feria 4. in Miſſa ad verba illa Introitus: *In nomine Jeſu, &c.* non genuflectitur à Celebrante. In eadem Miſſa habentur duæ Epiſtolæ, ac poſt Tractum poſterioris legitur: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm Lucam.* Reliqua, ut heri.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti Tit. VIII. De Feria V. in Cœna Domini.

### De præparandis pro Miſſa Sollemni, Proceſſione, Communione, & denudatione Altarium.

I. Gavant. pag. 189. col. 1. num. 1. *Crux, quæ in Altari eſt, Velo tegatur albo, &c.*) Altare majus hac die parari debet ſollemniter, pretioſioribus paramentis albis, ſed ſupra pallium pretioſum albi coloris ponatur aliud leve antipendium violacei coloris, facilè amovibile, ſtatim poſtquàm recitatæ fuerint in Choro horæ minores, dictumque pallium album tali modo pariter ponatur, ut poſt veſperas faciliter poſſit Altare denudari. Cætera verò Altaria minora remanere poſſunt cum ſuis paramentis violaceis, à quibus tamen aciculæ removeri poterunt, ut faciliùs ſuo tempore denudentur prædicta Altaria. Biſſus *lit. A. num.* 294. Noſter tamen Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 2. *num.* 1. & Rituale PP. Capuccinorum *libr.* 3. *cap.* 15. præſcribunt, Altaria etiam minora hac die ornari debere paramentis albi coloris. Crux quoque Altaris majoris, juxta mentem Gavanti *ſuprà*, nec non Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 1. *num.* 1. & Biſſi *loc. cit.* immò & Cruces omnes reliquorum Altarium, ex Caſtaldo citato, Velis albis cooperiendæ ſunt. Super tale Velum album ponendum eſſe Velum violaceum facilè amovendum, finita tamen hora Nona, & non priùs, præſcribit Memoriale Rituum *ad uſum Eccleſiæ Beneventanæ majoris hebdomadæ Tit. V. in Cœna Domini, de præparandis ad Altare majus num.* 2. Piſart tamen in opuſculo cui titulus *Ceremoniæ Eccleſiæ certis quibuſdam diebus obſervandæ, &c.* in expoſitione literali Rubricæ *Feriæ V. in Cœna Domini num.* 3. *pag.* 58. aſſerit, S. R. C. die 16. Novembris 1649. declaraſſe, Velum in Cruce Altaris violaceum ſemper manere debere pro ratione temporis Paſſionis, nec removendum niſi Feria 6. Paraſceves, juxta ſpecialem ibidem Ceremoniam.

Decretum allegatum à laudato Piſart, ita extenſum reperitur in Regeſto S. C. -- quæſitum fuit à S. R. C. declarari, quo velo cooperienda ſit Crux in Altari, ad functionem lotionis pedum in Feria V. majoris hebdomadæ, & Crux proceſſionis, cùm Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipſe lotionis, ſive mandati, præcipiatur in Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate Miſſæ, celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. C. autem ſub dicta die 18. Novembris 1649. reſpondit: *Colorem non eſſe mutandum*, & hoc Decretum datur in noſtro Indice *num.* 302. -- Quæ quidem reſponſio à Rubriciſtis diverſimodè intellecta fuit, ita ut aliqui intellexerint, velum Crucis in prædictis tribus functionibus ſemper debere eſſe album; alii verò è contrà (inter quos eſt laudatus Piſart) intellexerint ſemper dictum velum debere eſſe violaceum, & nunquam mutari debere de violaceo in album toto Paſſionis tempore, nec removendum, niſi Feria 6. Paraſceves: cui interpretationi, & ſententiæ ego firmiter adhæreo: contraria enim interpretatio & ſententia profectò non eſt amplectenda; falſum quippe omnino eſt, omnes prædictas tres Cruces debere tegi Velo albo, nam Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 10. ubi ſermonem habet de Cruce proceſſionali, apertè adſtruit, debere eſſe velatam Velo violaceo. Et ſi Crux proceſſionis, quæ fit mane poſt Miſſam, debet eſſe hoc Velo tecta, licèt omnia paramenta ſint alba, etiam Crux proceſſionis, quæ in aliquibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quibus Eccleſiis fit ad mandatum lotionis pedum, profectò Velo ejuſdem coloris debet eſſe tecta. Sententia igitur prima, quæ interpretando prædictum Decretum, ſuſtinet, omnes tres Cruces debere eſſe tectas Velo albo, non ſubſiſtit, cùm certiſſimum ſit juxta Ceremoniale Epiſc. contra quod nullum editur Decretum, quòd Crux proceſſionis debeat cooperiri Velo violaceo. Hinc fit, ut potiùs ſit adhærendum ſecundæ ſententiæ, interpretantis tale Decretum, ut color nunquam mutari debeat, & ita Velum Crucis Altaris de mane poſt horas non debet mutari de violaceo in album, & conſequenter Crux, quæ adhibetur ad mandatum, debet pariter tegi Velo violaceo. Huic noſtræ ſententiæ majus robur accedit ex eo, quòd, ùt optimè adnotat Guyet. *lib.* 4. *cap.* 18. *quæſt.* 25. *in fine*, Vela omnia, quibus cooperiuntur Cruces, & Imagines tempore Paſſionis, coloris debent eſſe violacei, nec mutari opus eſt juxta colorem Feſtorum occurrentium; & reverâ occurrente Feſto Annunciationis tempore Paſſionis, etiam in Eccleſia, cujus Annunciatio B. M. V. eſt titulus, Crux, quæ eſt in Altari, ſemper remanet contecta Velo violaceo, non verò albo, correſpondente colori paramentorum illius diei; unde idem eſt dicendum de Feria V. in Cœna Domini, nimirum, quamvis Altare ad Miſſam debeat parari antipendio albi coloris, & cætera, tum Sacerdotis, tum Miniſtrorum paramenta, debeant eſſe coloris albi, non idcirco Crux debet Velo albo cooperiri; aliàs etiam Crux proceſſionis deberet eſſe pariter Velo albo contecta, ut præſcribit Caſtaldus, ſed cùm hoc ſit contra diſpoſitionem Ceremonialis Epiſcoporum, nullo modo ſervari debet; ſemper igitur firmum remanet, quòd Velum Crucis Altaris nunquam eſt mutandum de violaceo in album, ſed ſemper remanere debet coloris violacei, ob rationem etiam, quam adduximus in noſtris Obſervationibus, & Additionibus ad Dominicam de Paſſione *num.* 1. nimirum, quia talis color ſubobſcurus ſignificat Chriſtum, qui ſe abſcondit, & exivit de templo; & eſt talis, qualem requirit Paſſionis tempus; ſed ſi hunc colorem requirit Paſſionis tempus pro Cruce proceſſionis, cur eundem non requirit pro Cruce Altaris? Diſparitas ſanè nunquam aſſignabitur, quamvis Biſſus *lit. C. num.* 592. dicat, quòd ea, quæ reſpiciunt Miſſam, vel apparatum Altaris, debeant eſſe coloris albi, Crux autem proceſſionalis, cùm neque ſpectet ad Miſſam, neque ad Altaris ornatum, ideò debet tegi velo violaceo. Verùm loquendo pariter de Cruce, quæ eſt ſuper Altare, ùt ſuprà oſtendimus validis rationibus, etiamſi ſpectet ad Altaris ornatum, debet tamen eſſe tecta Velo violaceo, quia hoc Velum non debet correſpondere colori paramentorum Altaris, & Sacerdotalium; ſicùt non correſpondet Velum Crucis proceſſionalis colori ejuſdem proceſſionis, quæ fit hac die. Accedit huic noſtræ ſententiæ etiam Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 3. ubi ait, Ritualiſtas, qui ſcripſerunt, Velum, quo Crux, quæ hac die eſt in Altari, cooperitur, eſſe debere album, nullam habere rationem, ob quam id fieri debeat, ſi enim id fieri deberet, ut Velum colore cum paramentis conveniret, mutatio etiam coloris ejuſdem Veli facienda eſſet omnibus Feſtis, quæ tempore Paſſionis occurrunt, de quo tamen nihil in Ceremoniali dicitur; ſi verò ob myſterium S^S. Sacramenti hac die inſtitutum; ergo Crux proceſſionalis etiam Velo albo obtegenda erit, quam tamen Gavantus vult Velo violaceo cooperiri. Hæc laudatus Bralion.

Unica poſſet huic noſtræ ſententiæ obeſſe difficultas, nimirum Praxis Cappellæ Pontificiæ; in qua Crux Altaris ad Miſſam Sollemnem hujus diei verè tegitur Velo albo; ſed hoc nihil officit, quia in tali Sacello alii pariter toto anno exercentur Ritus peculiares, qui proponi non poſſunt

poſſunt aliis Eccleſiis, ut eos imitentur, à quibus referendis, brevitati, & obſequio ſtudens, abſtineo.

II. Credentia pariter parari debet hac die cum omnibus requiſitis pro celebratione Miſſæ Sollemnis; prætereà in gratiam hujus Feriæ 5. poni debent ſuper Patenam Hoſtiæ duæ magnæ, ambæ à Celebrante conſecrandæ, quarum una pro ſequenti Feria VI. ſervari debet, proùt innuitur in Rubrica *num. 6.* p. 189. pro qua ſecunda Hoſtia præparari etiam debet ſuper Credentiam alius Calix amplus, & aliis pretioſior, cum Palla, & Patena, & ſuo Velo albo ex pulchrioribus. Item vitta ſerica albi coloris, pro ligando ſuo tempore, ſeu firmando dicto velo Calicis, in quo reponi debet Hoſtia ſervanda; item Velum album oblongum pulcherrimum, præter illud Subdiaconi, ſi fieri poteſt, pro tegendis humeris Celebrantis in proceſſione, cum aliquot aciculis, ſeu vittis ſericis, quibus illud firmetur, ne decidat in proceſſione; prætereà ponatur ſuper Credentiam alius Calix, ſeu Pyxis, ùt magis convenit, cum multis particulis conſecrandis pro Communione generali.

Item parentur Mappulæ ad extergendum os Communicantium, & alius Calix, pro purificatione Sacerdotum communicandorum, & Vas unum, ſeu plura, pro purificatione aliorum poſt ſumptam Communionem. Præparetur etiam linteum magnum, ſeu plura, apponenda ante communicandos. Biſſus *lit. C. n.* 554. Bauldry *part. 4. cap. 9. art. 1. num. 5. & 6.*

In Sacriſtia paretur aliud Thuribulum cum Navicula, præter illud, quod inſervire debet pro Miſſa, quia in proceſſione duo Thuribula adhibentur, quia duo Acolythi incenſare continuò debent Sacramentum in proceſſione, ùt præſcribit Rubrica ſequens *num. 9.*

III. Item parentur in Sacriſtia paramenta albi coloris, pro Celebrante, & Miniſtris, ad Miſſam Sollemnem, nimirum Caſula pro Sacerdote, Dalmatica & Tunicella, pro Sacris Miniſtris reſpectivè. Rurſus paretur alia Tunicella, ſed ſine Manipulo, albi coloris, nec non Cingulum, Amictus, Alba, pro alio Subdiacono, qui Crucem in proceſſione deferre debet. In Eccleſiis Cathedralibus, quando celebrat Epiſcopus propriæ Diœceſis, parari debent etiam, ſi commodè fieri poteſt, ſex, vel octo Pluvialia albi coloris, pro illis Beneficiatis, vel Manſionariis, qui deputati ſunt ad deferendas haſtas Baldacchini in proceſſione, ex Ceremonial. Epiſc. *libr. 2. cap. 23.* §. 10.

In Presbyterio ad cornu Epiſtolæ extra cancellos, vel intra, ſi fieri poteſt, præparetur Baldacchinum album perpulchrum, deferendum in proceſſione ſuper SS. Sacramentum; item ad cornu Epiſtolæ ponatur Crux proceſſionalis, tecta Velo violaceo, & non albo, ùt diximus ex Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap. 23. n.* 10. & ex Gavanto *hoc tit. poſt Rubr. 9. lit. I.* Et hæc eſt Praxis univerſalis almæ Urbis. Præparentur etiam in Choro plures Stolæ albæ, ſi fieri poteſt; ſin verò, rubeæ, pro Sacerdotibus communicaturis; item præparentur etiam aliquæ Stolæ Diaconales albæ, in caſu, quo inter communicandos adſint aliqui Diaconatus ordine inſigniti; plura funalia, faces, & candelæ, geſtandæ à Clericis, & Presbyteris, accenſæ in proceſſione juxta eorum numerum. Item Thuriferarius parat ignem, ponendum in Thuribulis; debet etiam adeſſe inſtrumentum ligneum, ſeu crotalum, adhibendum loco Campanarum. Denique parentur duæ Stolæ violaceæ, altera pro Celebrante, altera pro Diacono, adhibendæ in denudatione Altarium.

## De Sacris Ritibus, ſervandis in Miſſa hujus diei uſque ad Proceſſionem.

IV. Prædictis omnibus diſpoſitis, hora congruenti dicuntur Horæ Minores demiſſa voce ſine cantu, & dum cantatur Nona, debent Celebrans, & Miniſtri, juxta morem, in Sacriſtia Indui ſuis paramentis, & Ceroferarii accendere ſex candelas Altaris, ſicùt etiam in Sacriſtia ſua candelabra, quæ candelæ omnes ceræ albæ eſſe debent, quantùm fieri poteſt. Bauldry *ſuprà art. 2. n.* 1. & Biſſus *lit. F. n.* 42. §. 2.

Finita Nona, amovendum eſt pallium violaceum, remanente pallio albo pretioſo, Crux tamen, ùt diximus ſuprà, debet ſemper remanere cooperta velo violaceo; deinde exeunt ex Sacriſtia, & pergunt ad Cappellam omnes, ùt moris eſt, ad celebrandam Miſſam Sollemnem, quæ hodie cantanda eſt à Superiore Loci, quantùm fieri poteſt. Bauldry *ſuprà art. 2. num.* 2.

Ad Confeſſionem omittitur Pſalmus *Judica me Deus*; item ℣. *Gloria Patri*, tam ad Introitum, quàm ad finem Pſalmi *Lavabo*, ùt præſcribit Rubrica Miſſalis ante Dominicam Paſſionis.

Dicitur in hac Miſſa Hymnus *Gloria in excelſis*, ùt præſcribit Rubrica hujus diei, poſt Introitum, & tunc pulſantur Campanæ omnes minores, majores, & Organa, ubi ſunt, ſed poſtquàm Celebrans cantaverit vocem illam, *Deo*, ne irruat ſonus in Celebrantem intonantem talem Hymnum; prætereà Chorus incipit proſequi Hymnum eundem, poſtquàm in Eccleſia terminaverit ſonitus, & Campanarum, & Organorum. Hippolytus à Portu *part. 3. cap. 1. art. 2. in adnot. n.* 2. quamvis Horatius Chriſtiani *in Praxi Pontificali Fer. V. in Cœna Domini ſect. 3. cap. 4. num.* 30. & Biſſus *ſuprà* §. 5. necnon Halden. *part. 1. tit.* 20. §. 1. *de Fer. V. in Cœna Domini* aſſerant, quòd ad prædictum Hymnum *Gloria in excelſis* pulſantur omnes Eccleſiæ Campanæ, & Organa, ab initio prædicti Hymni, uſquedum totus à Muſicis, vel à Choro fuerit decantatus; & poſteà Organa ſilent, & Campanæ non pulſantur uſque ad Sabbatum Sanctum, ùt ſuo loco dicetur, & interim in hoc triduo, & ad Divina Officia, & quando opus eſt, loco Campanarum deſerviet inſtrumentum ligneum, Crotalum dictum. Biſſus *ſuprà*, & quamvis Tonellius *libr. 3. cap.* 2. §. 1. *n.* 6. Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 3. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ §. 3. *n.* 6. necnon Bauldry velint, quòd ſupradictum inſtrumentum ligneum, non debeat pulſari ad elevationem SS. Sacramenti (neque etiam hodie ad *Sanctus*) in Miſſa hujus Feriæ V. neque ad elevationem Hoſtiæ Fer. VI. in Paraſceve, nihilominùs Clericat. de Sacrificio Miſſæ *deciſ.* 43. *n.* 6. tenet, pulſandum eſſe prædictum Crotalum tam hodie ad *Sanctus*, & ad elevationem SS. Sacramenti, quàm dum elevatur Sacratiſſima Hoſtia Fer. VI. ſeq. in Paraſceve, quia facilè Hominum mentes vagantur, & ad fragorem lignei Inſtrumenti colliguntur; Inſervit enim pulſatio talis crepitaculi lignei ad excitandam circumſtantium attentionem ad Divina Myſteria ſtatim peragenda. Biſſus *lit. S. num.* 20. §. 49. & ut ad Elevationem Sanctiſſimæ Hoſtiæ majori cum obſequio eam mirentur, & venerentur, ùt ait Clericat. ſuprà; primæ nihilominùs ſententiæ eſt potiùs adhærendum, quia totus populus ſupponitur attentus in adoratione Sanctiſſimi Sacramenti. Praxis ſimilis ſervatur in Miſſis, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi eſt publica Oratio 40. horarum, ùt patet ex Inſtructione Clementina *num.* 10.

Gra-

Graduale hujus diei ita lentè cantatur, ut Celebrans, dum cantetur, commodè Evangelium legere poſſit, benedicere Incenſum, & Diaconum, ne nimis feſtinanter abſoluto Graduali, ſilentium inter Graduale & Evangelium interponatur, ad quod Cantores omnino advertere debent. Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 2. *num.* 3. Biſſus *lit. F. num.* 42. §. 6. Vinitor *part.* 6. *tit.* 8. *num.* 6.

V. Dicto *Sanctus*, vel incepto Canone, quatuor, ſex, aut ad ſummum octo Miniſtri, Cottis induti, afferunt totidem funalia ceræ albæ accenſa, & factis debitis reverentiis, collocant ſe genuflexi hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis Patenam, vel ſi magis congruit, ad latera Altaris. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 69. ibique remanent genuflexi, donec fiat proceſſio, & dum Communionem ſunt accepturi, alios ſibi ſubſtituunt, qui ſuſtineant dicta funalia, & deinde poſt Communionem eadem recipiunt. Bauldry *ſuprà num.* 6. Biſſus *ſuprà* §. 9. Vinitor *ſuprà num.* 8.

Miniſtri Sacri, dicto *Agnus Dei*, quia non datur pax, ſtatim mutant loca; Diaconus enim accedit ad librum, cum debitis genuflexionibus in acceſſu, & receſſu; Subdiaconus verò cum genuflexionibus ſolitis ad dexteram Celebrantis, pro cooperiendo, & diſcooperiendo Calice, quando opus eſt. Sumpto pretioſo Sanguine à Celebrante, diligentiùs Subdiaconus Palla cooperit Calicem (quia purificatio, & digitorum ablutio eſt facienda à Celebrante poſt Communionem generalem) eumque collocat verſus cornu Evangelii ſuper Corporale. Bauldry *ſuprà num.* 7. Biſſus *ſuprà* §. 10. & 11. Vinitor *ſuprà num.* 9. & non extra ipſum, propter ſpecies vini conſecrati adhuc in ejus fundo relictas. Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 10. *num.* 1. Interim Diaconus, facta genuflexione unico genu Sacramento, in acceſſu, & receſſu; Biſſus *lit. B. num.* 123. §. 32. accedit ad dexteram Celebrantis. Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 2. *num.* 8. *& cit.* Biſſus *lit. F. n.* 42. §. 11.

Non eſt neceſſe, quidquid multi ſcripſerint, Subdiaconum, cùm tempus eſt, ex Credentia portare ad Altare Calicem, in quo reſervanda eſt Hoſtia pro die ſequenti, imò id eſt expreſſè contra Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 5. ubi dicitur, quòd Ceremoniarius, vel alius Cappellanus portet ex Abaco ad Altare ſupradictum Calicem magnum vacuum. Ita pariter Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 9. *de Feria V. in Cœna Domini n.* 5. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *cap.* 2. §. 5. *num.* 3.

VI. Rubr. n. 6. pag. 189. *Quem Diaconus Palla, & Patena cooperit, &c.*) Delato autem præfato Calice, depoſitoque ſuper Altare, ab eo, qui ſuprà; Diaconus eum accipit, diſcooperit, & ab eo Pallam, & Patenam aufert, quo facto, Celebrans cum Diacono genuflectit unico genu, ſicùt & Subdiaconus, ac ſtatim ſurgunt, & tunc Celebrans alteram Hoſtiam conſecratam reponit reverenter dextera manu in Calice, ùt ſuprà delato, quem Diaconus ſuſtinet ante Celebrantem, poſteà eum collocat ſuper Altare in medio Corporalis; Memoriale Rituum *ſuprà num.* 4. & 5. Advertat autem hìc Celebrans, quòd ita immittat ſupradictam Hoſtiam in Calice, ut facilè, & commodè ſequenti die illam ex eodem Calice extrahere poſſit, ſine ullo tamen manuum contactu, ùt ſuo loco fuſiùs dicemus. Bauldry *ſuprà num.* 8. Biſſus *ſuprà* §. 11. Tum iterum genuflectit cum Miniſtris Sacris, & ſtatim cum iiſdem ſurgit, & Diaconus accedens omnino in medium, facit genuflexionem, Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. & priùs Palla, deinde ad tutelam Pallæ, Calicem prædictum Patena cooperit; Ceremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 23. §. 5. Patena

tena inquam, ſed inverſa; Bauldry *ſuprà num.* 8. & deſuper velum parvum album ſericum expandit: Rubrica, & Gavant. *hic lit.* b. ex Ceremoniali Epiſcop. *ſuprà.* Et ita Calicem undequaque coopertum in medio prope Secretarum Tabellam collocat, ſeu propiùs ad Crucem Altaris, tali tamen modo, ut relinquatur in medio locus, ponendi commodè Pyxidem cum Particulis conſecratis ante eundem Calicem ſuper Corporale, pro Communione generali facienda, qua poſita ùt ſupra, eam diſcooperit, cum genuflexione antè, & poſt, & dum hæc fiunt à Diacono, Celebrans & Subdiaconus tunc genuflectunt in cornu Evangelii, & intereà à Choro cantatur *Communio.* Bauldry, & Biſſus *ſuprà.*

VII. Rubric. n. 6. pag. 189. & Gavant. pag. 190. col. 1. lit. c *Fit Communio, &c.*) Cùm hac die non ſolùm Populus, ſed etiam Sacerdotes, ſive Dignitates, ſive Canonici, ùt clariùs videbimus infrà, cùm non poſſint celebrare, debeant Communionem accipere de manu Celebrantis, juxta morem univerſalis Eccleſiæ, in memoriam, quòd Chriſtus Dominus hac die manu propria Apoſtolos communicavit ùt docet Gavantus *hoc tit. num.* 7. & juxta Decretum S. R. C. 27. Septembris 1608. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 91. id ò cantato *Agnus Dei*, communicandi, vocati per Ceremoniarium, accedunt ad Altare, primò quidem Sacerdotes, cum Stolis albis ſuper Cottam à collo pendentibus, cum debitis genuflexionibus, & genuflexi ibi maneat, donec tempus erit ſumendi Communionem, ùt colligitur ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. Diaconus verò, aperta Pyxide, ùt ſuprà, & genuflexione facta, deſcendit in planum per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ, ibique profundè inclinatus verſùs Celebrantem, manibus junctis, dicit alta voce *Confiteor, &c.* vel cantando in tono & notis conſuetis, ùt in fine Ceremonialis Epiſc. quod quidem cantari debet ſemper in majoribus Eccleſiis, præſertim in Communionibus Generalibus, ùt reverà eſt hodie; Bauldry *ſuprà.* Hildem *num.* 1. *tit.* 20. §. 1. *de Feria V. in Cœna Domini.*

Aperta Pyxide, & cantata à Choro Communione, Celebrans, poſt factam in medio genuflexionem cum Subdiacono, retrahet ſe aliquantulùm ad cornu Evangelii, verſa facie quaſi ad cornu Epiſtolæ, ibique Subdiacono ſtante poſt ipſum; ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 29. §. 3. interim, & non priùs, Diaconus cantabit Confeſſionem, ùt *ſuprà.*

Finita Confeſſione, Celebrans adhuc ſtans in cornu Evangelii, dat de more communicaturis abſolutionem, dicens voce intelligibili: *Miſereatur veſtri, &c.* faciens ſupra Populum ſignum Crucis, ùt mos eſt. Ceremoniale Epiſc. *ſuprà*, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen.*

Diaconus, facta genuflexione poſt dictam abſolutionem, accedit ad partem Epiſtolæ, ubi genuflexus ſuper ſuppedaneum Altaris, expectat Communionem, & Subdiaconus, qui ſtabat poſt Celebrantem in cornu Evangelii, facta ibidem genuflexione, deſcendit ad ſecundum gradum, & ſtatim genuflectit ſuper ſuppedaneum à ſiniſtris Diaconi, ibique Sacram Communionem expectat. Interim cum debitis reverentiis accedunt duo Acolythi, Cottis induti, cum mantili albo, quod genuflexi ſuſtinent ante communicandos, hinc inde ambabus manibus, per quatuor angulos, quouſque completa fuerit Sacra Communio. Qui autem Communionem ſunt ſumpturi, convenienter ſinguli accedere debent cum debitis reverentiis, & communione ſumpta, per ſiniſtrum latus Celebrantis diſcedant; ibique in cornu Epiſtolæ purificationem accipiant

cipiant de manu Sacriſtæ, vel Acolythi, miniſtrantis Calicem cum vno, & mappula ad tergendum appenſa. Ceremon. Epiſc. *ſuprà* §. 3.

Celebrans verò, data abſolutione Communicaturis, ſe convertit ad medium Altaris verſus Sacramentum, ibique genuflectit unico genu, deinde accipit Pyxidem, & converſus ad communicandos, dicit: *Ecce Agnus Dei, &c.*

Primo loco communicat Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Sacerdotes cum Stolis, ùt ſuprà, & alios ſecundùm ordinem Dignitatis, Magiſtratus, & Nobiles etiam ad Altare, ſi ſit conſuetudo. Deinde alios laicos utriuſque ſexus, ad id paratos, eo modo quo notavimus in Miſſa Sollemni. Bauldry *ſuprà num.* 10. Diaconus, & Subdiaconus, ſumpta Communione, & facta genuflexione, purificant ſeſe, ſi volunt, & ſtatim redeunt ad latera Celebrantis; Diaconus quidem à dexteris, Subdiaconus à ſiniſtris; Bauldry *ſuprà num.* 11. Hippolytus à Portu *ſuprà Rubr.* 6. *in adnot.* num. 10. §. *Dum deſcendit.* Alter Miniſter præbet purificationem cum manutergio laicis, ſumentibus Communionem ad cancellos.

Expleta Communione, & poſita Pyxide in Tabernaculo, Celebrans porrigit Calicem (delatis priùs ampullis ad Altare ab Acolytho, qui eas Subdiacono miniſtrabit) pro accipienda purificatione, & cætera, ùt diximus alibi in Miſſa Sollemni. Celebrans, ſumpta purificatione, Calicem ponit extra Corporale in cornu Epiſtolæ, poſtquàm unico genu Sacramento genuflectit, tum accedit ad idem cornu Epiſtolæ, ubi accipit Calicem, & abluit, & deinde extergit (non extra gradus Altaris, ſed in loco ſolito) digitos, & poſito ſubinde Calice prope Corporale, accedit ad medium Altaris, ubi iterum unico genu genuflectit, abſque capitis inclinatione, ac mox ablutionem ſumit, qua ſumpta, Subdiaconus Calicem extergit, illumque de more accommodat, & ad Credentiam cum debitis genuflexionibus defert: Biſſus *lit. M, n.* 222. §. 10. Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *num.* 13.

Celebrans igitur, ſumpta ablutione, iterum genuflectens redit ad librum, ubi dicit *Communionem*, qua dicta, ad medium Altaris redit, genuflectit, tum oſculatur Altare, deinde vertit ſe ad Populum verſùs cornu Evangelii, renibus ad illud verſis, ne directè terga vertat Sacramento, & dicit *Dominus vobiſcum*, & reverſus ad medium Altaris, iterum genuflectit, unico tamen genu, ſine capitis inclinatione, & vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi cantat Orationem de more, qua cantata, redit iterum ad medium Altaris, genuflectit ùt ſuprà, ſurgit, oſculatur Altare, convertit ſe ad Populum, ùt dictum eſt ſuprà (Miniſtri verò genuflectunt ſemper proùt Celebrans) & dicit *Dominus vobiſcum, &c.* Bauldry, & Biſſus *ſuprà.*

Diaconus verò, facta genuflexione, ùt ſuprà, vertit ſe quidem verſùs populum, ſed aliquantulùm verſùs cornu Evangelii, ſicut Celebrans, ne Sacramento terga vertat (Subdiaconus autem de ſuo loco non ſe movet) ibique ſtans, dicto *Dominus vobiſcum* à Celebrante, cantat *Ite Miſſa eſt*; deinde Celebrans, & Diaconus, iterum ſe vertunt ad Altare, & facta de more genuflexione, cætera omnia peragunt, ùt in Miſſa Sollemni celebrata coram SS. Sacramento, unde videantur ibi dicta.

VIII. Rubric. num. 8. pag. 190. *Legitur Evangelium S. Johannis, &c.*) Celebrans, lecturus Evangelium S. Johannis, non ſignat Altare in principio Evangelii, ſed tantùm librum, aut tabellam dicti Evangelii, ſi ibi ſit; in defectu verò dictæ Tabellæ, vel



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Libri, ſignat ſolùm ſe ipſum. Bauldry *ſuprà n.* 13. Interim autem accenduntur Candelæ, geſtandæ in proceſſione, & ſi Chorus ſit retro Altare, qui in Choro ſunt, ut debito ordine ante Altare conveniant, ſe diſponant; denique Sacerdos ad illa verba: *Et Verbum Caro, &c.* genuflectit aliquantulùm verſùs Sacramentum. Gavantus *part.* 2. *tit.* 14. *n.* 15. & Biſſus *lit. M. num.* 222. §. 11.

Hodie præter Miſſam Sollemnem, conceſſam in his Eccleſiis tantùm, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum (ùt patet ex Decreto edito die 14. Junii 1659. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 336.) quam etiam S. R. C. 10. Decembris 1703. annuente Sanctiſſimo D. N. Clemente Papa XI. die 12. Januarii 1704. declaravit non eſſe de juribus merè Parochialibus, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 567. Præter, inquam, Miſſam Sollemnem, omnes aliæ privatæ Miſſæ prohibentur hac die in quocunque loco, non ſolùm ex antiquo quodam Decreto S. R. C. quod affert Perſicus *de Offic. Sacerd. lib.* 1. *dub.* 6. *num.* 40. ſed etiam ex Decreto recentiſſimè edito à Clemente Papa XI. die 15. Martii 1712. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 620. & ex aliis Decretis infrà citandis, eadem diſpoſitio clarè colligitur; ſcilicet ne hac die, præter unicam Miſſam Sollemnem Conventualem, dicantur aliæ Miſſæ; nam ſi hodie occurrerit Feſtum S. Joſephi, vel Annunciationis B. M. V. (vel aliquo alio occurrente Feſto de præcepto in aliqua Diœceſi, ùt optimè advertit Halden *part.* 1. *tit.* 20. §. 1. *de Fer.* 5. *in Cœna Domini*) tunc non ſolùm ſervandum erit præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, ſed etiam audiendi Miſſam, quare præſcribitur, quòd ab Ordinariis locorum accuratè provideatur, ut aliquæ Miſſæ privatæ ante Miſſam Sollemnem celebrentur, ut poſſint Fideles adimplere præceptum audiendi Miſſam in dictis diebus Feſtis; id autem liquet ex Decreto edito à S. R. C. 13. Septembris 1692. & in noſtro Indice *ſub num.* 501. & ex alio pariter Decreto edito 12. Septembris 1716. annuente SS. D. N. Clemente Papa XI. 27. Septembris ejuſdem Anni, & dato in noſtro Indice ſub *num.* 632. Cùm, inquam, in prædictis Decretis præſcribatur, quòd ſi Feſtum S. Joſephi, vel Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrat in Feria V. majoris hebdomadæ, debeat ab Ordinariis locorum provideri, ut aliquæ dicantur Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ, ut faciliùs adimpleri poſſit præceptum à Fidelibus audiendi Sacrum; apertè colligitur, quòd nullo occurrente Feſto de præcepto, hac die non debeat celebrari ulla Miſſa privata, ſed ſola Miſſa Conventualis in quocunque loco. Immò poſt hanc Miſſam Sollemnem Conventualem, ne in dictis quidem diebus Feſtis poteſt hodie celebrari aliqua alia Miſſa ſine gravi culpa, ùt tenent Barboſa, Gobat, Caſtropalaus, & alii apud Biſſum *lit. F. num.* 44. §. 1.

## Pro Proceſſione hujus diei.

IX. Rubric. n. 9. pag. 190. & Gavantus pag. 191. col. 1. lit. f *Paretur locus, &c.*) Ex Decreto S. C. ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, allegato à Gavanto *hoc tit. lit.* h. ſupradictus locus debet eſſe intra Eccleſiam. Poteſt autem ornari etiam floribus, ſive aliis rebus ad ſplendorem conducentibus, additis multis luminibus, ſive ex cera alba, ſive etiam ex oleo, juxta qualitatem, & diſpoſitionem apparatus; & notandum, quòd in hoc loco non debet poni Sacramentum expoſitum, ùt fieri ſolet in Oratione quadraginta Horarum, vel in Feſto Corporis Chriſti, ſed debet poni in Capſula (cum Corpora-

porali in fundo ejus extenſo) clave obſerata, collocanda in eminenti loco, ad quem aſcendetur per gradus; quæ Capſula ſit etiam pulchra, elaborata tam intus, quàm extrà; convenit etiam, ut ſupra eam ſit Baldacchinum album, niſi talis eſſet apparatus variis undique picturis ornatus, ut Baldacchinum videatur ſuperfluum. Biſſus *lit. L. num.* 131.

Præterea collocari debent in eodem Altari ſex Candelabra cum totidem Cereis ceræ albæ, non tamen Reliquiæ Sanctorum, neque Imagines. Halden *ſuprà*; Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 1. *num.* 2. & Hippolytus à Portu *ſuprà art.* 3. *Rubr.* 8. *in Adnot. num.* 2. Poni tamen poſſunt circùm Angelorum ſimulacra candelas manibus tenentia. Bauldry *ſuprà num.* 4. à Portu *ſuprà*.

X, Rubric. n. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 1. lit. h *Fit Proceſſio more ſolitu, &c.*) Finita Miſſa, Celebrans medius inter ſuos Miniſtros accedit ad medium Altaris, ibique genuflectunt ad oram ipſius unico tamen genu, ut commodiùs ſurgere poſſint; tum unus poſt alium, præcedente Subdiacono, Bauldry *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 5. *num.* 3. per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendunt in planum Presbyterii, & ibidem Celebrans, depoſitis Planeta, & Manipulo (ſicùt & Miniſtri Sacri ſuos Manipulos deponunt) accipit Pluviale album pretioſum, adjuvantibus Ceremoniario, & Acolytho, ùt docet Bralion *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. vel Miniſtris Sacris, juxta Eccleſiarum conſuetudinem, & hæc eſt Praxis Romanarum Eccleſiarum, nec non ſententia Biſſi *lit. P. num.* 226. §. 2. Interim Sacriſta, vel aliquis Acolythus vadit ad locum, in quo Sacramentum reponi debet, ibique candelas accendit, & explicat Corporale in medio Altaris, ſi ſuper illud reponi debeat Calix cum SS. Sacramento, ùt infrà dicetur, parat ſcabellum, ſuper quod aſcendet Diaconus, ſi opus eſt, ut in Capſula SS. Sacramentum reponat, & diligenter obſervet, utrùm ibidem rectè omnia diſpoſita ſint. Interim in Choro diſtribuantur etiam ab aliquo Miniſtro candelæ ceræ albæ, & faces, pro proceſſione, quæ etiam accenduntur, ùt ſuprà innuimus. Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 3. *num.* 1. 2. *&* 3. Biſſus *ſuprà lit. P. n.* 226. §. 2.

Celebrans verò, ſumpto Pluviali, incedens per planum manibus junctis, & nudo capite, medius inter Sacros Miniſtros, tenentes hinc inde de more fimbrias anteriores Pluvialis, ad medium Altaris accedit, ubi genuflectit utroque genu in plana terra cum præfatis Miniſtris Sacris, & etiam caput profundè inclinat cum iiſdem, tum ſurgunt omnes, & ad inferiorem gradum Altaris genuflectunt, ùt colligi poteſt ex Ceremoniali Epiſc. ubi genuflexi parumper orant. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 17. *num.* 1.

Interim duo Thuriferarii, cum ſuis Thuribulis cum igne, & Naviculis, accedunt cum debitis genuflexionibus ad dexteram Diaconi, ita ut primus ſit ei proximior. Bauldry *ſuprà num.* 4. Biſſus *ſuprà*.

Celebrans ſurgit cum Miniſtris Sacris (ſed omiſſa omni genuflexione, quia non diſcedunt à loco, in quo ſunt) & ſtans imponit Incenſum, miniſtrante Diacono Naviculam, in Thuribulo primi Thuriferarii, non ſolùm abſque Benedictione, ſed etiam ſine oſculis; tum ipſe Thuriferarius paululùm recedit, locum cedens ſecundo Thuriferario, in cujus Thuribulo pariter Celebrans Thus imponit ex priori Navicula, quam ideò Diaconus apud ſe retinet, quo facto, hic ſecundus Thuriferarius, facta genuflexione, accedit cum Thuribulo ad cornu Epiſtolæ, ibique genuflexus in plano manet, uſque ad initium proceſſionis incluſivè. Primus verò Thuriferarius, iterum facta genuflexione, accedit ad Diaconum, cui, poſt Naviculam ſuam receptam, porrigit



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rigit Thuribulum, & parùm recedit, advertens (ſicùt omnes alii advertere debent) ut non vertat terga SS. Sacramento, quantùm fieri poteſt. Bauldry *ſuprà num* 8. Biſſus *ſuprà* §. 2 Vinitor *part. 6. tit. 8. num.* 17.

Poſito incenſo in duobus Thuribulis, Sacerdos, & Miniſtri Sacri genufle&ctunt, & ſtatim Diaconus eidem Celebranti genuflexo Thuribulum à primo Acolytho acceptum tradit ſine oſculis. Bauldry *ſuprà n.* 9. Biſſus *ſuprà*, & Vinitor *ſuprà n.* 18.

Tum Celebrans incenſat Sacramentum ſuper Altare poſitum ſuo velo coopertum, elevantibus interim Miniſtris Sacris fimbrias anteriores ſui Pluvialis, & ſe inclinantibus cum Celebrante, ante, & poſt dictam incenſationem, quo facto, reddit Celebrans Thuribulum Diacono, & hic primo Thuriferario, qui, eo accepto, facta genuflexione, pergit ad cornu Evangelii, & ibi manet genuflexus è regione alterius Thuriferarii. Hi autem duo, acceptis Thuribulis, incenſare non debent Sacramentum, niſi durante Proceſſione. Bauldry *ſuprà num.* 9. & 10. Biſſus *ſuprà* §. 3. Vinitor *ſuprà num.* 19.

Dum hæc peraguntur, paululùm retro dictos Miniſtros debent conſtitui, qui delaturi ſunt haſtas Baldacchini, qui quidem ibidem manebunt genibus flexis, donec omnes de Choro, præmiſſa SS. Sacramento genuflexione, egrediantur ad Proceſſionem, & tunc ſurgentes, facta poſteà ibidem genuflexione, pergent ad Baldacchinum, & illud ante medium viæ in exitu cancellorum, ſive Presbyterii pro ſitu loci conſtituent, ubi manebunt genuflexi, tenentes ejuſdem haſtas, donec ſub Baldacchinum ingrediatur Celebrans; & ita diſponentur, ut digniores ferant haſtas anteriores, & ex illis Digniori debetur ea, quæ eſt à dexteris Celebrantis, ſive antè, ſive retrò, utpote Dignior, juxta diſpoſitiones Ceremonialis Papæ, & Ceremonialis Epiſcoporum allegatas à Gavanto *hoc tit. lit.* p. Interim etiam Subdiaconus, qui defert Crucem, facta cum eis genuflexione, accipiet Crucem, & medius inter duos Ceroferarios, perget ad planum ante medium Presbyterii, paulò remotiùs ab Altari, & Baldacchino, ubi ſtans cum Ceroferariis expectabit, donec inchoetur Proceſſio.

Dum etiam prædicta omnia peraguntur, Magiſter Ceremoniarum imponit ſuper humeros Celebrantis velum oblongum perpulchrum, quod firmabitur aciculis, vel vittis ſericis, ne per viam decidat, ut ſuprà innuimus; deinde Celebrans cum Miniſtris Sacris ad ſecundum gradum Altaris aſcendit, & ſtatim Diaconus progreditur ad ſuppedaneum Altaris, ubi genuflectit unico genu, abſque capitis inclinatione, & mox ſurgit (interim Celebrans cum Subdiacono genuflectit in ſuppedaneo) & ad cautelam firmat velum Calicis vitta ſerica albi coloris. Deinde cum debitis reverentiis accipit dextera nodum, ſiniſtra pedem Calicis. *Memoriale Rituum majoris hebdomadæ cap.* 2. §. 5. *num.* 5. Tum præfatus Diaconus per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, ſe convertit ad Celebrantem, cui Celebranti genuflexo ipſe Diaconus ſtans ſupradictum Calicem reverenter tradit; Biſſus *ſuprà* §. 3. Bauldry *ſuprà num.* 11. qui Celebrans illum accipit ſiniſtra per nodum, ſubmittens eum velo, & dexteram ponit ſuper Calicem, ſuper quem Diaconus extendit extremitates ambas veli humeralis, & mox Celebrante ſurgente, Diaconus genuflectit, & Sacramentum adorat. *Memoriale Rituum ſuprà num.* 6.

Celebrans verò tenens prædictum Calicem ambabus manibus, ut ſuprà, aſcendit in planum ſuppedanei, & vertit renes Altari; interim Miniſtri Sacri cum debita genuflexione, hoc eſt unico genu, mutant loca; ita ut Diaconus incedat in Proceſſione a dexteris, & Subdiaconus à ſiniſtris

Cele-

Celebrantis hinc inde; & ambo ſic aſſiſtentes, fimbrias anteriores Pluvialis elevant, & cùm opus eſt, brachia ejus ſublevant; & tunc, & non priùs incipitur per Cantores adhuc genuflexos: *Pange Lingua &c.* Memoriale Rituum *ſuprà num.* 7. & 8. Horatius Chriſtiani *Sect.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. & 9. Bauldry *ſuprà num.* 12. & 13. Biſſus *ſuprà* §. 3. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Facta brevi oratione.*

Advertere lubet hoc loco, quòd Ceremoniarius, vel aliquis alius, dum Celebrans deſcendit, geſtans Sanctiſſimum Sacramentum; & quandocumque opus erit, elevet extremitatem anteriorem veſtis ejusdem Celebrantis: Bauldry *ſuprà num.* 14.

Congruum etiam eſſet, dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris, adhibere umbellam ſericam, & albi coloris (ùt dicemus in Proceſſione, quæ fit in Feſto SS. Corporis Chriſti) quæ ferri deberet ab aliquo ſupra caput Celebrantis, eam elevando in ſubſidium Baldacchini per totum ſpatium, quod intereſt ab Altari ad Baldacchinum, ne SS. Sacramentum abſque honoris tegmine, ne per breve quidem ſpatium, deferatur. Baruffaldus *in Comment. ad Rituale Romanum de Proc. SS. Corp. Chriſti tit.* 80. §. 3. *n.* 17.

Notandum præterea, quòd ſupradicti Eccleſiaſtici, Epiſcopo celebrante, parati cum Pluvialibus albi coloris, ſed ſine Stolis, ipſo verò non celebrante cum Cottis tantùm, quando Celebrans incipit deſcendere, debent ſumere haſtas Baldacchini ſibi ab Acolythis porrectas. Regulariter autem Baldacchini haſtæ ſolent in medio Presbyterio elevari, ſi tamen commodè fieri poteſt: Baruffaldus *ſuprà num.* 17. Biſſus *ſuprà.* Duo verò ſupradicti Thuriferarii eodem tempore hinc inde ante Baldacchinum ſe conſtituunt, ut graviter, & modeſtè ſemper in eo ſitu procedant, facie adinvicem verſa, ne terga vertant Sacramento. Bauldry *ſuprà num.* 17. Biſſus *ſuprà* §. 4.

Intonatis duobus primis verſiculis prædicti Hymni, ſurgent omnes, & per viam longiorem intra Eccleſiam procedent ad locum præparatum, ſeu ad Sacellum, ubi reponendus eſt Calix cum Sanctiſſima Hoſtia. Procedent, inquam, ordine ſequenti.

XI. Rubr. num. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 1. lit. i *Subdiacono parato Crucem ferente, &c.)* Primò procedunt Laici, ſi qui ſunt cum facibus accenſis. Bauldry *ſuprà;* Biſſus *ſuprà* §. 4. tum Subdiaconus cum Cruce, medius inter duos Ceroferarios, qui nunquam genuflectunt, nec etiam SS. Sacramento; Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. Corſettus *tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. *n.* 12. Caramuel *apud Tonellium lib.* 2. *n.* 3. Biſſus *lit. C. n.* 559. *lit. F. n.* 42. §. 14. & 17 *lit. G. n.* 20. & 21. *lit. P. n.* 226. §. 2. cum Gavanto; vertentes ſe erga Eccleſiam, incipiunt procedere lentè, & graviter, poſt quos ſequuntur alii de Clero, bini & bini, cum candelis accenſis, ùt ſuprà, præmiſſa genuflexione utroque genu SS. Sacramento, præcedentibus inferioribus; geſtant autem candelas dextera manu, vel ſiniſtra reſpectivè, proùt diximus agendo de Proceſſione quadraginta Horarum *part. II. tit.* 14. *n. IV.* poſt ſeniores de dicto Clero, octo Cappellani, vel Acolythi, cum funalibus eodem modo accenſis, ibunt hinc inde ante Baldacchinum, quatuor pro qualibet parte, & poſt eos duo Thuriferarii, geſtantes reſpectivè manu ſiniſtra Naviculam, & manu dextera Thuribulum, vel è contrà, & incenſantes continuè Sacramentum; non eo modo, quo ad elevationem in Miſſa, & Benedictionem ejusdem Sacramenti fieri ſolet, quippe qui inter ambulandum eſſet valdè incommodus; ſed Thuribulum à manu dextera pendens, ab eo, qui eſt à ſiniſtris Celebrantis, ab eo verò, qui eſt à latere dextero, è manu ſiniſtra, graviter, & modeſtè alternatim movente, tractibus tamen longioribus erga Sacramentum productis, ut ne dum ei viam ſternere, ſed ipſum quoque incenſare verè dici poſſint. Gavantus *hoc tit. lit.* q & Biſſus *lit. P. n.* 226. § 4. & *lit. F. n.*

45. *contra Quart. de Proceſſ. ſect. 3. punct. 3. quæſt. 5.* ſed juxta communiorem praxim, præſertim Baſilicarum Urbis.

XII. Rubr. n. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 2. lit. p *Sub Baldacchino, &c.)* Poſt hos omnes ibit Celebrans, medius inter Diaconum & Subdiaconum, ſub Baldacchino, tenens elevatum Calicem ferè ob oculos, quos defixos modeſtè ſemper habebit in eum, & voce ſubmiſſa recitabit cum Miniſtris Sacris devotè præfatum Hymnum *Pange lingua, &c.* & alios, ac etiam Pſalmos, ſi opus ſit; deferentibus verò haſtas Baldacchini eiſdem qui ſuprà, cum Pluvialibus albis, prout diximus ſuprà, quibus deficientibus non debent adhiberi Stolæ, ſed ſufficient Cottæ, ùt notat Gavantus *hìc.* Verùm juxta praxim Eccleſiæ Lateranenſis, & aliarum Baſilicarum Urbis, deferunt tales haſtas octo Seniores, & Digniores de Choro, non quidem Pluvialibus, ſed ſolo ſuo habitu chorali induti.

Prælati, ſi qui aderint, incedent poſt Celebrantem, primò quidem Digniores, deinde minùs Digni; Caſtaldus *ſuprà cap. 4. n. 4.* Advertant autem poſteriores procedentes de Clero, ut non nimis elongentur à Celebrante, ne SS. Sacramentum ſine lumine deferatur, ad quod attendere omnino debet Ceremoniarius, ſicùt ad alia omnia, & ideò neque candelam, neque locum ſpecialem habere debet, ut omnibus provideat, & præſertim ut Clerus modeſtè procedat; quare nunc huc, nunc illuc pergere debet, ad omnia dirigenda. Bauldry *ſuprà n. 18.* Biſſus *ſuprà §. 5.*

XIII. Rubr. n. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 2. lit. r *Cantatur Hymnus Pange, &c.)* Intereà verò, dum fit Proceſſio, cantatur, ùt innuimus ſuprà, Hymnus *Pange lingua, &c.* interponendo pauſam aliquam inter verſus, longioris, vel brevioris viæ ratione attenta. Biſſus *lit. P. n. 226. §. 3.* inchoantibus unamquamque ſtropham duobus Cantoribus, & toto Choro cætera proſequente. Cùm dicentur hi duo verſiculi: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*, decet ut omnes (præter Subdiaconum Crucem ferentem, & Ceroferarios, qui ſtantes ſe tunc convertere debent ad SS. Sacramentum) intra Eccleſiam tunc genuflectant versùs SS. Sacramentum, ſi commodè poſſint; Celebrans verò cum Miniſtris, & hi qui ferunt Baldacchinum, ſiſtent interim immoti. Finitis prædictis verſibus, omnes ſurgent, & facta ſimul genuflexione, convertentes faciem ad Crucem, cœptum iter peragent. Gavantus, & Cerem. Monaſt. *lib. 4. cap. 8. §. 8.* Verùm melius erit, ſi una vel altera ſtropha repetatur ante prædictos verſiculos, ut deferentes candelas, & faces, non habeant opus genuflectere in via, & illi verſiculi dicantur, cùm omnes ante Altare, in quo reponi debet SS. Sacramentum, fuerint genuflexi. Biſſus *lit. P. n. 226. §. 3. & lit. F. num. 42. §. 15.* itemque *lit. T. num. 10.*

XIV. Rubr. num. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 2. lit. ſ *Illum primò ſuper Altare, &c.)* Cùm ad Sacellum pervenerint Subdiaconus, & Ceroferarii, ſiſtunt ſe è regione prædicti Sacelli, aliquantulùm recedentes è medio, ita ut aditus pateat procedentibus, & nullum impedimentum afferant Celebranti, & aliis; tum Clerus dividatur in duas partes hinc inde, ut Thuriferarius, Miniſtri Sacri, & Celebrans ſub Baldacchino commodè tranſire poſſint per medium illorum; juvenes remaneant prope Crucem, ſeniores verò ex ordine procedant ultrà, ita ut proximiores ſint Sacello, ſive Altari, & omnes hinc inde ſtabunt facie adinvicem converſa, uſque ad adventum Sacramenti, & tunc omnes ante illud genuflectunt utroque genu, & ſic manent genuflexi versùs Sacellum, donec inde recedant. Gerlacus Vinitor *ſuprà n. 23.* Memoriale Rituum *ſuprà n. 10. & 11.* Caſtaldus *lib. 3. ſect. 6. cap. 4. num. 5.*

Si verò in hac Proceſſione ſint Laici, ſeu Confratres, & multus ſit Clerus, tunc omnes procedentes in ſimplicem gyrum ſe diſponunt;

pri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

primum gyrum faciunt prædicti Laici, ſeu Confratres, ſecundum Clerici, & Beneficiati, ſeu Manſionarii, tertium anteriorem Canonici, ita tamen, ut ſemper juniores ſingulorum gyrorum maneant prope Crucem hinc inde, ſeniores verò ſive Digniores ſint Cappellæ ſeu Sacello proximiores; Memoriale Rituum *ſuprà num.* 11.

Celebrans cum Sacramento, ſtatim ùt ingreſſus fuerit Sacellum, ſive Cappellam, Acolythi reſumunt haſtas Baldacchini, illud aſportantes ad locum ſuum, vel ad portam Cappellæ, & ſupradicti Haſtiferi parati locum ſuum petunt, & ibi manent genuflexi, ùt alii. Memoriale Rituum *ſuprà num.* 13. Subdiaconus verò, ſeu Cruciferarius, & Ceroferarii, poſtquàm omnes tranſierint, ſtatim collocant ſe è regione Sacelli, in medio gyri, illum claudentes, & omnes, præter ſupradictum Cruciferarium, & Ceroferarios, manent ùt ſuprà, genuflexi, converſa facie ad Sacramentum. Memoriale Rituum *ſuprà num.* 14.

Poſtquàm igitur Celebrans ingreſſus fuerit Cappellam, ſeu Sacellum, Thuriferarii ceſſant à thurificatione, poſt quam etiam aliquantulùm ſe retrahunt, ut Celebranti, & Miniſtris locum cedant. Bauldry *ſuprà n.* 22. Biſſus *lit. F. n.* 42. §. 14.

XV. Gavant. pag. 191. col. 2. ead. lit. ſ *Dum incenſatur Sacramentum, &c.)* Interim Cantores in cantu pio & devoto cantant: *O ſalutaris Hoſtia, &c.* vel *Tantum ergo Sacramentum, &c.* donec Sacramentum fuerit per Celebrantem incenſatum, & per Diaconum repoſitum, ùt colligitur ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 13. & ex Gavanto *hìc.*

Celebrans & Miniſtri Sacri aſcendunt ante ſupremum gradum Altaris, ſcilicet ante ſuppedaneum; Memoriale Rituum *ſuprà n.* 15. & Diaconus ſtatim ſuper ſuppedaneum, ubi genuflectit, quaſi vertens renes ad cornu Epiſtolæ; Bauldry *ſuprà n.* 22. & Celebrans ſtans porrigit Calicem cum Sacramento Diacono, ut *ſuprà* genuflexo, remotis priùs per eundem Diaconum veli humeralis extremitatibus; Memoriale Rituum *ſuprà*; quem Calicem prædictus Diaconus reverenter accipit, deinde ſurgit, & converſus ad Celebrantem paulùlùm expectat, donec Celebrans genuflexus adoraverit SS. Sacramentum, quod ſemper facit in caſu ſimili, deinde ponit Diaconus devotè Calicem ſuper Corporale in medio Altaris extenſum, cavens ne terga vertat Celebranti genuflexo. Rubric. Miſſalis *ſuprà*, Claudius Arnaudus *in Fer. V. in Cœna Domini.* Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Deſcendit.* Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 16. Vinitor *ſuprà n.* 24.

XVI. Rubr. num. 9. pag. 190. & Gavant. pag. 191. col. 2. lit. t *Reponit in Capſula, &c.)* His tamen non obſtantibus, Ceremoniale Epiſc. auctoritate Benedicti XIII. recèns recognitum *lib.* 2. *cap.* 23. §. 13. præſcribit, quòd Diaconus, accepto Calice, ùt *ſuprà*, ipſum reponat non ſuper Altari, ſed in loco præparato, id eſt, ùt explicat Memoriale Rituum *ſuprà num.* 17. in loculo, ſive capſula præparata ſuper Altari, non tamen illam tunc claudens, niſi facta incenſatione Sacramenti; idem etiam docet Horatius Chriſtiani *ſect.* 3. *cap.* 8. *num.* 16.

Ex ſupradicta igitur Rituum variatione ſciendum eſt, quòd quando Miſſale, & Ceremoniale apertè differunt in præſcribendo aliquo Ritu, ùt in locis ſupracit. non ideò ita ſibi contradicere credendum eſt, ut unum prohibeat, quod alterum præſcribit, ſed potiùs utroque modo talem Ritum obſervari poſſe. Miſſale igitur præſcribit, quòd Diaconus ponat Calicem ſuper Corporale in medio Altaris; Ceromoniale verò, quòd deponat ſuper Altari in loco præparato, id eſt, in capſula (quæ tamen claudi non debet, niſi facta incenſatione) quodcumque horum fiat, Rite ac legitimè fiat; Nicolaus de Bralion in Appendice 3. *cap.* 1. *n.* 5. quamvis tamen Ritus à Miſſali præſcriptus relinqui poſſit Eccleſiis Parochialibus; alius verò Ritus à Ceremoniali præſcriptus Eccleſiis Cathedra-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

libus, ob particularem, & præcipuam quandam rationem (pro quibus præſertim eſt Ceremoniale Epiſc.) relinqui poteſt, ùt à ſimili tradit Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 14. num. 8.*

Diaconus itaque, depoſito in medio Altaris, vel in Capſula, ùt ſuprà, SS. Sacramento; tum facta genuflexione, ſurgit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi manet genuflexus, ſicùt Celebrans cum Subdiacono, qui genuflectere debuit, ſtatim ac Diacono Celebrans Sacramentum dederit in inferiori Altaris gradu. Gradus autem iſte inferior Altaris, in quo genuflectere debet Celebrans, & iterum in incenſatione, & poſt eam denuo in eodem genuflectet, diverſimodè à Rubriciſtis intelligitur. Alii enim volunt, quòd ſit gradus primus, alii quòd ſit infimus, ùt advertit Sarnellius *Epiſt. Eccleſ. tom. 8. epiſt. 26.* Praxis tamen Urbis, omnium Rituum Magiſtra, eſt, ut ad infimum gradum deſcendat; ibique etiam ſuo tempore genuflexus incenſationem faciat: Baruffaldus *de Proceſſione in Feſto SS. Corporis Chriſti tit. 8. n. 64. & 65.*

Dum genuflexus eſt Celebrans, per Miniſtros Sacros, vel per Ceremoniarium, ùt ait Horatius Chriſtiani *ſect. 3. cap. 8. num. 17.* amovetur ex ejus humeris velum oblongum, quod Diaconus, vel Ceremoniarius tradit alicui Miniſtro non occupato, qui illud ponit in aliquo loco congruo. Bauldry *ſuprà n. 22.* Biſſus *lit. F. n. 42. §. 15.* Vinitor *ſuprà n. 24.* Poſteà ſurgit Celebrans (ſicùt & Miniſtri Sacri ſurgunt, ùt ſtatuit in ſua ſpeciali inſtructione Clemens XI. de ordine ſervando in Oratione quadraginta Horarum, quam ſuprà per extenſum dedimus) ibique paulò retrocedens, Ceremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 23. §. 13.* ſtans imponit incenſum in uno ex Thuribulis ſine benedictione, miniſterio Diaconi ſine oſculis; tum Celebrans cum Miniſtris Sacris genuflectit iterum ſuper infimum gradum, & ſumpto Thuribulo, ter incenſat Sacramentum ſuo velo tectum, Miniſtris elevantibus partes anteriores Pluvialis, & profundè inclinantibus cum Celebrante, antè, & poſt. Bauldry *ſuprà n. 23.* Biſſus *ſuprà n. 15.* Vinitor *ſuprà n. 25.*

Finita incenſatione, Celebrans tradit Thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui Diaconus poſteà aſcendit ad Altare, genuflectit, & ſtatim ſurgit, tum accipit Calicem cum Sacramento, & reponit ſuper Corporale in Capſula, ùt ſuprà; (ſi tamen locus eſſet ita paratus, ut commodè à Diacono non poſſet poni Sacramentum in ſua Capſula, tunc alius Sacerdos, cum Cotta, & Stola, poterit id præſtare) deinde genuflectit, & Capſulam claudit, & obſerat clavi, quam dabit illi, ad quem ſpectat, nempe Sacriſtæ, vel Ceremoniario. Bauldry *ſuprà num. 24.* Biſſus *ſuprà §. 16.* Turrinus *part. 3. ſect. 3. cap. 1. §. Diaconus*, & alii.

Si verò prædictus Calix fuerit ſtatim depoſitus in Capſula præparata ſuper Altari, tunc Diaconus, facta, *ùt ſuprà*, genuflexione SS. Sacramento, ſurgit, & clauſa Capſula, clavi obſerat, ùt *ſuprà* adnotatum eſt.

Clauſo Sacramento in Capſula, & Diacono ad dexteram Celebrantis regreſſo, omnes genuflexi (exceptis Cruciferario, & Ceroferariis) aliquantulùm orant. Bauldry *ſuprà n. 25.* Biſſus *ſuprà §. 17.* Turrinus *ſuprà §. Clauſo oſtiolo.* Interim colliguntur cerei, aſportantur, & extinguuntur. Memoriale *ſuprà n. 19.*

Facta oratione, ſurgunt Celebrans, & omnes alii; iterum genuflectunt, & ſurgunt, poſteà redeunt in Sacriſtiam, præcedentibus Thuriferariis, quos ſequitur Subdiaconus deferens Crucem, medius inter Ceroferarios habentes candelabra cum candelis accenſis, Bauldry *ſuprà n. 26.* Corſettus *tract. 1. part. 2. cap. 6. n. 17.* deinde Celebrans, medius inter Sacros Miniſtros elevantes fimbrias anteriores Pluvialis; ibique facta profundà inclinatione nudo capite Imagini, vel Cruci, de more ſuas veſtes deponunt. Bauldry *ſup. n. 27.* Biſſus *ſup. n. 17.*

Cæte-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cæteri verò de Clero accedunt ad Chorum, & ibi dicunt Veſperas, demiſſa, ſed intelligibili voce, & ſine cantu, quo tempore ad Altare duæ candelæ ardere debent. Biſſus *lit. H. n.* 24. §. 6. vel potiùs ſex, ſicùt in Miſſa. Bauldry *ſup. n.* 28. Celebrans autem, & Miniſtri Sacri, depoſitis veſtibus, ſeu paramentis albis, & ſumptis à Celebrante & Diacono Stolis violaceis, ſi ſit opus, vadunt etiam ipſi ad Chorum, pro dicendis Veſperis; quòd ſi numerus Clericorum ſit copioſior, poſſunt remanere in Sacriſtia, ibique, vel alibi Veſperas ex ſe dicere, ſubmiſſâ voce. Biſſus *lit. F. n*, 42. §. 18. Bauldry *ſuprà n.* 27.

Interim ex Altari majori tranferuntur in Sacriſtiam Sanctorum Reliquiæ, ſi quæ ſuper eodem fuiſſent depoſitæ inter candelabra, per duos Cappellanos cum Stolis, & cum duobus Acolythis lumina geſtantibus. Memoriale Rituum *ſuprà num.* 2. *pag. mihi* 157. Rurſus eodem tempore omnia, quæ erant ſuper Altare, & ſuper Credentiam, Clerici reportant in Sacriſtiam, & aciculas de Mappis Altarium removent, niſi id priùs factum fuerit, ùt ſuprà dictum eſt, ut faciliùs, & promptiùs dicta Altaria denudari poſſint. Bauldry *ſuprà n.* 31.

Dum dicuntur in Choro Veſperæ, aliquis Sacerdos, Cotta, & Stola alba paratus, & aliquis Clericus cum velo humerali, vadunt ad Altare, ubi adhuc eſt Pyxis cum Particulis conſecratis, inſervientibus duobus, vel quatuor Acolythis, quod eſt decentius, cum luminibus, & prædicto Clerico, pro velo humerali imponendo ſuper humeros Sacerdotis, qui cum debitis genuflexionibus, Pyxidem accipit, quam ponit non quidem in eadem Capſula, in qua paulò antè fuit repoſitus Calix, quem Celebrans detulit in Proceſſione, ùt vult Gavant. *infrà num.* 20. cùm hic nullius ferme Eccleſiæ ſit uſus, ſed poni debet dicta Pyxis in aliquo alio decenti loco, nimirum vel in aliqua Cappella ab Eccleſia ſegregata, vel in aliquo Tabernaculo exiſtente in Sacrario, quæ quidem conſuetudo hodie eſt ferè communis omnium Eccleſiarum. Dum Sacerdos deferet prædictam Pyxidem, ſupradicti duo, vel quatuor Acolythi, cum Cottis, & facibus ardentibus, præcedant, &c. Aſportata dicta Pyxide, lampades, & cerei, ſi qui ſunt per Eccleſiam accenſi, extinguuntur, ſolùm illis relictis accenſis, qui ſunt in Altari, ubi eſt SS. Sacramentum. Biſſus *ſuprà* §. 19. & duobus ſaltem candelabris ad Altare majus, uſque dum cantantur Veſperæ.

His omnibus peractis, ſolet etiam è vaſis Eccleſiæ removeri Aqua benedicta; nihilominùs quia ſuper hac communi praxi nulla habetur Rubrica, nullum Decretum; idcirco aliqui inſurgunt contra hanc conſuetudinem, dicentes, hac die, & ſequenti Feria VI. in Paraſceve, non eſſe tollendam ex fontibus Eccleſiarum Aquam benedictam, ſed adhuc in eis aſſervari debere prædictis diebus, ſicùt in more eſt omni alio tempore. Qui hanc opinionem defendunt, moventur ex Decreto Alexandri Papæ I. quod habetur *in Canone Aquam de conſecrat. diſtinct.* 3. & clariùs in Lectione nona, quæ de eodem Sancto Pontifice legitur die 3. Maji, in Feſto Inventionis S. Crucis, ubi legitur: *idem decrevit, ut Aqua benedicta ſale admixto perpetuò in Eccleſia aſſervaretur.* Ex quo inferunt Adhærentes huic ſententiæ: ergo nunquam deeſſe debet Aqua benedicta in Eccleſia. Addunt, idipſum confirmari ex Rubricis Ritualis Romani, præſcribentibus aſperſionem Aquæ benedictæ Infirmis, quibus adminiſtratur SS. Viaticum, & Sacramentum Extremæ unctionis, necnon Cadaveribus Defunctorum, quæ etiam his diebus Aqua benedicta reverà in Eccleſiis aſperguntur; unde non debet ſupponi, vaſa Eccleſiæ non continere prædictam Aquam; denique adducunt in favorem ſuæ ſententiæ Rubricas Miſſalis Romani in die Sabbati Sancti, quibus præſcribitur, quòd: *dicta Nona, Sacerdos, &c. aſtantibus ſibi Miniſtris cum Cruce,*

*& Aqua benedicta :* & infrà ſubnectitur : *deinde prædicta grana incenſi, & ignem ter aſpergit Aqua benedicta*, ex quibus infertur, quòd Rubrica ſupponit, exiſtere in Eccleſia Aquam benedictam. Non enim dicit, quòd fiat Aquæ benedictio, ſicùt dicit, quòd fiat benedictio novi ignis, & quinque granorum incenſi. Et ſupponit eadem Rubrica, non deeſſe in Eccleſia Aquam benedictam, nedum in die illo Sabbati, ſed nec etiam in aliis duobus diebus præcedentibus.

Si dicatur, quòd pro antedictis functionibus, nimirum pro Sacramentorum adminiſtratione, pro Defunctorum Exequiis, & pro Benedictione quinque granorum incenſi, & novi Ignis, ſervari debet illis diebus Aqua benedicta in aliquo vaſe, & in aliquo loco remoto; reſpondent Auctores hujuſce ſententiæ, quòd idipſum eſt contra Eccleſiæ inſtitutum, quæ vult, ut Aqua benedicta perpetuò ſit Fidelibus expoſita in vaſis prope fores Eccleſiarum, ut Fideles Eccleſiam ingredientes ſtatim aſpergi poſſint, & à levioribus noxis mundari; prætereà hoc ipſum foret novum Ritum in Eccleſiam inducere, quod ſine auctoritate Eccleſiæ fieri non poteſt; hæc, & alia præfati Auctores, inter quos recenſentur Enioannes *in allegationibus de Aqua benedicta*, quem refert per extenſum P. Torrecilla *variar. conſult. moral. tom. 3. conſult. 17.* Michael de Paulo *in ord. rec. Div. Offic. Anno* 1685. *die* 19. *Aprilis.* Antonius de Caſtelleras *pariter in ord. rec. Div. Offic. Anno* 1690. *die* 23. *Januarii*, qui libelli fuerunt ordinati pro omnibus Hiſpaniæ Diœceſibus, & eorum Auctores citat idem Enioannes *in dicta allegat. n.* 1. *&* 2. item Auctor Ceremonialis FF. Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum *part.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 2. *& part.* 3. *cap.* 1. §. 5. *n.* 9. Bartholomæus de Ollalla Sac. Ceremoniarum Magiſter in Regia Cappella Caroli II. Hiſpanorum Regis *in Ceremoniali Romano pro Miſſa Sollemni num.* 651. Hanc ſententiam tenebat etiam Illuſtriſſimus Dominus Joſephus Gaſc Archiepiſcopus Panormitanus, die enim 18. Martii 1728. ſequens publicari juſſit Edictum : *Di più vogliamo, che nelli fonti ſoliti ſtare nell' ingreſſo delle Chieſe* (nelli detti giorni di Giovedì, e Venerdì Santo) *vi ſi ponga l'acqua benedetta, conforme ſi coſtuma in ogni tempo.* Contrariam tamen ſententiam tuetur ſuprà citatatus P. Torrecilla *in dicta conſult. per totam*, ubi contrarium Eccleſiarum Hiſpaniæ uſum, noſtram nempe communem Italiæ conſuetudinem, approbat, ac nedum ùt licitam, ſed etiam ùt obligatoriam, defendere conatur, ſed levibus momentis, ùt aſſerit Auctor Ordinis Divini Officii ad uſum PP. Cappuccinorum pro Anno 1737. in calce ſui Directorii, Panormi editi; ex quo hæc colligere potui.

## Pro Altarium denudatione.

XVII. Gavant. pag. 192. col. 1. num. 12. *Procedat autem Celebrans, &c.)* Dum dicuntur Veſperæ, ùt innuimus ſuprà; Celebrans ſe parat in Sacriſtia Stola tantùm violacea ſuper albam in modum Crucis ante pectus, & Diaconus Stola violacea Diaconali ſuper ſiniſtrum humerum, & Subdiaconus ſola alba, & ita omnes ſine Manipulis, veſperis peractis, ùt habet Ceremoniale Episc. *lib.* 2. *cap.* 13. §. 13. procedunt ad denudationem Altaris majoris, Thuriferario ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſine Candelabris præcedentibus, manibus junctis, & nudo capite; deinde Ceremoniarius etiam ſine Birreto, & manibus junctis procedit; tum Subdiaconus, & poſt eum Diaconus, & ultimò Celebrans, & hi tres unus poſt alium tecto capite, & manibus junctis, Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. *Ubi Celebrans, & part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. *Veſperis peractis*, contra Bauldry *part.* 4. *cap.* 9. *art.* 4. *num.* 1. qui vult, quòd Celebrans ſit in medio Diaconi à dexteris, & Sub-

Subdiaconi à ſiniſtris, ſed veriùs unus poſt alium procedere debent, ùt ipſemet Bauldry notat *part. 4. cap. 3. art. 2. num. 4.* Ratio autem eſt, quia in tantum medium habent Celebrantem aliquando, in quantum habet Pluviale, cujus fimbrias anteriores ſuſtinere debent, ùt docet Ceremoniale Epiſc. *lib. 1. cap. 15. §. 14.* Quando verò Celebrans non habet Pluviale, tunc Diaconus immediatè præcedit ante Celebrantem, & Subdiaconus ante Diaconum, manibus junctis, Ceremoniale *ſuprà §. 13.* ſi Chorus ſit retro Altare majus. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 6. cap. 4. n. 11.* vult, quòd ad denudationem Altaris bini quilibet de Choro ſuo ordine accedant intra Presbyterium, ibi per gyrum Chorum ordinantes, quorum ultimus omnium ſit Celebrans paratus.

Cùm autem ad Altare majus pervenerint, omnes genuflectunt unico genu, excepto ſolo Celebrante (immò ſi Miniſtri Sacri ſint Canonici, neque ipſi genuflectunt) qui tantùm ei profundè ſe inclinat. Bauldry *ſuprà art. 4. num. 2.* Deinde cum Miniſtris Sacris aſcendit ad Altare, ubi incipiens denudationem, ſimul incipit mediocri voce, ita ut audiatur à Choro, & ſine cantu, Antiphonam: *Diviſerunt ſibi, &c.* quam omnes de Choro eadem voce proſequuntur: Caſtald. *lib. 3. ſect. 6. cap. 4. §. 11.* Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 9. num. 12.* Turrinus *ſuprà, &c.* Horatius Chriſtiani *ſup. num. 7.* & Memoriale Rituum *ſup. num. 2.* contra Bauldry *part. 4. cap. 9. art. 4. num. 3.* Biſſum *lit. A. num. 293. §. 2.* & Gerlacum Vinitorem *part. 6. tit 9.* de Denudatione Altaris *tit. 3.* qui volunt, quòd prædicta Antiphona non dupliciter, ſed ea incepta, ſtatim in Choro dicatur Pſalmus. Dicta igitur à Choro tota Antiphona, ſtatim omnes proſequuntur Pſalmum: *Deus, Deus meus, reſpice in me, &c.* quem alternatim eadem voce dicunt, & dum recitatur prædictus Pſalmus, omnes in Choro ſtant, & hæc eſt Praxis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis. Recitato, & terminato dicto Pſalmo, repetitur Antiphona.

Celebrans poſtquàm Antiphonam inceperit, illam eodem tempore, quo Chorus, cum Miniſtris ſuis proſequitur paulò humiliori voce, ac etiam cum ipſis alternatim dicit totum Pſalmum; & in fine repetit, & ſimul ipſi Miniſtri cum eo, Antiphonam integram: Nicolaus de Bralion *ſup. num. 13.* Interim denudans Altare, cum Miniſtris Sacris amovet primò Tobaleam ſuperiorem, mox alias: Horatius Chriſtiani *ſup. num. 8.* Tum pallium, & alia ornamenta, relicta tamen Cruce, tecta velo violaceo, cum Candelabris ſuper Altare; auferuntur etiam cortinæ, tentoria, credentia, & alia, ſi adſint; Bauldry *ſuprà art. 6. num. 2.* ita etiam quæ ſunt tapetia in Choro. Poſteà accedunt eodem ordine, quo ſuprà, ad denudanda alia Altaria. Biſſus *lit. A. n. 293. §. 2.*

Si verò ante perfectam denudationem Altarium eſſet finitus in Choro prædictus Pſalmus, non ideò repetitur, ſed tamen curent in Choro, ut illum magis moroſè, vel celeriùs dicant, pro numero Altarium denudandorum, ut, ſi fieri poſſit, dicatur Pſalmus, quouſque Altaria omnia ſint denudata: Biſſus *ſup. §. 3.* Bauldry *ſuprà.* Vinitor *ſup. §. 3.* Halden *part. 1. tit. 20. §. 1.*

Ubi verò copioſus eſt Altarium numerus, eodem tempore, quo Celebrans denudat Altare majus, alii Sacerdotes, Cotta, & Stola violacea induti, vel alii Miniſtri inferiores, poterunt illa denudare, recitando dictum Pſalmum; Nicolaus de Bralion *ſup. n. 14.*

Acolythi omnia in Sacriſtiam aſportabunt, alii Cereos extinguent, alii vaſcula cum floribus amovebunt, alii pallium, alii linteamina è Credentia deferent, alii tapetum, alii Ciborium conopeo violaceo potiùs quàm nigro cooperient, ùt hoc loco docet etiam Ga-

Gavantus, cujus Oſtiolum apertum relinquent. Tandem denudatis Altaribus, omnia Acolythi amovebunt, nihil in his relinquentes, niſi, ùt ſuprà dictum eſt, Candelabra, & Crucem in medio coopertam. Horatius Chriſtiani *ſup. n.* 9. Memoriale Rituum *ſup.* §. 13. *à n.* 1. Quin collocetur, ùt aliqui faciunt, in medio Altaris majoris Crux grandioris magnitudinis, diverſa ab ea, quæ erat inter Candelabra, velo violaceo, vel nigro cooperta, & die ſequenti à Celebrante detegenda. Crux enim, quæ inter Candelabra reperitur, amoveri non debet, niſi die ſequenti à Diacono, ut illam porrigat Celebranti, ut eam detegat cum ea Sollemnitate, quæ à Rubricis præſcribitur, & quæ à nobis declarabitur infrà. Hoc liquet ex Ceremoniali Epiſcoporum, impreſſo ſub Innocentio X. ùt videbimus infrà, ubi in tabula delineata apparet Crux detegenda, & eſt eadem, quæ inter Candelabra ſolet collocari, non verò alia diverſa, & quæ, terminata ejusdem Crucis adoratione, iterum ſuper ſuo pede inter Altaris Candelabra reponitur Feria VI. ſequenti.

Completa Altaris majoris denudatione, totoque Pſalmo ſupradicto, & repetita ejusdem Antiphona, Omnibus datur ſignum cum crotalo, ut fit in Salutatione angelica, loco ſigni meridiani, & interim omnes genuflexi orant. Facta brevi Oratione, omnes ſurgunt, & adorant unico genu Crucem, quæ ex nunc per hoc triduum uſque ad Nonam Sabbati Sancti incluſivè hac genuflexione colitur ab omnibus tranſeuntibus ante illam. Gavantus, & Memoriale Rituum *ſup. num.* 6. deinde pergunt omnes in Sacriſtiam, debito ſervato ordine, ſive ad faciendum mandatum, ſi mane fiat. Bauldry *ſup. n.* 5. Horatius Chriſtiani *ſup. n.* 12.

Prædictæ denudationis Altarium mentionem faciunt Iſidorus *de Offic. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 28. Alcuinus *de Divin. Offic. cap. de Cœna Dom.* Amalarius *lib. de Eccleſ. Offic. lib.* 1. *cap. de ſexta varietate Cœnæ Domini.* Rabanus Maurus *de Inſtit. Cleric. lib.* 2. *cap.* 36. *de Cœna Dom.* Rupertus Abbas *de Divin. Offic. lib.* 5. *cap.* 31. Johannes Beleth *in Rationali Divin. Offic. cap.* 104. Durandus *lib.* 6. *cap.* 76.

Altarium denudationem ſequitur in aliquibus Eccleſiis vetuſtiſſimis Ritus lotionis eorundem Altarium; cujus meminerunt laudati Scriptores, & ex recentioribus de ea fusè diſſerunt Martene *de antiq. Eccleſ. diſcipl. cap.* 22. §. 7. Bellotte *Obſerv. ad Ritus Eccleſ. Laudunenſis pag.* 806. *& ſeqq.* & omnium fuſiſſimè, atque eruditè, Chriſtophorus Batellus Baſilicæ Vaticanæ Beneficiatus, edita de hac re Diſſertatione ſub hoc titulo -- Ritus annuæ ablutionis Altaris majoris Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini.

Adnotare huc ſpectat denudationem Altarium antiquiorem eſſe eorundem lotione, ſiquidem neque antiquus Ordo Romanus, neque Gelaſii, & Gregorii Sacramentaria, quæ denudationis Altarium apertè meminerunt, de lotione eorum ullum verbum habent, quæ obſervavit laudatus Martene *loc. cit.*

Advertendum etiam ſupereſt, quòd Sacramento in Tabernaculo incluſo, & in Sacello aſſervato, his diebus eſt genuflectendum utroque genu; Cruci verò, quæ eſt in Altari majori, ùt ſuprà innuimus, omnes, etiam Canonici, genuflectere debent unico genu, præſertim verò Feria VI. ſequenti; ita Nicolaus de Bralion *in appendice* 3. *cap.* 3. *num.* 3. in obſervationibus circa diverſas functiones *n.* 3. & Horatius Chriſtiani *ſect.* 2. *cap.* 11. *n.* 13. nec non Gervaſ. *in Ordinibus divini Officii Mon. Faliſci.*

## Pro Ritibus ſervandis in faciendo Mandato.

XVIII. Rubr. n. 14. pag. 192. & Gav. pag. 193. col. 1. lit. y *in loco ad id deputato, &c.)* Locus proprius ad faciendum Mandatum, ſive pedum lotionem, debet eſſe aliqua aula Sacriſtiæ vicina, in qua pro tali functione debent parari omnia ea, quæ præſcribit Gavantus; obſervandum tamen eſt, quod Crux tum Altaris, tum proceſſionis, ſi quæ ſit, juxta noſtram ſententiam ſuperiùs expoſitam, debet eſſe non albo, ſed violaceo velo contecta. Scamnum, ſuper quo ſedere debent ii, quibus lavandi ſunt pedes (& qui numero treſdecim eſſe debent, ſi fieri poſſit) debet eſſe oblongum, panno viridi, vel alterius coloris coopertum, non tamen rubei. Rurſus ante prædictum pannum ſtemi debet tapes oblongus, vel plures, & culſinus amplior, ne Celebrans lavans pedes genuflexus, ſacras veſtes maculet.

Ad ſiniſtrum latus dicti ſcamni, ſeu in parte Epiſtolæ, paretur Credentia cum omnibus iis, quæ deſcribit Gavantus, item treſdecim Moppulæ in una lance, vel ciſta honeſtè poſita, ad extergendos pedes tresdecim lavandorum. Ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. cap. 14. & ex Bauldry *ſuprà de Feria V. in Cœna Domini art.* 5. §. 3. vel iis deficientibus, paretur linteum ſatis amplum ad prædictorum pedes extergendos, ſi illud, quo Celebrans erit præcinctus, non erit ſufficiens. Item paretur pelvicula cum mica panis, ac Manutergium, & Vas, ſeu Buccale cum aqua, ad lotionem, & exterſionem manuum Celebrantis, & Miniſtrorum, poſt lotionem pedum faciendas.

Prope prædictum ſcamnum, vel alio loco commodiori, congruum eſt, ut parentur tria Vaſa, unum aqua calida plenum, & herbis odoriferis, alterum aqua frigida ad temperandam calidam, ſi opus ſit, & tertium, in quod aqua pelvium effundatur poſt cujuſvis pedis lotionem, ſi neceſſe ſit, niſi forte effundenda ſit in aliquo loco ad id deputato. Præterea parari debent ad minus duæ pelves, aqua, & herbis implendæ, in quibus effunditur prædicta aqua calida pro facienda ipſa lotione pedum. Item Urceus ad prædictam aquam infundendam.

Præterea parari etiam debet unum Legile nudum, vel duo, aut tria, in plano, cum Miſſali, ſeu Rituali, ubi ſunt Antiphonæ, Pſalmi, & ℣℣. decantandi, dum fiet pedum lotio: ex Caſtaldo *ſuprà cap.* 5. & ex Bauldry *ſuprà* §. 3. *& ſeqq.*

In Sacriſtia autem parari debent Amictus, Albæ, Cingula, Stola, & Pluviale violacei coloris pro Celebrante, necnon Stola cum Dalmatica coloris albi pro Diacono, ſicut & Tunicella pro Subdiacono, cum duobus Manipulis coloris pariter albi. Deinde Thuribulum cum Navicula, & Vas cum prunis ardentibus.

Prædictis omnibus commodè, & tempeſtivè paratis, ita ut nihil deſit, hora ſolita, quæ ſolet eſſe tertia poſt meridiem, dato ſigno tabulæ, ſeu crotali, conveniunt omnes in Sacriſtiam, ubi Celebrans, & Miniſtri induuntur prædictis paramentis, & interim admonentur illi, quorum lavandi ſunt pedes, ut pergant ad ſuum ſcamnum. Rurſus interim accenduntur candelæ, quæ ſunt ſuper Altare, ubi faciendum eſt mandatum, tum Ceroferarii ſumunt ſua candelabra, accenſis priùs eorum candelis, & collocant ſe retrò poſt Celebrantem. Deinde, miniſtrantibus Diacono, & Thuriferario de more, ſtantibus à dexteris Celebrantis, ipſe Celebrans imponit, & benedicit thus in Thuribulo, ſtans ante Crucem, vel Imaginem Sacriſtiæ, tum facta prædictæ Cruci, vel Imagini debita reverentia, procedunt ad locum paratum (ſi in Sacriſtia non ſit faciendum mandatum) hoc ordine: Præcedit Thuriferarius cum Navicula, tum Ceroferarii cum candelabris,

labris, deinde Ceremoniarius, & Clerus, & tandem Celebrans, medius inter Diaconum & Subdiaconum, junctis manibus, & tecto capite, exceptis tribus primis, & Ceremoniario.

XIX. Gavant. pag. 193. col. 2. lit. z *Si fiat Proceſſio à Sacriſtia, &c.*) In hac Proceſſione, quæ fit à Sacriſtia ad locum ubi faciendum eſt mandatum, controvertunt Auctores, utrùm ſit ferenda Crux à Subdiacono medio inter Ceroferarios? Negativam ſententiam tenet Biſſus *lit. C. num.* 593. eò quia nec in Miſſali, nec in Ceremoniali Epiſc. nec apud alium Auctorem, excepto (ait ipſe) uno Bauldry *part. 4. cap. 9. art. 5. n. 9.* ulla mentio fiat de Cruce in ejusmodi Proceſſione ferenda. Verùm præter Bauldry tenet hanc ſententiam etiam Gavantus *hac lit.* z. ubi ait -- Si fiat proceſſio à Sacriſtia ad locum deſtinatum, Subdiaconus ferat Crucem inter Acolythos -- unde mirari eſt, quomodò Biſſus aſſeveret, nullum alium Auctorem præter Bauldry facere mentionem dictæ Crucis à Subdiacono deferendæ in dicta Proceſſione. Si igitur feratur dicta Crux, in tali caſu perget utique Subdiaconus inter dictos Ceroferarios, & Diaconus à ſiniſtris Celebrantis.

Cùm pervenerint ad locum deputatum, Subdiaconus, ſi defert Crucem, præſtet ea, quæ tradit Gavantus; Ceroferarii verò hinc inde à lateribus Altaris in plano expectent Celebrantem, qui Cruci Altaris profundam facit reverentiam, aliis omnibus genuflectentibus (exceptis tamen Cruciferario, & Ceroferariis) ſed priùs Ceremoniarius accipit birreta Celebrantis, & Diaconi, quæ in loco congruo deponit. Clerus verò in duas partes dividitur, & accedit vel totus, vel pars ad legile, ſeu legilia, ſi plura ſint, ad decantandas Antiphonas, Pſalmos, ℣℣. &c. dum fiet pedum lotio, &c.

XX. Gavant. pag. 193. col. 2. lit. a *Impoſito priùs de more Incenſo, &c.*) Celebrans aſcendit ad Altare, illudque oſculatur in medio, & Diaconus, accepto de manu Ceremoniarii libro Evangeliorum, eum portat de more ad Altare cum debitis genuflexionibus, illumque in medio collocat, ùt in Miſſa, dum ipſe Celebrans ponit cum Benedictione Thus in Thuribulo, miniſtrante Diacono cum debitis oſculis, & cætera omnia præſtando, tam Celebrans, quàm Diaconus, ùt in Miſſa. Idem Diaconus procedit ad decantandum Evangelium, quo finito, Celebrans oſculatur librum delatum à Subdiacono.

XXI. Gavant. pag. 193. col. 2. lit. b *Facta incenſatione Celebrantis, &c.*) Ceroferarii deponunt candelabra ſuper Credentiam, Thuriferarius Thuribulum, & Miniſtri Sacri Manipulum ſuum, cum debitis reverentiis, ſeu genuflexionibus. Celebrans verò exuitur Pluviali per eosdem, illudque tradunt alicui Miniſtro, qui loco congruo deponat, & per eosdem præcingitur magno linteo ab Acolythis allato.

XXII. Rubr. num. 14. pag. 193. & Gavant. ibid. col. 2. lit. c *Extergit, & oſculatur, &c.*) Deinde medius inter Sacros Miniſtros, accedit ad lotionem pedum, & diſpoſitis per ordinem tresdecim numero (juxta Ceremoniale Epiſcop. *lib. 2. cap. 24.*) pauperibus, ſeu aliis, quibus ex more lavandi ſunt pedes, tectis capitibus (ùt ait Biſſus *lit. M. num.* 20. §. 4.) ùt in figura, quæ eſt in Ceremoniali Epiſc. depicta, & ſedentibus; genuflexus, & nudo capite lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuscujusque, nullo modo formans ſignum Crucis ſuper eum, ùt optimè advertit Gavantus, quem tamen priùs ille pauper debuit diſcalceare, & antequàm ſedeat, ſeorſim lavare debuiſſet pro ratione decentiæ, ne immundus appareat. Dum autem Celebrans pedem lavat, Subdiaconus à ſiniſtris Celebrantis genuflexus, tenet illum paululùm elevatum, ut commodiùs lavari poſſit; Diaconus verò à dexteris Celebrantis pariter genuflexus, extergit pedem lotum linteo, quo Celebrans eſt præcinctus. Ceremon. Epiſcop. *loc. cit.* Si tamen eſſent tot Mappulæ, ùt innuimus *ſupra*

(ſed

(id quod ad majorem decentiam conveniret) quot ſunt illi, quibus lavantur pedes, in tali caſu Diaconus pro unoquoque tradet Celebranti unam ex dictis mappulis, qui cum eo pedem lotum abſterget. Biſſus *ſuprà* §. 4. & Bauldry *ſuprà num.* 15. Interim autem aliquis Miniſter, ſeu Acolythus pelvim aqua plenam ſub pedibus lavandi tenet, alter miniſtrat aquam, quando opus eſt, alius urceo infundit aquam tepidam, quando pariter opus eſt, non enim eam miniſtret Diaconus, ùt docent Biſſus, & Bauldry *loc. cit.* Incipitur autem hæc lotio à Digniori, nimirum ab eo, qui Altari eſt propinquior, & ejus pede loto, unus ex prædictis Acolythis trahit pelvim ad pedes illius, qui proximè ſequitur; aliaque ſuppoſita, mutabit illam frequenter, prout viderit opportunum: & tunc aliquis deſignatus eam accipiens, effundet aquam in vas ad id præparatum, aut commodiorem locum, non verò in pavimentum. Thuriferarius autem tenere poterit Bacile, cum Mappulis, quas ſucceſſivè tradet ſine oſculis Diacono, & ab eo recipiet, cùm erit opus.

Si poſt lotionem pedum dandæ ſint pauperibus eleemoſynæ, aliquis Acolythus lancem cum eleemoſynis miniſtrabit, & Diaconus, loto, & exterſo pede, accipiet ex lance unam eleemoſynam, quam tradet Celebranti, & hic pauperi, qui eam accipiet cum oſculo manus Celebrantis, & ejusdem eleemoſynæ. Biſſus *ſuprà num.* 17.

XXIII. Rubr. num. 15. pag. 193. *Et interim hæc ſubſcripta cantantur, &c.*) Dum Celebrans incipit lotionem, Cantores in loco aſſignato intonant Antiphonas cum Pſalmis, ùt in Miſſali, & Chorus proſequitur. Verùm ad confuſiones vitandas, ſecurius eſt, prædicta omnia intonari, & cantari, eo modo, quo infrà optimè deſcribitur; clarè enim explicatur, à quibus intonandi ſint, & à quibus ſequendi ℣℣. Pſalmi, & Antiphonæ; id quod in Miſſali deſideratur, & ideò ſæpe oritur confuſio, quando cantantur, & intonantur antedicti ℣℣. Pſalmi, &c.

C*Antores primi Chori intonant Antiph.* Mandatum novum do vobis.

*Chorus proſequitur.* Ut diligatis invicem ſicùt dilexi vos, dicit Dominus.

*Iidem Cantor. intonant Pſalm.* Beati immaculati in via,

*Chorus proſequitur.* Qui ambulant in lege Domini.

*Iidem Cantor. iterum intonant Antiph.* Mandatum novum do vobis.

*Chorus proſequitur.* Ut diligatis invicem ſicùt dilexi vos, dicit Dominus

*Cantores 2. Chori intonant Antiph.* Poſtquàm ſurrexit Dominus à Cœna.

*Chorus proſequitur.* Miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare Pedes Diſcipulorum ſuorum: hoc exemplum reliquit eis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Iidem Cantor. intonant Pſalm.* Magnus Dominus, & laudabilis nimis.

*Chorus proſequitur.* In Civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

*Cantor.* 1. *Chori incipiunt Antiph.* Dominus Jeſus, poſtquàm cœnavit cum Diſcipulis ſuis, lavit pedes eorum, & ait illis:

*Chorus proſequitur.* Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus, & Magiſter? Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

*Iidem Cantores intonant Pſalm.* Benedixiſti Domine terram tuam.

*Chorus proſequitur.* Avertiſti captivitatem Jacob.

*Iidem Cantores incipiunt Antiph.* Dominus Jeſus, poſtquàm cœnavit cum Diſcipulis ſuis, lavit pedes eorum, & ait illis.

*Chorus proſequitur.* Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus, & Magiſter? Exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

*Cantores 2. Chori intonant Antiph.* Domine tu mihi lavas pedes?

*Chorus proſequitur.* Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.

*Iidem Cantores dicunt totum* ℣. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus.

*Chorus repetit Antiph.* Domine tu mihi lavas pedes? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi Pedes, non habebis partem mecum.

*Cantores 1. Chori dicunt totum* ℣. Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſteà.

*Chorus repetit Antiph.* Domine tu mihi lavas pedes? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum

*Cantores 2. Chori dicunt* ℣. Si ego Dominus, & Magiſter veſter lavi vobis pedes: quantò magis debetis alter alterius lavare pedes.

*Cantores 1. Chori incipiunt Pſalm.* Audite hæc, omnes gentes.

*Chorus*

*Chorus proſequitur.* Auribus percipite, qui habitatis orbem.
*Cantores 2. Chori incipiunt Antiph.* In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis.
*Chorus proſequitur.* Si dilectionem habueritis ad invicem.
*Iidem Cantores dicunt ℣.* Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis.
*Chorus repetit Antiph.* In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.
*Cantores 1. Chori incipiunt Antiph.* Maneant in vobis Fides, Spes, Charitas, tria hæc.
*Chorus proſequitur.* Major autem horum eſt Charitas.
*Iidem Cantores dicunt ℣.* Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major horum eſt Charitas
*Chorus repetit Antiph.* Maneant in vobis Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum eſt Charitas.
*Cantores 2. Chori aliquantò altiùs intonant Antiph.* Benedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas.
*Chorus proſequitur.* Confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.
*Iidem Cantores dicunt totum ℣.* Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu.
*Cantores 1. Chori intonant Pſalm.* Quam dilecta Tabernacula tua, Domine virtutum.
*Chorus proſequitur.* Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.
*Chorus repetit Antiph.* Benedicta ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.
*Cantores 2. Chori intonant Antiph.* Ubi Charitas, & Amor.
*Chorus proſequitur.* Deus ibi eſt.
*Iidem Cantores ℣.* Congregavit nos in unum Chriſti amor.
*Cantores 1. Chori ℣.* Exultemus, & in ipſo jucundemur.
*Cantores 2. Chori ℣.* Timeamus, & amemus Deum vivum.

*Cantores* 1. *Chori* ℣. Et ex corde diligamus nos ſincero.
*Chorus repetit Antiph.* Ubi Charitas, & Amor, Deus ibi eſt.
*Cantores* 2. *Chori* ℣. Simul ergo cùm in unum congregamur,
*Cantores* 1. *Chori* ℣. Ne nos mente dividamur, caveamus.
*Cantores* 2. *Chori* ℣. Ceſſent jurgia maligna, ceſſent lites.
*Cantores* 1. *Chori* ℣. Et in medio noſtri ſit Chriſtus Deus.
*Chorus iterum repetit Antiph.* Ubi Charitas, & Amor, Deus ibi eſt.
*Cantores* 2. *Chori* ℣. Simul quoque cum Beatis videamus,
*Cantores* 1. *Chori* ℣. Glorianter vultum tuum, Chriſte Deus,
*Cantores* 2. *Chori* ℣. Gaudium, quod eſt immenſum, atque probum.
*Cantores* 1. *Chori* ℣. Secula per infinita Seculorum. Amen.

*Hæc Norma intonandi, proſequendi, & cantandi prædictos* ℣℣. *Pſalmos, & Antiphonas, deſumpta eſt ex Rituali noſtræ Congregationis, & ex Ceremoniali PP. Minimorum, elaborato atque digeſto per Theodorum Solarium ejusdem Ordinis Profeſſorem; quem etiam ſecuti ſumus in repetendis Antiphonis, cùm hoc ſit conforme diſpoſitioni Rubricæ Miſſalis Romani, quæ ita præſcribit:* Antiphonæ, quæ habent Pſalmos, vel ℣℣. repetuntur, & de quolibet Pſalmo dicitur tantùm primus ℣. *Hæc ſunt verba præciſa Rubricæ, inſerta huic Mandato.*

XXIV. Rubr. n. 16. pag. 193. *Poſt lotionem Superior, &c.*) Completa lotione pedum, Acolythi aſportant ad Credentiam omnia Vaſa, ac Mappulas ibi deponunt, deinde ipſimet Acolythi ſumunt Urceum cum Bacili, in quo eſt mica panis, ac Manutergium, pro lavandis manibus Celebrantis, qui eas lavat, & extergit extra cornu Epiſtolæ. Mox à Miniſtris exuitur linteo, quo erat præcinctus, & induitur ſuo Pluviali. Poſteà iidem Miniſtri Sacri ſumunt ſuos Manipulos, & Ceroferarii Candelàbra, qui hinc inde accedunt ad latera Altaris in plano, cum debitis genuflexionibus, & Celebrans in cornu Epiſtolæ, Miniſtris poſt eum adſtantibus, alta voce, & devota dicit: *Pater noſter, &c.* & alios ℣℣. (Choro respondente) & Orationem, prout in Miſſali.

XXV. Gavant. pag. 193. col. 1. num. 17. *Finitis omnibus, &c.*) Finita Oratione, ſi prædicta functio peracta eſt in Sacriſtia, ibidem exuitur Celebrans, & Sacri Miniſtri; ſecus verò, ad eam redeunt cum reliquis de Clero, eodem modo, & ordine, quo vene-

ranc,

rant, præcedente Thuriferario ſine Thuribulo fumigante, ſacrasque veſtes in Sacriſtia deponunt.

XXVI. Gavant. pag. 193. col. 1. n. 18. *De hoc Mandato, &c.)* Quoniam JEſu Chriſti ævo omnes nudis pedibus cum Sandaliis tantùm incedebant, ac pedes ambulando facillimè deturpabant; hinc factum eſt, quòd hoſpitibus primùm omnium præſtabatur officium lavandi, & extergendi eorum pedes. S. Paulus *in epiſt. 1. ad Timotheum cap. 5.* ℣. 10. innuit, Viduarum munus eſſe, hoſpitalitatem exercere, & Fidelibus pedes abluere. De hac Ceremonia mentionem etiam facit S. Auguſtinus in Epiſtola ad Januarium, &c. Hanc eandem Chriſtus Dominus præſtitit erga Diſcipulos ſuos, eamque ipſiſmet præſcripſit exercendam illis verbis: *Mandatum novum do vobis, &c. exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.* Exemplo igitur, & Mandato Chriſti Domini inhærentes Epiſcopi, alii Prælati, & Superiores Regularium, necnon Principes Seculares, & ipſemet Romanus Pontifex, ſolent duodecim pauperibus, vel aliis, juxta Locorum, & Eccleſiarum conſuetudinem, lavare pedes.

Decimum ſeptimum Toletanum Concilium habitum anno 642. *Can. 3.* eam Ceremoniam hac Feria V. præcipit celebrari, & Bonifacius Moguntinus Antiſtes conſuluit antè Zachariam Pontificem, utrùm Sanctimonialibus liceret ſibi invicem lavare pedes, ſicùt homines faciunt in Cœna Domini, aliiſque diebus? Cui Pontifex reſpondit: licere; præceptumque Domini, non tam ad Maſculos, quàm ad Fœminas pertinere; & in vita S. Berthæ Abbatiſſæ Ordinis Vallumbroſani apud Bollandum 20. Martii legitur, eam Feria V. Sanctimonialibus ſuis pedes lavare conſueviſſe.

Sed circa hoc, ùt optimè adnotat Ceremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 24. n. 2.* diverſi ſunt Ritus Eccleſiarum, & reverà Narbonæ in Gallia quilibet Canonicus duodecim pauperibus pedes lavat; Lauduni verò, non pedes, ſed manus omnium Canonicorum lavantur in Capitulo hac die; & pluribus in Monaſteriis, ùt aſſerit Grancolas *lib. 2. ſui Commentarii Hiſtorici cap. 61.* mutatus eſt uſus lavandi pauperum pedes, & lavantur eodem ſtatuto numero manus, ſingulis Quadrageſimæ diebus ante prandium. Rurſus magna etiam diſcrepantia eſt circa hunc Ritum inter Ceremoniale Epiſc. & inter Ordines Romanos, praximque nonnullarum Eccleſiarum, ac Principium laicorum; nam præfatum Ceremoniale Epiſc. aſſerit, alicubi in uſu eſſe, veſtire ſumptibus Epiſcopi, vel Capituli, tresdecim pauperes, eoſdemque cibo, & potu reficere, & mox ſuo tempore eiſdem pedes lavare, & eleemoſynam præbere: alibi verò Epiſcopos lavare pedes tredecim ex ſuis Canonicis; dictumque Ceremoniale ſolùm relinquit arbitrio Epiſcopi, vel conſuetudini Eccleſiarum, lavandi pedes tredecim pauperibus, vel tredecim Canonicis; ſed circa numerum lavandorum nullum relinquit arbitrium, & hinc eſt, quòd Caſtaldus, Bauldry, Biſſus, & alii Rubriciſtæ ſemper aſſerunt, lavandos debere eſſe tredecim numero. Multæ verò Eccleſiæ, ùt ſuprà innuimus, in uſu habent lavare pedes duodecim pauperibus, vel aliis, ſicùt etiam Ordines Romani à Mabillonio vulgati eundem numerum præſcribunt, ex quo Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolis pedes laverit. Sic in Ordine X. Romano *num. 12.* dicitur, quòd Pontifex, poſt Miſſam celebratam hac die, ſine Planeta reſidens in Sede, facit Mandatum duodecim Diaconorum. In Ordine verò Romano XIV. ab eodem Mabillonio vulgato Auctore Cajetano *num. 91.* aſſeritur, quòd Papa peragendo Mandatum lavat pedes duodecim Diaconibus, vel Cappellanis in defectu ipſorum. Rurſus in eodem *Ordine num. 84.* inſcripto *de Mandato fiendo in die Jovis Sancto Rubrica*, hæc verba leguntur: Ipſe verò (nempe Papa) præcinctus linteo, habens ante ſe linteum mundum,

quo

quo unus Diaconus, qui ei ſervit, ſecundùm Dominum Jacobum Cajetanum, ipſum Papam præcingit, Bracheolam ad hoc portatam, habens in brachiis, & linteum mundum ante ſe tenens, quæ omnia debent parari per Theſaurarium, vel Fratres de Proguota, & duodecim Subdiaconi manent foris Baſilicam diſcalceati: duo verò Oſtiarii accipiunt priorem in Ulnis, & portant eum ante Pontificem; Pontifex verò cum aqua calida, quam infundere debent Cubicularii, lavat pedes ejus, & tergit linteo, & deoſculatur pedem ejus dexterum, & dat ei duos ſolidos, & ſic facit unicuique Subdiaconorum, & dat eis duodecim denarios -- Ex quibus verbis prædicti Ordinis Romani duo colliguntur: primum, ùt notat optimè Mabillon ibi, hoc non eſſe purum putum dicti Cajetani Ordinem, ſed ab aliquo alio interpolatum, maximè in iis locis, ubi Rubricæ vocabulum in Titulo apponitur. Secundum, quod adverti debet, eſt, quòd ibi pariter numerus lavandorum eſt duodenarius, & quòd lavandi erant Subdiaconi. Denique in Ordine Romano XV. Auctor. Petro Amelio *num*, 68. narratur, quòd Patriarcha Gradenſis Confeſſor, in defectum Papæ, de mandato ipſius, lavit illa die pedes pauperum in parva Cappella, non declarando, quot fuerint dicti pauperes: nimirum 12. vel 13. *numero* verò 69. mentionem facit lotionis 12. Subdiaconorum.

Verùm in Ceremoniali Papæ, ſeu Romano, ab Auguſtino Patritio Piccolomineo Epiſcopo Pientino digeſto, & à Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo evulgato Venetiis Anno 1516. die 21. Novembris Typis Gregorii de Gregoriis, de qua re legi poſſunt ea, quæ tradit Mabillon in ſuo eruditiſſimo Commentario ad Ordinem Romanum *pag*. 5. *& ſeqq*. & in Appendice, quæ habetur ad calcem Ordinum Romanorum ab eodem editorum *pag*. 584. *& ſeqq*. in prædicto, inquam, Ceremoniali Romano, ſeu Papæ, *lib*. 2. *cap*. 46. apertè declaratur, Papam lavare pedes in hac quinta Feria majori tredecim pauperibus, in albis veſtibus novis à Papa ſibi datis, &c. *cap*. verò 49. in eodem Ceremoniali præſcribitur, quòd Papa abſente, debeat fieri lotio pedum tredecim pauperum ab aliquo ex Cardinalibus; unde liquet, non ſolùm in Ceremoniali Epiſcoporum, ſed etiam in Ceremoniali Papæ, talem numerum, nimirum tredecim, lavandorum eſſe præſcriptum, cujus myſterium non miror, ſicut mirari videtur Pompejus Sarnellius, quòd neque Iſidorus Hiſpalenſis, neque Alcuinus, neque Amalarius, neque ullus alius ex antiquis Sacrorum Rituum, & Rubricarum Interpretibus, explicaverit; nam antiquitus non erat præſcriptus talis numerus lavandorum, & idcirco ab antiquis Auctoribus mirum non eſt, ſi de myſterio talis numeri nihil fuerit inveſtigatum.

Primus quæſtionem hanc ex profeſſo tractavit mox laudatus eruditiſſimus Sarnellius Vigilienſis Antiſtes *tom*. 1. *epiſt*. 13. qui duplicem apud Rupertum lotionem inveniens hac die peractam, quarum prima repræſentabat Mariæ lotionem, quam Chriſti Domini pedibus exhibuit in domo Phariſæi, altera verò exprimebat ablutionem à Chriſto Domino factam Diſcipulorum pedibus, pridie quàm pateretur, exiſtimavit, quòd Romana Eccleſia, experimento edocta, duas lotiones eadem die commodè fieri non poſſe, ob plures functiones, quæ Feria quinta peragi debent, exiſtimavit, inquam, quòd Eccleſia Romana decreverit, ut una & eadem lotio ambas exprimeret, jubens, ut Epiſcopus tredecim pauperum pedes ablueret, quorum primus Chriſtum ipſum repræſentaret, cui Eccleſia Mariæ exemplo pedes ungat, reliqui duodecim Apoſtolos deſignarent, quorum pedes lavit Chriſtus. Ruperti verba, quæ huic ſententiæ locum dederunt, ſunt hæc -- *Mandatum, quod agitur inter pauperes, non omnino ejusdem rationis eſt. Illud enim Chriſti, hoc Eccleſia eſt. Illud diei præſentis, hoc præteriti ſpectat hiſtoriam Sabbati. Sabbato nam-*

*[n]amque, quando venit Dominus Jeſus Bethaniam, &c. Maria accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & extersit capillis pedes ejus, &c. Mulierem illam imitatur Eccleſia, pedes Domini ungens, ideſt pauperes eleemoſynis refovens, qui licèt infima, tamen ejus membra ſunt, & ſicùt pedes, ita magis corporis ejus extremæ reputantur partes. Hos pedes capillis ſuis terſit, id eſt ſuperfluis rerum ſuarum refecit, ſicùt Apoſtolus ait: veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat. Hoc ergo mandatum Eccleſiæ obſequium eſt, ideoque cuncta congregatio pedes lavat pauperum. In illo autem, ùt dictum eſt, Prælati vice Chriſti deſerviunt*-- In hujus rei confirmationem illud etiam Sarnellius adjecit, in antiquo nimirum Ordine Romano præſcribi Antiphonas recitandas tempore mandati, quæ Mariæ Chriſti pedes ungentis narrant hiſtoriam. Hanc Sarnellii ſententiam pluribus argumentis impugnant doctiſſimi Viri, Orlendus, & Freſcobaldi, quorum rationibus libenter acquieſcimus.

Putant alii, in tertio decimo pauperum repræſentari Divum Paulum; cujus placiti Auctor primus fuit noſter Paulus Areſius Vir eruditiſſimus Epiſcopus Dertonenſis *lib.* 5. ex iis, quos Italicè inſcripſit: *delle ſagre impreſe, impreſa* 126. *num.* 30. *pag.* 341. non quòd dictus Paulus Cœnæ aſſideret, quem certum eſt poſt Salvatoris aſcenſum fuiſſe vocatum, ſed ob peculiarem reverentiam Romanæ Eccleſiæ præ cæteris erga Concivem ſuum, & Apoſtolum, quem unà cum Petro ſuſceptæ Chriſtianæ Fidei cognoſcit Auctorem. Opinionem hanc ſua non carere probabilitate demonſtrat laudatus Orlendus Ordinis Prædicatorum Magiſter *cap.* 13. operis, quod inſcripſit: *Duplex lavacrum in Cœna Domini fideliter exhibitum* Florentiæ Anno 1710. eamque vindicat à cenſuris Freſcobaldi. Hic verò Auctor in opuſculo edito Anno 1709. ſub hoc titulo: *Pedilavium, ſive de numero pauperum, quibus lavandi ſunt pedes Feria V. majoris hebdomadæ*; putat, Eccleſiam ideò tredecim pauperum lavare pedes, quia Chriſtus tredecim pedes lavit; ſi autem quæras, quis fuerit ille tertius decimus, cui Chriſtus pedes laverit, reſpondebit, fuiſſe illum Patrem familias, in cujus domum Chriſtus, Paſcha cum Apoſtolis celebraturus, diverterat, quem propterea in tertio decimo pauperum repræſentat Eccleſia. Opinionem hanc meritò, tanquam Evangelio contrariam, Orlendus impugnat; certum enim eſt ex Evangelio, Chriſtum cum duodecim tantùm Apoſtolis Cœnam celebraſſe. Demum Orlendus ipſe, poſtquàm omnes hac de re Auctorum ſententias retulit, & earum momenta accuratè perpendit, concludit, intertum admodùm eſſe, quos numerus ille exprimat, quem Romana præſcribit Eccleſia in tredecim pauperibus aqua luſtrandis: equidem id ſatis incertum eſt, noſtros tamen ſenſus ut fateamur, liberè pronunciabimus, videri nobis in hoc numero nullum latere Myſterium, neque Romanam Eccleſiam, cùm hac die lavare cœpit tredecim pauperum pedes, exemplum imitari voluiſſe Chriſti Domini duodecim Diſcipulorum pedes lavantis.

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

Etenim duplex olim in Eccleſia Romana fiebat lotio pedum Feria V. majoris hebdomadæ; primam exhibebat Pontifex duodecim Subdiaconis, ſtatim ac Miſſam abſolverat; alteram poſt prandium tredecim pauperibus. Id colligitur ex Ordine Romano à Cencio Camerario tempore Cœleſtini edito, in quo iſta leguntur -- *Duodecim Diaconi cum Priore remanent extra Baſilicam diſcalceati, ſchola Oſtiariorum, & Mappulariorum accipiunt Priorem Baſilicæ, & alios undecim Subdiaconos in ulnis ſuis, ſicque per ordinem portant eos, unum poſt alium, ante D. Papam, Pontifex autem lavat pedes eorum, & tergit cum linteo, & poſtmodùm oſculatur, & dat unicuique duos ſolidos* -- De altera verò lotione hæc paulò poſt refert -- *Comeſtione autem finita, D. Papa intrat Cameram, ibique incontinenti facit mandatum abluendo tredecim pauperibus pedes,*

*des, & extergendo, & poſtmodùm oſculando. Ibi etiam Camerarius eſt paratus, qui Domino Papæ porriget Marabonitos ſingulos ſingulis pauperibus erogandos. Hoc facto, Dominus Papa dat eisdem pauperibus manu propria ad potandum.*

Non dubium, quin prima lotio Chriſtum repræſentet duodecim Apoſtolorum pedes lavantem; quid verò ſignificet altera lotio, Scriptores non ſatis intelligunt. Sed obſervandum eſt, Eccleſiam Romanam à Gregorii Magni temporibus uſque ad noſtram ætatem quotidie tredecim pauperes convivio excipere, in memoriam illius geſti, quod contigit ætate Gregorii Magni, quando nimirum duodecim pauperibus, quibus Gregorius prandium erogabat, ſeſe decimustertius adjunxit, ſcilicet Angelus. Cùm ergò vides, Eccleſiam Romanam antiquitus laviſſe pedes tredecim pauperum, nullum tibi myſterium in mentem veniat; ſed opinare tantùm, Pontificem, ut majus humilitatis præberet exemplum die Jovis Sancto, non ſolum pauperes excepiſſe convivio, quod quotidie fiebat, ſed etiam eorum pedes abluiſſe. Hinc cùm prior illa conſuetudo Subdiaconorum pedes lavandi deſierit, & altera Romæ retenta fuerit, manifeſtum eſt, Romanam Eccleſiam, lavando pedes tredecim pauperibus, neque Paulum, neque Mathiam, nec Dominum Domus, nec Chriſtum ipſum in tertiodecimo pauperum exhibere, ſed ea die imitari voluiſſe, & exemplum Chriſti lavantis Apoſtolorum pedes, & Gregorii charitatem tredecim pauperes prandio excipientis. Ut autem magis exprimeretur Chriſti Domini factum, ſeliguntur modò à Pontifice tredecim quidem pauperes, ſed Presbyteri, quod aliis diebus non fit. Rem ita eſſe, illud etiam evincit, quòd Eccleſia Romana Feria V. majoris hebdomadæ non aliis pauperibus prandium diſtribuit, quàm iis, quibus lavandi ſunt pedes: ergo Eccleſia in die Sancto Jovis morem conſuetum obſervat, dum pauperibus prandium exhibet, & quia tredecim ſunt, quos quotidiano convivio reficere ſolet, idcirco tredecim ſunt, quorum eadem die pedes abluuntur.

## De eadem Feria V. Majoris Hebdomadæ, & de Sacris ejus Ritibus peragendis in Minoribus Eccleſiis.

XXVII. Ante Officium præparentur in Altari omnia, quæ requiruntur pro dicenda Miſſa propria hujus diei. Advertatur tamen, quòd Crux, quæ eſt inter candelabra, remaneat tecta velo violacei coloris, juxta noſtram ſententiam ſuprà, & Miſſale collocetur ſuper pulvino albo, ſeu legili in cornu Epiſtolæ. In Abaco verò, ſeu Credentia, ſit Calix pro Miſſa, cum ornamentis coloris albi, & duplici Hoſtia. Rurſus ſit etiam alius Calix, cum Palla, Patena, velo albo, & ligula ſerica albi coloris; deinde Pyxis cum Particulis conſecrandis ad Communionem Populi, Thuribulum cum Navicula, Velum humerale albi coloris; prope Credentiam verò ſit præparata Crux proceſſionalis, cooperta velo violaceo, & extra cancellos Baldacchinum haſtatum albi coloris pro Proceſſione, vel in defectum Baldacchini paretur umbella dicti coloris prope Credentiam. Denique crotalum pro ſigno ſalutationis Angelicæ. In Sacriſtia tria Superpellicea pro Clericis, & omnia ea ſint parata, quæ requiruntur pro Miſſa Privata celebranda. Præterea Pluviale album pro Proceſſione, & Stola violacea pro denudatione Altaris; ita etiam funalia, ſive candelæ pro dicta Proceſſione.

In Sacello verò, pro reponendo SS. Sacramento, debent diſponi, & parari omnia ea, quæ diximus ſuprà, nempe Altare erectum cum luminibus, &c. Capſula elegans,

clave

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

clave firmanda, pro Calice ſervando; Corporale ſtratum intra Capſulam; aliud Corporale ſuper Altare, & ſcabellum graduatum, pro repoſitione Calicis in Capſula.

Hora congrua Rector Eccleſiæ Miſſam celebraturus, induit ſe paramentis Miſſalibus albi coloris, & interim primus Clericus accendit candelas in Altari majori, aptat Calicem in medio ejus, & retro illum Pyxidem cum Particulis. Deinde idem Celebrans, præcedente primo Clerico, & poſt eum ſecundo cum tertio, manibus junctis procedit recto capite ad Altare, ubi Miſſam de die celebrabit cum cantu, ſi fieri poteſt, eo modo, quo diximus ſuprà in Dominica Palmarum, & quando cantatur Miſſa ſine Miniſtris. In eadem Miſſa, ultra Hoſtiam conſuetam, conſecratur & alia, & Particulæ pro Communione Fidelium, & pro Infirmis. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad Altare Calicem vacuum, cum Palla, Patena, Velo albi coloris, & Vitta ſerica. Idem Celebrans, ſumpto Sanguine, & cooperto Calice, ex quo eum ſumpſit, ponit alterum Calicem à primo Clerico delatum in medio Corporalis, & detegit, deinde genuflectit, & alteram Hoſtiam conſecratam in eo reponit, cooperit Palla, & Patena inverſa, velumque deſuper expandit, quo facto, facit Communionem Clericorum apud Altare, juxta morem conſuetum, cum debitis genuflexionibus, deinde Virorum, & Mulierum ad cancellos.

Peracta Communione, Celebrans ad Altare cooperit Pyxidem, eamque reponit in Tabernaculo, poſteà proſequitur Miſſam cum iiſdem Ritibus, & Ceremoniis, ac ſi eſſet expoſitum SS. Sacramentum ad Altare. Sumpta ab eodem Celebrante ablutione digitorum, Calix Miſſæ defertur à primo Clerico ad Credentiam. Interim accenduntur candelæ in Sacello Sepulchri, diſponitur Baldacchinum, ſeu umbella, & diſtribuuntur cerei pro ſodalibus, ſi adſint, vel cultioribus de Populo.

Finita Miſſa, accedit ad medium Altaris, genuflectit, & per viam breviorem deſcendit ad planum Epiſtolæ, ibique per manus Clericorum deponit Planetam, & Manipulum, & accipit Pluviale albi coloris. Utrùm autem in defectu Pluvialis debeat deponere Caſulam, & Manipulum, an verò ob majorem erga Sacramentum reverentiam retinere Caſulam (deponendo tamen Manipulum) eaque uti pro Pluviali, controvertitur inter DD. Bauldry agens de Feria V. in Cœna Domini *art. 6. num. 5.* ſuſtinet, loco Pluvialis adhibendam eſſe Planetam, cui ſententiæ adhæret etiam Boverius in Ceremoniali PP. Cappuccinorum; quibus tamen opponitur P. Victorius ejusdem Ordinis Cappuccinorum in Synopſi Sacrorum Rituum *pag. mihi* 60. hac permotus ratione, nimirum quia cùm in Rubricis, tum generalibus, tum particularibus, præcipiatur, ut in caſibus, in quibus Pluvialis uſus præſcribitur, Sacerdos (eo deficiente) ſtet ſine Planeta, cum Stola tantùm ſuper Albam, ſine Manipulo; hinc infert, quòd inhærendo Rubricis, Planeta pro Pluviali inſervire non poteſt. Et quamvis Rubrica Generalis Miſſæ *part. 1. tit. 19. num.* 4. videatur reſtricta ad ſolas benedictiones, quæ fiunt in Altari; nihilominùs Auctores illam paſſim ad alios caſus ſimiles extendunt: videlicèt Gavantus *part. 2. tit. 13. num.* 4. & Biſſus *lit. M num. 22.* ad abſolutionem poſt Miſſam Defunctorum, Claudius Arnaud. *tract. 1. part. 1. tit.* 19. *num.* 4. ad Proceſſionem, Caſtaldus *lib. 2 ſect. 2. cap. 1. num. 5.* ad aſperſionem Aquæ benedictæ, quæ fit diebus Dominicis, & idem docet P. Quarti de Benedictionibus *tit. 3. ſect. 1. num.* 4. qui in Commentariis ſuper Rubricas Miſſalis *part.* 1. *tit.* 19 *num.* 4. eam generalem Rubricam, ſeu Legem, accipit tanquàm abſolutè, & generaliter latam; & tandem Anonymus quidam à præfato P. Victorio allegatus, Rubricarum peritiſſimus,

Ccc c 2 ùt

ùt ait ipſe, in Rituum expoſitione *part. 2. cap. 1. num. 2.* eam extendit ad Expoſitionem, ac Benedictionem SS. Sacramenti. Gavantus verò *part. 1. tit. 19. num. 4. lit.* m. apertè docet, quòd *Planeta cum Stola eſt habitus ad Miſſam tantùm, & ideò potiùs Stola ſuper Albam ſufficit, deficiente Pluviali.* Ex his præfatus P. Victorius deducit, quòd ſine Planeta in defectu Pluvialis debeat deferri SS. Sacramentum hac die ad Sacellum, ubi eſt Capſula, in qua reponi debet. Verùm contraria ſententia non caret ſua probabilitate, & cùm hæc Proceſſio ſit quoddam veluti complementum Miſſæ anteà celebratæ, valdè decens videtur, quòd à Celebrante deferatur Sacramentum cum Caſula, ſicùt poſtridie ex Rubricis ejus diei reportandum eſt Sacramentum à Sepulchro ad Altare cum Planeta, & in Feſto Corporis Chriſti, plerisque in locis interſint Proceſſioni hujus diei aliqui Sacerdotes Planeta induti.

Sacerdos, inquam, paratus ùt ſuprà, vel cum Pluviali, vel ſine ipſo cum Stola, per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi flectit utrumque genu, deinde manens genuflexus ſuper infimo Altaris gradu, præterquàm dum imponit Thus in Thuribulo, miniſtrante aliquo Acolytho, ſine oſculis, & benedictione, deinde Sacramentum incenſat triplici ductu, poſteà ſumit Velum humerale adjuvante aliquo Acolytho, & ſurgens aſcendit ad ſuppedaneum Altaris ; genuflectit, deinde ſurgit, & ad cautelam firmat velum Calicis ligula ſerica. Accipit deinde Calicem ſiniſtra per nodum, ſubmittens eam velo, & dexteram ponit ſupra Calicem, ſupra quam ſecundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis.

Si nulli ſint Cantores, ipſemet Celebrans, facie ad Populum converſa, incipit Hymnum: *Pange lingua, &c.* poſtque ſtatim ncipit Proceſſio, in qua proceditur ordine equenti.

Primò, procedunt Sodales alicujus Confraternitatis, ſi qui ſunt, vel pii Viri cum luminibus. Secundò, Crux proceſſionalis delata à tertio Clerico. Tertiò, primus Clericus cum Thuribulo fumigante. Quartò, Celebrans ſub Baldacchino, vel ſub umbella, & à ſiniſtris ejus Clericus, elevans ejus veſtis anterioris extremitates, dum deſcendit gradus, vel aſcendit, & recitans cum eodem Sacerdote *Pangue lingua, &c.* illumque proſequendo.

Cùm perventum fuerit ad Sacellum, omnes ſe diſponunt per duas partes, ita ut Celebrans & Thuriferarius tranſire poſſint per medium illorum, deferens verò Crucem, ſiſtet è regione Sacelli. Celebrans aſcendit ad Altare ejuſdem Sacelli, & deponit Calicem ſuper Corporale extenſum in ejus Menſa, & deinde deſcendit primum gradum, ac genuflexus in ſuppedaneo, deponit Velum humerale. Interim deferentes Baldacchinum aſportant illud in locum congruum, tunc Celebrans ſurgens, imponit Incenſum in Thuribulum ſine benedictione, & ſine oſculis, & utroque genu procumbens, inclinans profundè capite anteà, & poſt, Sacramentum incenſat triplici ductu, recitantibus interim Clericis ℣. *Tantum ergo Sacramentum, &c.*

Facta incenſatione, ſurgit, & genuflexione iterum facta, poſteà Calicem in Capſula reponit, eamque claudit, deinde deſcendit ad ſecundum, vel infimum gradum, ubi parumper orat; deinde ſurgit, & facta iterum genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam recedit, præcedente Cruce, medius inter duos Clericos, & revertitur ad Altare majus, ibique facta genuflexione, aſcendit ad ſuppedaneum, indeque extrahit è Tabernaculo, & defert Pyxidem, in qua ſunt Particulæ, præcedentibus duobus Clericis cum candelis accenſis ad locum, ubi eſt Calix reconditus, vel ad alium locum paratum; quo facto, pergit in Sacriſtiam, ubi deponit paramenta alba, ſed non Albam; poſt-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſtea accedit in Chorum, ubi incipit, & proſequitur Veſperas ſine cantu, quibus finitis, ſumit Stolam violaceam ſuper Albam pendentem ante pectus, & procedit ita indutus ad denudationem Altaris, adjuvante aliquo Miniſtro, ſeu pluribus, dicens Antiphonam: *Diviſerunt ſibi, &c.* & Pſalmum *Deus, Deus meus, reſpice in me, &c.* quem interim Cantores proſequuntur, ſi qui fortè adſint.

Denudatis etiam aliis Altaribus, ſi quæ ſint, redit ante Altare majus, ubi poſt ultimum ℣. Pſalmi, & repetita Antiphona, genuflectit cum omnibus aliis, dum aliquis Clericus dat ſignum Salutationis Angelicæ cum crotalo; Surgit deinde, & facta genuflexione Cruci cum ſuis Clericis, revertitur in Sacriſtiam, ubi paramenta deponit, & gratias Deo agit.

Curare debet Eccleſiæ Rector, ut aſſiduè adſint, qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, & decens numerus Cereorum in eo colluceat.

Antequàm finem imponamus Obſervationibus, quæ ſpectant ad Ritus dirigendos hujus diei, advertere debemus, quòd tota hebdomada, ſicùt alibi diximus, non poſſunt celebrari Miſſæ de Requiem, etiam præſente Cadavere, ſed per totum hoc ultimum triduum neque poſſunt celebrari Exequiæ ſollemnes pro Defunctis, uti decrevit Sac. Rit. Congregatio die 11. Auguſti 1736. *in Placentina*, quod Decretum datum eſt in noſtro Indice ſub *n. 690.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. IX. De Feria VI. in Paraſceve.

I. Gavant. pag. 194. col. 1. n. 1. *Inſtitutum Feria Paraſceve, &c.*) Apoſtolos, Myſteriorum, quorum ipſi fuerant teſtes, inſtituentes Feſta, unum in Dominicæ Paſſionis honorem præcepiſſe, communis eſt Eccleſiæ ſententia, Auguſtini etiam auctoritate firmata, quæ habetur *in epiſtola* 45. novæ editionis. Hoc autem Feſtum, licèt auguſtiſſimum eſſet, precibus tamen, jejuniis, & mortificatione potiùs quàm lætitiæ ſignis celebrabatur. Tertullianus hanc diem Paſchatis nomine non ſemel appellat, tum lib. adversùs Judæos, tum lib. quarto adversùs Marcionem, tum lib. de Oratione, ubi affirmat, diem Paſchatis eſſe diem luctus, & publici jejunii, ac propterea pacem in Fidelium cœtibus oſculo non eſſe tribuendam, his verbis: *Sic & die Paſcha, quo communis, & quaſi publica jejunii Religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus.* Nunc ad ejuſdem Feriæ recentes Ritus minutè examinandos deſcendimus.

## Pro Ritibus ſervandis à principio Officii hujus Feriæ VI. in Paraſceve, uſque ad finem Tractus, antequàm incipiatur Paſſio.

## De præparandis pro dicto Officio hujus Feriæ in Altari majori. §. I.

II. Altare majus, & gradus ejus, debent eſſe omnino nudi, Tabernaculum SS. Sacramenti ſit pariter nudum, vel coopertum conopeo potiùs violaceo, quàm nigro, ùt ſuprà diximus. In medio ejuſdem Altaris collocetur Crux cooperta velo nigro, ùt ait Ga-

vantus *hoc tit. lit.* b. vel potiùs violaceo, ùt docet Bauldry *part.* 4. *cap.* 10. *de Feria VI. in Paraſceve art.* 1. *n.* 1. & Turrinus *part.* 6. *ſect.* 2. *cap.* 2. ſed dictum velum ita componatur, ut facilè denudari poſſit ante adorationem Crucis, de qua infrà. Solent aliqui, ùt diximus ſuprà, aliam Crucem formæ grandioris, diverſam ab illa, quæ eſt inter candelabra, ſuo velo coopertam, ſuper Altare hac die præparare, ſed videtur, eſſe diſcooperiendam à Celebrante illam eandem Crucem, quæ eſt inter candelabra; præterquàm quòd ex ipſa Rubrica infrà attentè conſiderata, & ex figura Ceremonialis Epiſcoporum ſub Innocentio X. impreſſi *l b* 2. *cap.* 26. apertè deducitur, diſcooperiendam eſſe à Celebrante illam eandem Crucem, quæ eſt inter ſupradicta candelabra, quia in illa figura Crux adoranda eſt poſita ſuper gradus Altaris, & pes ſolus inter candelabra ſine Cruce conſpicitur, ex quo patet, Crucem adorandam ex illo pede deſumptam fuiſſe, ùt obſervat Biſſus *lit. A. num.* 295. & Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 11. *num.* 11. ac proptereà curare debet omnimodè Ceremoniarius (ſi Crux ordinaria Altaris eſſet valdè incommoda) ut Crux alia adoranda collocetur in medio Altaris, quæ ſuo tempore diſcooperiatur, & hæc eadem publicæ adorationi jam expoſita, poſtmodùm ſuo in pede in medio Altaris inter candelabra reponetur. Prætereà ſuper idem Altare poni debent ſex candelabra obſcuri coloris, ferrea, aut lignea, cum candelis ceræ communis extinctis, nihilque aliud ſuper idem Altare ponatur præter prædicta.

Antequàm Celebrans accedat ad Altare, vel circa finem Nonæ, Ceremoniarius, vel Sacriſta ponat tres cuſſinos coriaceos, vel laneos ſuper ultimum gradum Altaris, parùm diſtantes inter ſe, ſuper quos Celebrans, & Miniſtri Sacri, dum ſtant proſtrati ſuper pavimentum Cappellæ, deponent brachia, ùt infrà. Bauldry *ſuprà art.* 2. *n.* 2. Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 2 In plano Presbyterii ante gradus Altaris non debet ſterni pannus niger, qui infimo gradui inhæreat, juxta ſententiam Gavanti *hic*, Arnaudi, & Hippolyti à Portu *cap.* 2. *de Officio hujus Feriæ art* 11. *num.* 17. tum quia talis pannus ſapit ſolemnitatem, tum quia graduum munditiès, & Cappellæ, excludit neceſſitatem hujus panni, quem tamen Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 1. *n.* 5. ſterni debere aſſerit.

## De præparandis in Abaco, ſeu Credentia Altaris majoris. §. II.

III. Credentia ſit etiam nuda, ſed paulò ante Officium tegi debet Mappa linea alba à nulla parte pendente: Gavantus *hoc tit. lit.* b. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. Biſſus *lit. C. num.* 555. vel quæ ad ſummum per ejus latera tantillùm pendeat; ex Bauldry *part.* 4. *art.* 1 *n.* 1. In medio ipſius Credentiæ à parte anteriori poni debet Burſa nigra Corporalium, quaſi jacens, cum Purificatorio, habens intus Corporale mundum. Gavantus *ſuprà*; Bauldry *ſuprà n.* 4. Hippolytus à Portu *ſup. n.* 15.

Ad latus Burſæ, versùs Altare, cuſſinus niger cum Miſſali pro Celebrante. Ad latus ſiniſtrum alius liber Miſſalis pro Miniſtris, quæ Miſſalia ſint tecta, ſi fieri poteſt, tegumentis nigris. Poſt Burſam pelvicula, cum ampullis aquæ, & vini, omnino vitreis, cum manutergio. Ante Burſam collocetur Mappa oblonga plicata, explicanda ſuper Altare ad initium Officii. Poſt Miſſale Sacerdotis Velum humerale album, ſed hoc, ùt dicemus infrà, meliùs collocabitur in Sacello, ubi eſt SS. Sacramentum, cùm Celebrans illud ibidem ad Proceſſionem ſumere debeat. Poſt Miniſtrorum Miſſale Stola latior nigri coloris pro Diacono, qua utetur, cùm cantabit eam partem Paſſionis, quæ dicitur in tono Evangelii, & in Proceſſione, ac reliquo Officio uſque ad finem; Bauldry *ſup. n.* 2. Hip-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hippolytus à Portu *ſuprà*; prope pelviculam ampullarum vas vitreum ad purificandos digitos, & purificatorium ad eos tergendos, ſi fortè Celebrans tetigerit Sacramentum, dum illud deponet in Patenam; Bauldry *ſuprà*; niſi commodius videatur, collocare dictum vas ſuper Altare, non procul ab oſtiolo aperto Tabernaculi; Hippolytus à Portu *ſupra*. Collocetur etiam in ea velum parvum nigrum, pro cooperiendo, & reportando Calice ad Credentiam poſt Officium. Memoriale Rituum majoris hebdomadæ *tit.* §. *de Feria VI. in Paraſceve*, *tit.* 1 *de Abaco, ſeu Credentia num.* 10. octo candelæ ex cera alba tradendæ octo Haſtiferis poſt regreſſum Proceſſionis. Memoriale prædictum *ibidem num.* 14. In medio partis poſterioris ipſius Credentiæ aliqui addunt colloeandum eſſe Bacile, Buccale, & Pateram argenteam, pro lotione manuum Celebrantis, & unum mantile, ſeu manutergium pro abſterſione earundem, præſertim, quando Celebrans eſt in aliqua dignitate conſtitutus. Denique ubi eſt conſuetudo, debet poni pelvis, ſeu lanx argentea, ad recipiendas oblationes, quæ Cruci offeruntur, tam à Clericis, quàm à Viris de Populo, in ipſius adoratione. Ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 2.

## De aliis præparandis in Presbyterio, & Choro. §. III.

IV. In Presbyterio, vel in aliquo loco congruo, remoto tamen, & ſeparato ab Altari, præparentur tres cuſſini coriacei, vel ex alia materia coloris violacei, de quibus ſuprà; item in eodem loco, ſive in Choro, paretur tapes oblongus, ſeu pannus violaceus, extendendus ſuo tempore pro adoratione Crucis. Magnus etiam pulvinus ex ſerico villoſo violaceo, vel ex alia materia ſerica, ubi Crux erit ponenda, & velum album ſerico violaceo contextum, ſuper eo explicandum; Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 3. Bauldry *part.* 4. *cap.* 10. *art.* 1. *num.* 5. Biſſus *tom.* 1. *lit. F num* 45. §. 1. & ſi ob Populi frequentiam pluribus in locis, ad evitandam confuſionem per Eccleſiam, Sacræ Crucis imagines exponendæ eſſent, hæc omnia multiplicari poterunt, & aliæ Cruces præparari.

Parentur etiam in aliquo loco aliquantulùm remoto versùs cornu Evangelii tria legilia nuda, ſuper quæ cantabitur Paſſio, ſicùt & tria Miſſalia pro Paſſione decantanda, vel potiùs tres Codices, in quibus diligenter notata ſit Paſſio.

Ponatur ſcamnum oblongum in Presbyterio omnino nudum à parte Epiſtolæ, in quo Celebrans, & Miniſtri Sacri ſuo tempore ſedere debent. Bauldry *ſup. n.* 7. Biſſus *ſuprà*, Gerlacus Vinitor *part.* 6. *tit.* 1. *n.* 3.

Item in eodem loco inſtrumentum ligneum, ſeu crotalum, tam pro elevatione Hoſtiæ, ubi ſolet adhiberi, quàm pro ſigno Salutationis Angelicæ.

## De aliis præparandis in Sacriſtia. §. IV.

V. Sacriſta parare debet in Sacriſtia paramenta nigri coloris pro Celebrante, & Miniſtris Sacris, ſcilicet quatuor Planetas, quarum tres ſint plicatæ ante pectus, deferendæ de more, prima pro Diacono, ſecunda pro Subdiacono ordinario, tertia verò erit pro Subdiacono, qui Crucem in proceſſione deferet, quam aliqui omittunt, quia poteſt uti Planeta Diaconi, cùm ille Stola latiori indutus in Proceſſione procedat; duas Stolas nigras, quarum una ſit Diaconalis, altera Presbyteralis, deinde Stolam latiorem pariter nigram pro eodem Diacono, tres Manipulos ejusdem coloris, quatuor Amictus, quatuor Albas, quatuor Cingula. Item præparentur pro aliis tribus, qui Paſſionem

ſunt

ſunt cantaturi, tres alii Amictus, tres Albæ, tria Cingula, tres Stolæ Diaconales, & totidem Manipuli pariter nigri coloris.

Item in Sacriſtia Cathedralis Eccleſiæ, quando Epiſcopus celebrat, parentur Pluvialia nigri coloris ſi adſint, aliter coloris violacei, juxta numerum Haſtarum Baldacchini, pro Beneficiatis, vel Manſionariis, qui deferre debent Baldacchinum, dum fit Proceſſio; deficientibus Pluvialibus, deferent illud cum Cottis, Cerem. Epiſc. *lib.* **2.** *cap.* **23.** §. 10. *& cap.* **25.** § 31. ſemper tamen ſine Stolis; vel meliùs in habitu Chorali, proùt mos eſt in Romanis Baſilicis. Præparentur etiam in Sacriſtia duo Thuribula, & totidem Naviculæ, vel ſaltem una, pro Proceſſione, & reliquo Officio; paretur quoque vas cum carbonibus accenſis, ut ſuo tempore præſtò ſint; item duo candelabra cum ſuis candelis extinctis ex cera communi, deferenda à Ceroferariis in Proceſſione, & Crux proceſſionalis, denudanda poſtquàm Crux Altaris majoris denudata fuerit; quæ tunc à Sacriſta privatim defertur ad Presbyterium, & ponitur ad cornu Epiſtolæ prope Credentiam, ùt colligitur ex Biſſo *tom.* 1. *lit.* *D. num.* **225.** §. 6. Parentur etiam Cottæ, pro numero Clericorum inſervientium Officio, & candelæ, ſive funalia ceræ communis, pro numero Clericorum deferenda in Proceſſione. Item pro Altari, tempore, quo celebrandum erit, ſeu potiùs Hoſtia conſumenda, præparetur tobalea pro Altaris Menſa cooperienda, necnon alia mappa pro Credentia, quæ nulla ex parte pendeant extra dictas Menſam, & Credentiam. Pulvinus nigri coloris, duo Miſſalia, velum, Calix, & burſa, nigri pariter coloris, intus habens mundum Corporale, & purificatorium, denique pelvicula cum ampullis vitreis, aquam, & vinum reſpectivè continentibus, necnon vaſculum cryſtallinum ad abluendos Sacerdotis digitos, ſi opus fuerit, quæ omnia tempore opportuno deferuntur ſuper Credentiam, ùt mox diximus.

## De aliis præparandis prope Sacellum, &c. § V.

VI. Prope Sacellum, ubi eſt reconditum SS. Sacramentum, ponatur Baldacchinum album, non nigrum, in Proceſſione deferendum; item velum humerale album, juxta ſententiam Gavanti, Corſetti, Chriſtiani, Bauldry, Caſtaldi *ſuprà*, imò juxta mentem Clementis XI. declaratam in ſua Inſtructione edita 20. Januarii 1705. & à nobis ſuperius per extenſum allata, imponendum Celebrantis humeris ad Proceſſionem, eo modo quo diximus in Feria V. ſuprà, &c. Item parentur in ſupradicto Sacello intortitia, & cerei, pro Canonicis ſi ſint, & aliis de Clero, & ſcabellum graduatum, ſi opus ſit, pro Diacono, qui Calicem è capſula extrahere debet.

## Pro Ritibus ſervandis hac die, à fine Horarum Canonicarum, uſque ad initium Paſſionis §. VI.

VII. Rubr. n. 2. pag. 194. & Gavant. ibid. col. 1. lit. a *Finita Nona, &c.*) Dum cantatur Nona, Celebrans, & alii Miniſtri Sacri, adjuvantibus Acolythis, induuntur ſuis paramentis in Sacriſtia. Finita autem Nona, exeunt Celebrans, & Miniſtri parati, de Sacriſtia.

VIII. Rubr. n. 2. pag. 194. & Gavant. ib. col. 1. lit. b *Procedunt ad Altare, &c.*) Et ad Altare procedunt ſequenti ordine. Primus omnium præcedit Thuriferarius, manibus junctis, ſine Thuribulo, quem ſequuntur Ceroferarii ſine candelabris, pariter manibus junctis, tùm Ceremoniarius, qui ſemper,

&

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& præſertim hac die, quantùm fieri poteſt, adeſſe debet, nudo capite cum ſupradictis Acolythis, deinde Miniſtri Sacri, unus poſt alium, ultimò Celebrans, junctis manibus, capite tecto, ſicùt & Sacri Miniſtri, neminem ſalutantes. Bauldry *ſuprà n.* 3. Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 4.

IX. Rubr. num. 2. pag. 194. & Gavant. ibid. col. 2. lit. c *Ante illud proſtrati, &c.*) Cùm ad Altare pervenerint, Diaconus abſque oſculis recipit birretum Celebrantis, illudque porrigit, ſicùt & ſuum, Ceremoniario, quod idem facit Subdiaconus. A Portu *ſuprà art.* 2. *Rubr.* 1. *in adnot. num.* 4. & capite detecto omnes in recta linea Cruci genuflectunt, ùt docet Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 5. *cap.* 2. *num.* 2. Deinde, item in recta linea genuflectunt utroque genu in plana terra ante infimum Altaris gradum, & ſtatim Celebrans & Miniſtri Sacri ſe proſternunt, ponentes brachia & capita ſuper cuſſinos, ita ut genua eorum ſint in plano, caput verò, & brachia ſuper dictos cuſſinos, ex Cerem. Cler. Reg. S. Pauli *lib.* 2. *cap.* 8. ſic proſtrati aliquantulùm orant per ſpatium unius *Miſerere*, Marcellus in Ceremoniali Romano, ſeu Papæ *lib.* 2. *tit.* 1. *cap* 51. quo tempore omnes etiam, qui ſunt in Choro, genuflectunt in ſuis locis, & ſtallis, & caput inclinant, & orant, quod idem etiam Populus debet in Eccleſia obſervare. Biſſus *ſuprà* §. 1. Horatius Chriſtiani *ſect.* 4. *cap.* 2. *num.* 12.

X. Rubr. num. 2. pag. 194. & Gavant. ibid. col. 2. lit. d *Tobaleam extendunt, &c.*) Acolythi, facta brevi oratione, ſicùt & Ceremoniarius, ſurgunt, & iterum genuflectunt Cruci, & ſumpta ab Acolythis de Credentia Tobalea plicata oblonga, eam, facta priùs Cruci genuflexione, ſuper Altare extendunt, ita tamen, ut nihil, aut parùm hinc inde pendeat. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 2. qua extenſa, Ceremoniarius ponit Miſſale cum cuſſino nigro in cornu Epiſtolæ, quo facto, idem Ceremoniarius, transacto Orationis tempore, ùt ſuprà, admonet voce ſubmiſſa, vel aliquo potiùs nutu Celebrantem, & Miniſtros, qui ſtatim ſurgùnt ab Oratione, ſicùt & omnes alii de Choro; tum Celebrans cum Miniſtris Sacris aſcendit ad Altare, ablatis cuſſinis à gradibus Altaris, ne impediant, qui reportari debent ad Sacriſtiam, vel in aliquo loco ſeparato reponi: Biſſus *ſuprà* §. 6. Bauldry *ſuprà n.* 5. *&* 6.

XI. Rubr. num. 2. pag. 194. & Gavant. ibid. col. 2. lit. e *Oſculatur illud, &c.*) Perventi omnes tres ad Altare, Celebrans illud oſculatur in medio, ùt docet Rubrica *n.* 2. *hoc tit.* Miniſtri verò Sacri genuflectunt Cruci unico genu, poſteà cum Celebrante accedunt ad cornu Epiſtolæ, & ſtant, ùt ad Introitum Miſſæ in Miſſis Sollemnibus, id eſt Diatonus ſtat in ſecundo gradu à dexteris Celebrantis, & Subdiaconus à dexteris Diaconi in tertio gradu, vel in plano in recta linea. Biſſus *lit. C. n.* 157. §. 11. *& lit. F. n.* 45. §. 6.

XII. Rubr. n. 2. pag. 194. *Deinde Lector accedit, &c.*) Interim Ceremoniarius accedit ad Lectorem aſſignatum, Cotta indutum, eique miniſtrat Miſſale, qui poſteà accedit cum Ceremoniario à ſiniſtris ad medium Altaris, ubi in plano ambo faciunt genuflexionem unico genu Cruci, tum pergunt ad locum, ubi cantari ſolet Epiſtola, & ibidem Lector incipit cantare Prophetiam in tono Lectionis Prophetiarum, inflectendo aliquantulùm vocem in fine, aſſiſtente ſibi à ſiniſtris Ceremoniario ſupradicto, quo tempore in Choro omnes ſedent, Miniſtri tamen Sacri non ſedeant niſi ſedente Celebrante: advertat Lector, ne incipiat cantare prædictam Prophetiam, antequàm Celebrans illam ſubmiſſa voce inceperit (cujus in fine Miniſtri Sacri non reſpondeant *Deo gratias*) & nullo modo priùs, contra quoſdam nimis properantes. Biſſus *ſup.* §. 7. Bauld. *ſup. n.* 8.

Completa Prophetia, iterum cum Ceremoniario à ſiniſtris accedit Lector ante gradum

*Gavant, Rubr. Miſſ.* Ddd d

dum infimum Altaris, ubi in medio, in plano tamen, unico genu Cruci genuflectit unà cum Ceremoniario, & erectus extra medium Altaris reddit Miſſale prædicto Ceremoniario, & redit ad locum ſuum, cùm non debeat oſculari manum Celebrantis, neque ab eo benedictionem accipere. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 12. Biſſus *lit. F.* § 8. Bauld. *ſuprà.*

XIII. Rubr. n. 2. pag. 194. *Quam etiam Sacerdos legit, &c.)* Eandem Prophetiam, quæ cantatur à Lectore, etiam Sacerdos legit ſubmiſſa voce, qui, ſi poſt illam lectam cum Tractu ſequenti, cum Miniſtris Sacris ſedere velit, poterit id facere, ſed ſuper ſcamnum nudum præparatum, de quo ſuprà; & dum ea cantatur, ſedent, ùt diximus, omnes in Choro, in quo, finita à Lectore tali Prophetia, cantatur Tractus. Biſſus *ſup.* § 9. & 10 & Bauld. *ſuprà.*

XIV. Rubr. n. 3. pag. 194. *Finito Tractu.)* Cantata Lectione, Miniſtri recedunt à latere dextero Celebrantis, & deſcendunt, unus poſt alium, retro Celebrantem, ùt fit ad Orationes Miſſæ; Celebrans verò ſtat in cornu Epiſtolæ, ùt priùs; ſi tamen cum Miniſtris ſedeat, tempore, quo in Choro cantatur Tractus, tunc circa finem ejusdem ſurgit cum Miniſtris, & accedit ad idem cornu Epiſtolæ per breviorem viam, quia non debet accedere ad medium, pro dicendo *Dominus vobiſcum*; & ibi in cornu Epiſtolæ, dum Miniſtri Sacri ſtant unus poſt alium, ùt ſuprà, dicit abſolutè *Oremus.* Bauldry *ſup. n.* 10. Biſſus *ſup* §. 10. Vinitor *part.* 6. *tit.* 11. *n.* 10. & 12.

XV. Gavant. pag. 195. col. 2. poſt Rubr. n. 3. *Diaconus genuflectit ante alios, dicens, &c.)* Dicto *Oremus* à Sacerdote, Diaconus dicit *Flectamus genua*, & hæc dicens, primus omnium genuflectit, ſtatimque omnes cum eo pariter genuflectunt, ſolo Celebrante excepto, tum Subdiaconus primò ſurgens, & alii cum eo, dicit *Levate*, quod ſemper eodem modo in pari caſu ſervari debet. Bauldry, Biſſus *ſup à*, & Vinitor pariter *ſup. n.* 17. Poſteà Celebrans extenſis manibus cantat Orationem ùt in Miſſali, ad quam Sacri Miniſtri ſtant adhuc unus poſt alium poſt Celebrantem, ſicùt etiam omnes in Choro ſtare debent capite inclinato. Bauldry *ſup. n.* 11. Biſſus *ſup.* §. 11. Vinitor *ſup. n.* 12.

XVI. Rubr. n. 4. pag. 195 *Subdiaconus in tono Epiſtolæ, &c.)* Dum Celebrans dicit Orationem, Subdiaconus vadit ad Credentiam cum debitis reverentiis, ubi deponit Planetam plicatam, ſi ea utitur, capit Miſſale à Ceremoniario, & facta Altari genuflexione, ac ſalutato ſemper hinc inde Choro, cum eodem Ceremoniario, in loco conſueto cantat Lectionem (tenens ſibi Miſſale) in tono Epiſtolæ, interim habens præfatum Ceremoniarium à ſiniſtris; & dum Subdiaconus cantat Lectionem, Celebrans legit pariter eandem, cum Tractu, ſubmiſſa voce, aſſiſtente ſibi Diacono à dexteris, qui tamen in fine non reſpondet: *Deo gratias.*

XVII. Gavant. pag. 195. col. 2. poſt Rub. n. 4. *Subdiaconus in fine non oſculatur, &c.)* Subdiaconus verò, finita Lectione, & facta iterum genuflexione Altari, & reverentia Cruci, reddit Miſſale Ceremoniario. Bauld. *part.* 4. *cap.* 10. *art.* 2. *num* 11. & 12. & ſine oſculo manus Celebrantis, ac ſine ejus benedictione, vadit ad Credentiam, ibique reſumens Planetam plicatam, redit poſteà ad Celebrantem, aſſiſtens ei à dexteris Diaconi, ùt in Introitu Miſſæ, in cornu Epiſtolæ, niſi ipſe Celebrans cum Miniſtris ſedeat, tempore, quo in Choro cantatur Tractus poſt ſupradictam Lectionem. Biſſus *ſuprà*, & Bauldry *ſuprà.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Pro Ritibus peragendis in hac Feria, ab initio Paſſionis, uſque ad denudationem Crucis excluſivè.

XVIII. Rubr. n. 5. pag. 195. *Finito Tractu, dicitur Paſſio, &c.)* Quando Subdiaconus cantat Lectionem, ſeu ſecundam Prophetiam, Celebrans leget illam cum Tractu ſequenti, aſſiſtente ſibi Diacono, ſicùt ad primam. Interim verò tres Diaconi cantaturi Paſſionem pergent ad Sacriſtiam, & ibi adjuvantibus aliquibus Clericis, induuntur Albis, Manipulis, & Stolis Diaconalibus nigri coloris. Lectione à Subdiacono cantata, & dum cantatur Tractus in Choro, diſponuntur ab Acolythis tria legilia in eodem loco, ùt diximus in Dominica Palmarum, pro cantanda Paſſione. Circa finem ejusdem Tractus, ſeu aliquam ejus partem (non enim neceſſe eſt, quòd ℣℣. omnes ipſius Tractus cantentur ex communi praxi Urbis, ſed pauci ſufficiunt, ſi ita videatur, præſertim ob paucitatem Cantorum; convenientius tamen eſt, ut omnes cantentur. Bauld. *part.4, cap. 6. art. 3. n. 12.)* exeunt de Sacriſtia Cantores Paſſionis, præcedente Ceremoniario, &c. qui eodem ordine, quo diximus ſuprà in Dominica Palmarum, accedent ad Altare, & cantabunt Paſſionem, eaque finita, in Sacriſtiam ſe recipient.

Si Celebrans ſedeat tempore Tractus, ſurget paulò antè quàm Cantores incipiant Paſſionem, perget ad cornu Epiſtolæ cum Miniſtris, ùt dictum eſt *ſuprà*, & ibi leget Paſſionem, dum à Cantoribus inchoabitur, aliquantulùm ad eos converſus, aſſiſtentibus ſibi Diacono, & Subdiacono, & omnia alia peragendo, ùt diximus *ſuprà* agentes de Paſſione, quæ cantatur in Dominica Palmarum.

Ad verba *Tradidit ſpiritum*, dum Celebrans privatè legit Paſſionem: an genuflectere debeat, vide ea, quæ diximus *ſuprà* in Dominica Palmarum; dum verò prædicta verba cantantur ab eo, qui agit perſonam Evangeliſtæ, omnes genuflectere debent, vel, juxta conſuetudinem locorum, ad terram ſe proſternent, & ſe gerent, ùt dictum eſt ſuprà in Dominica præcedenti. Surgens autem Celebrans, redit ad cornu Epiſtolæ, ubi inclinatus dicet: *Munda cor meum &c.* non verò *Jube Domine, &c.* quia benedictio non petitur, ùt clarè habetur in Miſſali. Nicolaus de Bralion *part 3. cap. 11. n. 9.* Biſſus *lit. F. n. 45.* § 13. & leget ibidem reliquam Paſſionis partem, aſſiſtentibus Miniſtris ad dexteram, ſicuti ad primam partem ejusdem Paſſionis.

XIX. Gavant. pag. 196. col. 1. poſt Rubr. n. 8. *Diaconus reliqua facit de more, &c.)* Tum Diaconus, cum debitis reverentiis antè, & poſt, accedet ad Credentiam, ibique depoſita Planeta, accipit Stolam nigram latiorem (quam Planetam non reſumit niſi poſt Communionem Celebrantis, quod ſemper in ſimilibus caſibus eſt obſervandum. Biſſus *lit. F. num. 45.* §. 14. *& lit. M. num.* 250. §. 4.) Tum accipit Miſſale, illudque portat ad Altare, deinde genuflexus in loco ſolito Miſſæ Sollemnis, dicit: *Munda cor meum, &c.* non petit benedictionem, ùt in Rubrica, ſed ſtatim accipit Miſſale, & ſtatim, ùt Cantores terminaverint Paſſionem, vadit de more ad locum Evangelii, cum Subdiacono, & Ceroferariis, facta priùs ab omnibus genuflexione Cruci, manibus junctis (ſine Cereis, & ſine Thuribulo) & cùm ad locum pervenerint, cantat in tono Evangelii reliquam Paſſionis partem more conſueto, ſed non incenſando, & non ſignando librum, neque ſe ipſum. Celebrans ad hanc Paſſionis partem ſtabit manibus junctis ante pectus in eodem cornu Epiſtolæ, converſa facie ad Diaconum; Thuriferarius verò prope Credentiam, ſimiliter converſus ad Diaconum, & Ceremonia-

niarius in eodem loco ùt aliàs. Cùmque eam Paſſionis partem abſolverit Diaconus, Subdiaconus claudet librum, nec oſculandum deferet Celebranti (qui pariter non incenſabitur à Diacono) ſed mox tradet eum Ceremoniario, qui, eo accepto, præcedit, & Clerici ſequuntur ordine conſueto, quos ſequuntur Diaconus & Subdiaconus pares, & facta genuflexione in medio de more, vadunt omnes ad ſua loca. Cerem. Epiſc. *ſup.* §. 19.

XX. Gavant. pag. 196. col. 1. poſt Rubr. n. 9. *Miniſtri ſtant poſt Celebrantem, &c.*) Poſt prædicta Diaconus, factis debitis reverentiis ùt ſuprà, accedit cum Subdiacono ad Celebrantem, ùt ad Orationem Miſſæ Sollemnis, hoc eſt retrò, manibus junctis, unus poſt alium.

Interim Celebrans, ſtans in cornu Epiſtolæ, incipiet abſolutè, junctis manibus, primam monitionem: *Oremus dilectiſſimi, &c.* ùt in Miſſali, eaque finita, extendens, & jungens manus, & caput inclinans Cruci, ſubjunget *Oremus*, ſubdet verò Diaconus: *Flectamus genua*, & Subdiaconus *Levate*, ùt ſuprà; tum cantabit Celebrans primam Orationem, extenſis manibus, & in tono Orationis Miſſæ ferialis, ac eodem tono, & Ritu, cantabit reliqua, Orationes ſcilicet extenſis manibus, monitiones autem junctis, ſed eodem cantu, quo primam; Chorus ad eaſdem Orationes, & monitiones, ſtat versùs Altare nudo capite, genuflectens, cùm dicitur *Flectamus genua*, & ſurgens, cùm dictum eſt *Levate*, ac in fine Orationum reſpondebit *Amen*, excepto ad Orationem pro Judæis, in qua non dicitur pariter *Flectamus genua*, nec *Oremus*. Ad Orationem pro Papa, quandò hic nominatur, Celebrans inclinat caput versùs librum inclinatione minimarum minima, quod etiam omnes alii faciunt.

Si Imperator nondum ſit coronatus, additur in monitione *Electo*, ùt habetur in Miſſali. Si verò Imperator ſit defunctus, & Imperium ſit vacans, tunc in Oratione pro Imperatore dicantur hæc verba: *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus, &c* ita Marcius *in Hierol. v. Cereus*. Non tamen addi debet nomen Regis, vel alterius Principis, ſeu Domini Loci, quia hoc eſſet contra Bullam S. Pii V. ùt optimè adnotat Gerlacus Vinitor *part. 6. tit. 11. num. 18.*

## Pro Ritibus peragendis, à Crucis denudatione, uſque ad Proceſſionem.

XXI. Rubr. n. 11. pag. 196. *Completis Orationibus, &c.*) Dum dicuntur ultimæ Orationes, Acolythi, duce ſecundo Ceremoniario, extendunt tapetem ſeu pannum violaceum ante gradus Altaris, ſeu per planum Presbyterii, ita ut pars ejuſdem panni ſuperior ſit ſuper ejus primos gradus. Cerem. Epiſc. *lib. 1. cap. 25. §. 22. & cap. 26.* § 8. Horatius Chriſtiani *ſect. 4. cap. 3. n. 1.* & in infimo gradu Altaris ponent cuſſinum, & ſuper cuſſinum extendent velum pretioſum violaceo ſerico contextum, de quo ſuprà, ſeu mappam ſericam.

XXII. Rubr. eod. n. 11. pag. 196. *Sacerdos, depoſita caſula, accedit, &c.*) Celebrans verò, cantatis Orationibus, deſcendit extra cornu Epiſtolæ ad partem poſteriorem Altaris, ubi adjuvante aliquo Acolytho, vel Ceremoniario; deponit Planetam, quam Ceremoniarius transfert ad Credentiam; & Subdiaconus cum eo, in eodem cornu Epiſtolæ extra Altare, adjuvante aliquo Acolytho, deponit pariter ſuam Planetam plicatam, juxta communiorem uſum Urbis, quam vel primus Ceremoniarius, vel aliquis Acolythus ad Credentiam pariter transfert. Nicolaus de Bralion *part.* 3. Bauldry *part. 4. cap. 10. art. 3. n. 1.* Diaconus tamen ſuam Stolam latiorem retinet. Nicolaus de Bralion *ibidem ſuprà*. Sed antequàm prædicti per-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pergant ad Crucis adorationem, debent omnes deponere etiam Manipulos, juxta Decretum recèns emanatum die 15. Septemb. 1736. *in Toletana*, & datum in noſtro Indice ſub *n.* 694.

XXIII. Rubr. n. 11. pag. 196. *Et ibi in poſteriore parte anguli Altaris, &c.*) Tum Celebrans, medius inter Sacros Miniſtros, accedit ad angulum poſteriorem cornu Altaris in parte Epiſtolæ, ut ſit quaſi collateralis candelabris ſuper Altare poſitis, ibique ſe collocat in ſecundo gradu, Memoriale Rituum *cap.* 2. §. 4. *de Crucis denudat. n.* 4. verſa facie ad Populum; Cerem. Epiſc. *lib* 2. *cap.* 25. §. 23. & ſtatim Diaconus, relicto ibi Celebrante cum Subdiacono à ſiniſtris, procedit per planum ad medium Altaris, ubi, facta reverenter genuflexione Cruci unico genu ſuper infimum gradum, expectat, donec eam ſibi tradat ſine oſculis primus Ceremoniarius, qui ideò facta priùs genuflexione, eandem de Altari devotè capit, quam Crucem ſuo velo coopertam, Diaconus ſummâ cum reverentia portat, converſa facie ad ſeipſum, ad Celebrantem per planum, & eidem illam, facie Crucifixi ad Populum verſa, in manibus ſine oſculis tradit. Biſſus *F.D.n.*88. § 1. Bauldry *part.* 4. *cap.* 10. *art.* 3. *num.* 2.

XXIV. Rubr. num. 11. pag. 196. & Gavant. ibid. col. 1. lit. i *A ſummitate parùm diſcooperit, &c.*) Celebrans, devotè accepta Cruce, ſtans ibidem adhuc versùs Populum, in medio Diaconi à dexteris, & Subdiaconi à ſiniſtris ejus, verſa facie ad Crucem, ſiniſtra eam tenens, manu dextera diſcooperit Crucis ſummitatem, uſque ad ejuſdem Crucis lignum transverſum; ita tamen, ut Crucifixi caput non appareat, adjuvantibus eum Ceremoniario, & Miniſtris Sacris, ſi opus ſit. Bauldry *ſuprà n.* 3. Interim accedit ad ſupradictum Celebrantem aliquis Acolythus cum debitis reverentiis, deferens Miſſale, quod apertum tenet ante eum, ſtans renibus ad Populum verſis. Bauldry *ſuprà*, Memoriale Rituum *ſuprà n.* 5. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 9. Diſcooperta ſummitate illa Crucis, Celebrans ambabus manibus Crucem elevans reverenter ad altitudinem oculorum, ex Ceremoniali Papæ Marcelli Corcyrenſis *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 51. eam Populo oſtendit, ac voce gravi, aliquantulùm demiſſa (ut ſecundò, & tertiò altiùs cantare poſſit citra indecentiam) ex Miſſali ſuſtentato ab Acolytho, ut ſuprà dictum eſt, incipit ſolus, in cantu ſecundùm notas in prædicto Miſſali Romano appoſitas, Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, ſtantibus omnibus in Choro nudo capite; qua Antiphona à Celebrante intonata, non ſolùm Miniſtri, ſed etiam Ceremoniarii, ac reliqui Cappellani, aut Clerici officio inſervientes, ſive ſint circa Celebrantem, ſive ſuis locis apud Credentiam, dummodò hæc ſit prope Altare, proſequuntur cum eodem Celebrante: *In quo ſalus Mundi pependit*, & non ulteriùs; Ceremoniale Epiſc. *ſuprà.* Paris de Craſſis *lib* 2. *cap.* 47 Bauld. *ſup. n.* 4. quibus verbis cantatis, Chorus ſolus reſpondet, non autem Celebrans, nec Miniſtri, nec Clerici officio inſervientes, cantans illis verbis: *Venite adoremus*, quo tempore omnes, etiam Diaconus, & Subdiaconus, genuflectunt utroque genu, capite etiam valdè demiſſo, ex Nicolao de Bralion *part.* 3. *cap.* 11. *num.* 13. Biſſo *ſup.* §. 3. (excepto ſolo Celebrante, qui ſemper ſtat. Ex Rubrica *n.* 11. & ex Bralion *ſuprà*) non tamen proſternunt ſe uſque ad terram, quia proſtratio, de qua loquitur Miſſale, intelligitur tantùm de genuflexione, ad quam neque valdè demittitur, & ratio eſt, quia Chorus, ita proſtratus uſque ad terram, vix cantare poſſet. Bauldry *ſuprà n.* 4. Bralion, & Biſſus *ſuprà*, Hippolytus à Portu *cap.* 2. *de Officio Fer. VI. in Paraſceve Rubr.* 8. *in adnot. num.* 9.

XXV. Rubr. n. 11. pag. 196. *Deinde procedit, &c.*) Cantatis prædictis verbis à Choro, omnes ſurgunt, & Celebrans accedit ad partem anteriorem anguli ejuſdem cornu Epi-

Epiſtolæ, in eodem ſcilicet loco, ubi dici ſolet Introitus Miſſæ, ibique ſtans, medius inter Diaconum ſtantem à dexteris ſuper ſuppedaneum Altaris, & Subdiaconum à ſiniſtris ſuper gradum proximiorem ſuppedaneo, quaſi illi angulo collateralis versùs Populum, & adjuvantibus Miniſtris Sacris, & primo Ceremoniario, ſi opus ſit, diſcooperit dexterum brachium Crucis, detegendo etiam caput figuræ Crucifixi; tum Crucem Populo paulò altiùs, quàm priùs, ambabus manibus elevat, mox repetit voce etiam altiori, quàm prima vice, Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, & eam cum Celebrante proſequuntur Miniſtri Sacri, Ceremoniarii, Cappellani, ùt ſuprà, ſtantibus omnibus in Choro nudo capite, ùt dictum eſt; & poſteà iterum Chorus altiùs, quàm prima vice, cantat: *Venite adoremus*, & genuflectunt omnes, excepto Celebrante, ùt ſuprà. Bauldry *ſuprà num.* 5. Biſſus *ſuprà* §. 4. Gerlacus Vinitor *tit.* 11. *de Offic. Fer. VI. in Paraſceve num.* 20. Benvenuti *de Ritu ſervando in Miſſa pro Feria VI. in Paraſceve pag. mihi* 93.

XXVI. Rubr. n. 11. pag. 196. *Deinde Sacerdos procedit ad medium.*) Deinde ſurgunt, & Celebrans cum Miniſtris procedit ante medium Altaris; *Rubr. ſuprà num.* 11. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25 §. 23. & ſtans, ùt ſuprà, versùs Populum, inter Sacros Miniſtros, totam diſcooperit Crucem, velum tradens Subdiacono, & hic primo Ceremoniario, ſeu Acolytho, qui illud, factis debitis reverentiis, ſuper Credentiam deponet. Diſcooperta tota Cruce, eam tenens ambabus manibus altiùs elevat, quàm primò, & ſecundò; tum tertiò etiam voce altiori cantat Antiphonam: *Ecce lignum Crucis*, quam Miniſtri, & alii, ùt ſuprà proſequuntur ſupradictis verbis: *In quo ſalus Mundi, &c.* & deinde Chorus etiam altiùs, quàm ſecunda vice cantat: *Venite adoremus*, genuflexis omnibus ùt ſuprà. *Rubr. ſuprà cit.* Bauldry *ſuprà n.* 6. Biſſus *ſuprà* § 5. Horatius Chriſtiani *de Crucis denudatione ſect.* 4. *cap.* 3. *n.* 6. Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 16.

XXVII. Rubr. n. 12. pag. 197. & Gavant. ibid. col. 1. lit. m *Ante Altare preparatum, &c.*) Poſt prædicta Celebrans, ſine ulla genuflexione, vel reverentia facta Altari, ùt innuit Gavantus *hic*, & Ceremon. Epiſcop. *lib* 2. *cap.* 25. §. 24. *& cap.* 26. §. 10. portat Crucem ambabus manibus elevatam devotè; Ceremon. Epiſc. *ſuprà*; deſcendens per latus Evangelii, tenens faciem Crucifixi ad Populum converſam; Bauldry *ſuprà*, Benvenuti *ſuprà*, Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 17. ſine Miniſtris, Ceremoniale Epiſc. *ſuprà*, à Portu, & Benvenuti *ſuprà*; ſed comitatus ſolo primo Ceremoniario, qui fimbrias Albæ elevat, cùm opus eſt; & interim omnes remanent genuflexi, Bauldry *ſuprà num.* 8. à Portu *ſuprà*; nempe Miniſtri Sacri ſuper ſuppedaneum, manibus junctis ante pectus, facie verſa ad Populum; Hippolytus à Portu *ſuprà*; Clericus de libro, quem claudit, genuflectit in ſecundo gradu versùs Altare, à Portu *ſuprà*; cæteri verò de Choro genuflectunt in loco ſuo, facie verſa quaſi ad Crucem, pariter manibus junctis; Benvenuti, Hippolytus à Portu *ſuprà*, & alii; Turrinus verò *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. §. *Sacerdos*, vult, quòd peracta denudatione, & cantato ultima vice: *Venite adoremus*, Miniſtri Sacri deſcendant de Altari, & eant ad locum ſeſſionis, ibidemque ſtent, donec Celebrans genuflexus aptet, & firmet Crucem cordulis, ſi opus eſt, ſupra pulvinum, adjuvante aliquo Ceremoniario, Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 24. *& cap.* 26. §. 10. Bauldry *ſup. n.* 7. pariter genuflexo, Hippolytus à Portu *ſuprà num.* 18. qui etiam paulò antè ponere debet prope ipſum pulvinum lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur, Cerem. Epiſc. *ſuprà*; tunc autem, nempe genuflexo Celebrante, Miniſtri Sacri, & omnes alii, quicumque ſint, maneant genuflexi. Bauldry *ſup. n.* 8. Vinitor *ſuprà n.* 23. Ego tamen cenſeo, quòd ante genu-

genuflectere debent ſtatim, aut cum Celebrante, ùt ſuprà, ita ut talis Ritus utroque modo obſervari poſſit. Dum Celebrans ponit Crucem ſuper pulvinum, omnes Cruces, quæ ſunt per Eccleſiam, & non aliæ Imagines, denudantur à Sacriſta, vel ab aliis, ſi commodè fieri poteſt. Bauldry *ſuprà num.* 7. Benvenuti, & Hippolytus à Portu *ſuprà*

Celebrans, aptata Cruce ùt ſuprà (ita ut caput Crucifixi ſit versùs Altare, Populumque reſpiciat, pedes autem versùs Populum) ſurgit, adjuvante, ſi opus eſt, Ceremoniario primo, recedit ad ſcamnum paratum ad latus Epiſtolæ, ibique tecto capite ſedet. Gavantus *hic tit. lit.* n. Bauldry *ſuprà n.* 8. Vinitor, & Benvenuti *ſuprà*; ubi adjuvantibus Acolythis, ſi opus eſt, extrahit calceamenta, vel deponit crepidas, quibus omnes hodie uti deberent ad decentiam, & commoditatem. Bauldry *ſuprà*, Benvenuti *ſuprà*, & Hippolytus à Portu *ſup. n.* 19.

Si Miniſtri Sacri remanſerunt genuflexi ſuper ſuppedaneum (quod idem dic de Clerico de libro) tunc ſurgente Celebrante poſt aptatam in ſuo loco Crucem, ſurgunt & ipſi, & facta ſuper ſuppedaneum genuflexione unico genu versùs Crucem, ad ſedes ſuas accedunt. Bauldry, Benvenuti, à Portu *ſuprà*, ibique ſedent, & ſimiliter calceamenta deponunt. Bauldry *ſuprà*, Biſſus *lit. A. n.* 155. §. 1.

XXVIII. Rubric. n. 12. pag. 197. & Gavant. ibid. col 1. lit. n *Depoſitis calceamentis, &c.*) Celebrans, depoſitis calceamentis, ſeu crepidis, ſurgit, & detecto capite, ſolus, manibus junctis, procedit per planum, devotè oculis demiſſis, ad Crucis adorationem, & quia trina genuflexione hanc adorationem perficere debet, ideò primam genuflexionem faciet in loco deſignato, ita à Cruce adoranda diſtante, ut inter unam genuflexionem, & aliam, æqualis diſtantia intercedat.

XXIX. Rubr. n. 12. pag. 197. & Gavant. ibid. col. 1. lit, o *Adorandam, &c.*) Genuflexus igitur utroque genu, faciet primam adorationem, capite reclinato in terram, ſuper manus junctas, & ſecretò dicet: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemiſti Mundum.* Gavantus *hic lit.* o. Deinde ſurgens, accedet ad locum, ubi ſecundò genuflectendum eſt, & ibidem præſtabit, quod in prima adoratione; tum progrediens ulteriùs, accedet ad locum Cruci propinquum, ubi tertiò præſtabit, quod prima, & ſecunda vice, dicens ad ſingulas genuflexiones: *Adoramus te Chriſte, &c.* quibus prolatis tertia vice, adhuc genuflexus oſculabitur pedes Crucifixi, & particulam veræ Crucis, ſi aderit, offerens tamen priùs Cruci pecunias, quas offerre volet. Cerem. Epiſc. *lib* 2. *cap.* 26. §. 11.

Hìc notandum occurrit, quòd majoris humilitatis eſt, oſculari pedes, quàm latus Crucifixi, & ſaltem ob reverentiam ab oris oſculo abſtinendum eſt. Nicolaus de Bralion *num.* 13. & idem firmant Bauldry, & Biſſus *ſuprà.*

XXX. Rubr. n. 12. pag. 197. *Hoc facto revertitur, & accipit calceamenta.*) Cùm Celebrans totam adorationem perfecerit, ſurgit, & facta genuflexione Cruci unico genu, & Altari inclinatione, ex Cerem. Cler. Regul. S. Pauli, & Benvenuti *ſuprà*, per viam breviorem ad ſedem ſuam redit in cornu Epiſtolæ, & ibi, adjuvantibus Acolythis, ſumet crepidas, ſeu calceamenta, poſteà per eoſdem ſumit Planetam, & Manipulum, tum ſedebit tecto capite in ſcamno nudo ad ſedendum præparato, quouſque Miniſtri Sacri Crucem adoraverint. Bauldry *ſup. n.* 19. Biſſus *ſup.* §. 2. & Vinitor *ſup. n.* 24.

XXXI. Rubr. eod. n. 12. pag. 197. *Poſtmodùm Miniſtri.*) Et non priùs, ambo ſimul, Diaconus ſcilicet cum Stola latiori (ſed ſine Manipulo, ùt ſuprà diximus) quam non debet deponere, niſi in fine Officii, ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. § 6. Subdiaconus verò in Albis, pariter ſine Manipulo (ex uſu Cappellæ Pontificiæ) detractis calceis, ùt ſuprà dictum

dictum eſt, procedunt per planum, ad faciendam Crucis adorationem eodem modo, quo de Celebrante diximus, nudo capite, & ſimul, manibus junctis ter genuflectendo, & orantes ad loca deſignata, obſervantes, ut ad tertiam adorationem, unus ſit ex una parte, aliu ex alia genuflexus, quaſi in medio Crucem habentes, pedes autem Crucifixi primò Diaconus oſculetur, deinde Subdiaconus, ſimul verò ſurgent; completa ab ambobus adoratione, iterum genuflectunt ſimul Cruci, & Altari unica genuflexione unico genu, nec Diaconus priùs ſurgat, quàm Subdiaconus adoraverit, ut ambo ſimul ſurgant, ſicùt convenit. Deinde per planum ambo modeſtè ad locum, in quo calceamenta deſpoſuerant, redeunt, ibique, facta Celebranti inclinatione, ea reſumunt, & Subdiaconus ſumit etiam Planetam ſuam plicatam, & Manipulum. Diaconus reſumet pariter Manipulum, & remanet cum Stola latiori, ùt ſuprà dictum eſt; mox Diaconus à dexteris, & Subdiaconus à ſiniſtris Celebrantis ſe recipiunt, & cum eo ſedent capite tecto. Bauldry *ſup. n.* 10. Claudius Arnaudus *de Feria VI. in Paraſceve tit. 9. n. 9.* Biſſus *ſup. §* 2. & Gerlacus Vinitor *ſup. n. 25.* Celebrans verò, poſtquàm Miniſtri Sacri ad ipſum pervenerint, ſedens cum ipſis, voce demiſſa legit improperia, ùt in Miſſali habetur, & in Memorial. Rituum majoris hebdomadæ §. 5. *de adoratione Crucis* §. *De improperiis recitandis*, ſuſtinentibus librum Miſſalem hinc inde Miniſtris Sacris, niſi ab aliquo Acolytho genuflexo ante ipſum (ut commodè Celebrans & Miniſtri Sacri legere poſſint) teneatur, ùt certè convenit; quibus lectis, Acolythus collocat Miſſale apertum ſuper Altare in cornu Epiſtolæ; Bauldry *ſup. num.* 11. & Biſſus *ſup.* §. 4.

Interim antiquiores, ſeu ſeniores de Clero, deinde alii per ordinem, deponentes calceamenta ſua in locis ſuis, bini, & bini, accedent ad Crucem adorandam, juxta ordines ſuos, junctis manibus, &c. terque genuflectentes, ſe inclinabunt in iiſdem locis, & eodem modo, quo Celebrans, & Sacri Miniſtri, ac poſt tertiam proſtrationem oſculabuntur pedes Crucifixi, deinde ſurgent ſimul, & facta genuflexione Cruci unico genu, ſecedentes redeunt ad loca ſua, æquali paſſu gradientes, & ſi contingat, eos tranſire ante Celebrantem, illi ſe inclinare debent; Acolythi verò, poſtquàm Crucem adoraverint, vel ſtabunt ad Credentiam, vel prope Crucem adorandam remanebunt genuflexi, ut Populi tumultum, ſi opus eſt, modeſtè compeſcant.

Si qui ſunt Prælati extranei, qui adorationem hanc peragant, ſtatim, ùt *ſuprà*, adorant, etiam ſine calceamentis, poſt Celebrantem, ante Miniſtros, ſed hoc in caſu Celebrans ſtat aperto capite, donec Crucis adorationem perfecerint. Epiſcopus verò proprius, etiam ante Celebrantem Crucem primus adorat; Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap. 26.* §. 11. Laici verò, etiam Principes, poſt Clerum procedunt ad adorationem Crucis, bini ſimul, ùt ſuprà, eo modo, & ordine, quo de Clero dictum eſt. Magiſtratus, & Nobiles Seculares, Crucem ad Altare adorare debent, ſi talis ſit conſuetudo. Bauldry *ſup.* §. 6. unde obſervent (& alii Laici, ſive Mares, ſive Fœminæ, in adorandis aliis Crucibus, quæ per Eccleſiam proponuntur adorandæ, ſi opus eſt) quod dictum eſt de Celebrante, & Miniſtris, &c. excipe quod non deponunt calceamenta. Hippolytus à Portu *ſuprà Rubr.* 8. *in adnot. n.* 24.

Hìc advertendum occurrit, quòd pro Mulieribus prædictis, & Populo, debet extendi in loco apto tapetum cum cuſſino, & velo, tum Sacerdos paratus Stola nigra illuc deferet aliam Crucem, Acolytho aliquo præcedente, qui ibi remanebit genuflexus, devotè aſſiſtens, quando fiet adoratio, tum ob reverentiam Crucis, tum ut impediat Populi tumultum, quod ſimiliter obſervandum erit, ſi aliæ Cruces ponantur in aliis locis adorandæ, propter Populi multitudinem.

Si

Si tamen adeſſet Gubernator principalis, aut aliquis maximus Vir, aut Princeps, qui aliis habere ſoleat honorem ante Canonicos, hodie in hoc actu ibit poſt Canonicos, ſed ante alios de Clero, quia eſt humilitatis actus, in quo Laici debent Clericis deferre. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 27. Convenit etiam, ut non ſolùm Celebrans, ſed etiam omnes alii, præſertim de Clero, aliquam pecuniæ oblationem hodie faciant Cruci, ante ipſam deoſculationem, ùt colligi poteſt ex Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 10. & Nicolao de Bralion *ſupra n.* 11. & aliis. Conſuetudo autem, ut prædictæ oblationes dentur Magiſtris Ceremoniarum, ſervanda eſt, juxta Decretum editum à S. R. C. die 29. Novembris 1603. *in Beneventana*, & in noſtro Indice ſub *num.* 26.

Convenit autem, ad dictas Stationes & adorationes decentiùs & pariformiter faciendas, ut tria loca inter ſe eo modo diſtantia, ùt ſuprà diximus, aſſignentur à Ceremoniario, ubi fiant; & ut in adoratione nulla interponatur mora, nec confuſio ſuboriatur, hæc ſerventur: nimirum cùm duo primi ſecundò genuflectunt, duo ſequentes debent genuflectere primò, & quando illi tertiò, hi ſecundò, & cùm illi oſculata Cruce diſcedunt, iſti genuflectent tertiò; atque alii deinceps; ita ut, qui ſequuntur, ſuccedant præcedentibus abſque mora, neque priùs ab una proſtratione ſurgant, quàm alii diſcedant ab altera. Ex Cerem. Monaſtico *lib* 4. *cap.* 9. *n.* 10. *&* 11.

XXXII Rubr. *n.* 12. pag. 197. & Gavant. ibid col. 2. lit. p *Cantantur improperia, &c.*) Dum incipit adoratio Crucis, Cantores in Choro incipiunt cantare ſupradicta improperia, quæ legit Celebrans cum ſuis Miniſtris, ùt diximus, ſubmiſſa voce, cantentur autem eo modo, ac ordine, qui deſcriptus eſt in Miſſali, & advertatur, ut quatuor deſignati, duo in primo & duo pariter in ſecundo Choro, alternatim ℣℣. decantent, quibus ſuo ordine Chorus reſpondebit, prout in Miſſali habetur, & docet Caſtaldus *lib* 3. *ſect.* 7. *cap.* 3. *num.* 8. nec non Horatius Chriſtiani Feria VI. in Paraſceve *ſect.* 4. *cap.* 3. *num.* 9 & Hippolytus à Portu *ſuprà Rubr.* 8. *in adnot. n.* 26. cantantur autem, uſque dum ad Altare majus omnes fecerint adorationem, adeoque non eſt neceſſe omnia cantare, ſed ſolùm tot, quæ poſſunt cantari eo tempore quo fit adoratio. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 11. Biſſus *lit. I. n* 54.

## Pro Ritibus ſervandis in Proceſſione ad Sacellum, & regreſſu ad Altare cum SS. Sacramento, & in reliquo Officio hujus Feriæ.

XXXIII. Rubric. n. 13. pag. 197. & Gavant. pag. 198. col. 1. lit. q *Accenduntur candelæ ſuper Altare, &c.*) Circa finem adorationis, duo Ceroferarii, ſumpto lumine de Sacriſtia, accedunt cum debitis reverentiis ad Altare, & accendunt candelas, & etiam illas duas ſuorum candelabrorum, ſi te ſint in Credentia, Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 28. Gavantus *hac lit.* q. ſive ſint in Sacriſtia.

XXXIV. Rubric. n. 13. pag. 197. *Et Diaconus accipiens burſam Corporalium, &c.*) Deinde Diaconus ſurgit, & facta reverentia Celebranti (interim Subdiacono ſtante nudo capite) vadit ad Credentiam, & capit burſam habentem intus Corporale è manibus Ceremoniarii, prout in Symbolo Miſſæ Sollemnis, & purificatorium ſuper eam poſitum, quam burſam ad oculos uſque elevatam ambabus manibus per breviorem viam portat ad Altare; non enim poteſt per planum ad medium accedere, cùm adhuc ibi ſit Crux, quæ adoratur; & facta prædictæ Cruci genuflexione unico genu, & inclinatione Altari, quia tunc in eo nulla

eſt Crux, cùm ad medium ſuppedanei Altaris pervenerit, extrahit de burſa Corporale, qua depoſita inter candelabra in cornu Evangelii (non jacente ſuper Altare, ùt malè nonnulli faciunt) explicat Corporale more ſolito in medio Altaris.

XXXV. Rubr. n. 13. pag. 197. & Gav. p. 198. col. 1. lit. r *Ponit Purificatorium, &c.*) Deinde idem Diaconus ponit, prope Corporale explicatum, purificatorium in parte Epiſtolæ, quo facto, redit ad locum ſuum per breviorem viam, cum debitis reverentiis Altari, Cruci, & Celebranti, & ſedet cum Subdiacono, qui nudo capite ſtabat, & ſtatim ambo caput tegunt. Bauldry *ſuprà num.* 24. & Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 23. *&* 24. Memoriale Rituum *ſuprà* §. 5. *n.* 15. Ceremoniarius verò, vel alius, eodem tempore defert Miſſale, cum debitis genuflexionibus Cruci prædictæ, ad latus Evangelii, Gavantus *hic*, illudque relinquit apertum ſuper cuſſinum, cum ſignaculis ab eodem aptatis, jacens prope Corporale. Biſſus *ſuprà n.* 23. Bauldry *ſuprà n.* 25. Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 7. *n.* 12.

Interim verò, dum ſcilicet hæc fiunt ad Altare, paratur in Sacriſtia alius Subdiaconus, amictu, alba, Cingulo, cum Planeta plicata nigra, ſine Manipulo, qui Crucem in Proceſſione defert denudatam. Iſte Subdiaconus poteſt ſola Alba eſſe indutus, & ſi deſit prædictus Subdiaconus, Clericus ſola Cotta indutus deferet Crucem. Bauldry *ſuprà n.* 26. Benvenuti *ſuprà* §. *circa finem.* Item duo Thuriferarii parant in Sacriſtia ſua Thuribula, igne in eiſdem impoſito, ſimulque curent, ne deficiat Incenſum in Naviculis. Item Beneficiati ſeu Manſionarii, qui in Cathedralibus delaturi ſunt haſtas Baldacchini, parentur Pluvialibus nigri coloris, ſi commodè fieri poteſt, & ſi celebret Epiſcopus; aliàs ſi non celebret Epiſcopus; geſtaturi haſtas Baldacchini ſola Cotta ſine Stola indui debent, & hoc declaratur in Cerem. Epiſc. lib. 2. cap. 26. &c. & confirmatur Decreto edito à S. R. C. die 15. Septembris 1736. quod Decretum exhibetur in noſtro Indice ſub numero 692. Curet prætereà Sacriſta, ut Baldacchinum deferatur (ſi non eſt jam delatum) prope Cappellam, ubi eſt SS. Sacramentum: Bauldry *ſuprà n.* 27.

XXXVI. Rubric. n. 13. pag. 197. & Gavant. pag. 198. col. 1. lit. s *Reportat ad Altare &c.*) Interim Diaconus deponit birretum, & ſurgit (ſicùt & Subdiaconus, qui tamen ſtat apud Celebrantem) & facta reverentia eidem Celebranti, accedit ad locum ubi eſt Crux, cui facta genuflexione unico genu, reverenter illam capit, & ambabus manibus elevatam uſque ad oculos, nulli reverentiam faciens, ad Altare reportat. Ex Gavanto, Bauldry *ſuprà n.* 28. & Biſſo *ſuprà* §. 25. Celebrans ſurgens, transeunti Cruci, ſimul cum Subdiacono, nudo capite, genuflectit, ſicuti & alii omnes de Choro; quod hodie faciunt omnes, nemine excepto, ùt ſuprà dictum eſt. Bauldry, Biſſus *ſuprà*, Nicolaus de Bralion *ſuprà n.* 20. Corſettus *ſuprà n.* 21.

Diaconus verò Crucem ad Altare reponet ſuo in loco, in medio ejuſdem Altaris inter Candelabra, adjuvante Sacriſta, & deinde Celebrans ſedet tecto capite, ſedentibus omnibus. Memoriale Rituum majoris hebdom. *ſuprà n.* 19. Tùm Diaconus, facta prædictæ Cruci genuflexione, per breviorem viam redit ad Celebrantem, ei ſe inclinans, deinde ſedet cum Subdiacono, & ambo caput tegunt. Acolythi verò pannum cum velo & cuſſino plicatum reponunt in loco congruo, vel in Sacriſtiam reportant, Bauldry *ſuprà n.* 29. & Biſſus *ſuprà* §. 25.

XXXVII. Gavant. pag. 198 col. 1. eadem lit. s *Si multus adeſt Populus &c.*) Si Cruces aliæ ob populi frequentiam ſint expoſitæ, à Sacerdote, ſi unica ſit, vel à Sacerdotibus, ſi plures ſint, Stola nigra inſignitis, reverenter reportantur in Sacriſtiam, quibus omnes genuflectunt; reportantur, inquam, eodem tempore, vel ſucceſſivè, ſi copia non haberetur Sacerdotum, & tapetia pariter amo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

amoventur. Caſtaldus *Lib.* 3. *ſect.* 7. *de Officio Feriæ VI. in Paraſceve cap.* 4. *n.* 3. Bauldry *ſuprà n.* 30.

XXXVIII. Rubric. n. 13. pag. 197. *Ubi pridie Sacramentum repoſitum fuerat &c.*) Sint præparata octo funalia ex cera alba, deferenda à lateribus hinc inde ante Baldacchinum, Cerem. Epiſc. *Lib.* 2. *Cap.* 25. §. 30. & *Cap.* 23. §. 7. Parentur etiam alia funalia, ſeu Candelæ item ex Cera alba, diſtribuendæ Clero, & ab eo deferendæ in Proceſſione.

XXXIX. Rubric. n. 13. pag. 197. & Gavant. pag. 198. col. 1. lit. t *Subdiaconus cum Cruce, &c.*) Subdiaconus paratus, ùt *ſuprà*, in Sacriſtia, accedit tunc ad Presbyterium (ſicùt & Sacerdotes, ſive Beneficiati, Cottà tantùm vel ſuo habitu chorali induti, pro deferendis haſtis Baldacchini) accipit Crucem Proceſſionalem denudatam, & medius inter duos Ceroferarios, deferentes candelabra cum cereis accenſis, firmat ſe cum eiſdem extra Cancellos, facie verſa ad Altare. Item duo Thuriferarii cum Thuribulis ùt *ſuprà*, & duabus Naviculis, ſeu una tantùm, ſe poſt dictum Subdiaconum firmant, ut commodiùs primi procedant. Tum ad locum Sacramenti ordinatur Proceſſio ſequenti modo; ſed dum ordinatur Proceſſio in loco, ubi repoſitum manet Sacramentum, debent accendi omnia luminaria, & ibidem præparari velum humerale album pro Celebrante, & Baldacchinum pariter album, niſi priùs fuerit paratum, ùt ſuprà dictum eſt, & Cerei deferendi in Proceſſione, ſicùt ſuprà fuit notatum. Horatius Chriſtiani *ſuprà cap.* 4. *n.* 2. Debet pariter extendi Corporale ſuper Altare, ſuper quo deponendus eſt Calix cum Sanctiſſimo Sacramento, ùt dicetur infrà.

XL. Rubric. ead. & Gavant. eâd. lit. t *Præcedit Subdiaconus cum Cruce &c.*) Præcedant omnium primi duo Thuriferarii, ſine incenſo in Thuribulis, ùt mox innuimus cum Gavanto *ſuprà*, poſteà Subdiaconus cum Cruce detecta, medius inter Ceroferarios, deferentes candelabra cum Candelis accenſis; deinde Clerici, bini, & bini; poſteà Beneficiati, & poſt eos alii, qui deferre debent Haſtas Baldacchini. Tum Canonici, ſi adſint, & omnes juxta ſuum ordinem; deinde procedit Subdiaconus, quem ſequitur Diaconus, ultimò Celebrans omnes manibus junctis, & nudo capite, propter reverentiam Crucis, quæ hac die peculiariter colitur, Biſſus *lit. P. num.* 226. §. 7. & Bauldry *ſuprà n.* 32. vel potiùs tecto capite, donec pervenerint ad locum Sacramenti, quia inceſſus iſte non eſt Proceſſio, & quia Epiſcopus in tali caſu utitur Mitra. Hippolytus à Portu *ſuprà Art.* 3. *Rubric.* 9. *in Adnot. num.* 7. Caſtaldus *ſuprà n.* 4. Chriſtiani *ſect.* 4. *cap.* 4. *num.* 3.

XLI. Rubric. n. 13. pag. 197. *Cùm perventum fuerit ad locum Sacramenti &c.*) Subdiaconus Crucem deferens in loco congruo, non quidem in ipſo loco, in quo Sanctiſſimum Sacramentum repoſitum eſt, ſed è conſpectu, ùt heri, inter Ceroferarios, ſiſtit ſe, ibique immobilis, ſicùt & dicti Ceroferarii ſtant, non genuflectentes. Horatius Chriſtiani *ſuprà ſect.* 3. *cap.* 8. *n.* 12. & *ſect.* 4. *c.* 4. *num.* 5.

Thuriferarii, facta genuflexione utroque genu, & profunda inclinatione, ſurgunt, ad Altare accedunt, & genuflexi ſiſtent ſe in loco, ubi alios non impediant. Reliqui de Choro, ſervato ordine, & facta genuflexione ùt *ſuprà*, ſuis in locis ſe collocant hinc inde, ibique manent genuflexi, ita ut juniores ſint prope Crucem, ſeniores verò hinc inde prope Altare; facta genuflexione, & profunda inclinatione, ſuis in locis ſe ponunt, & genuflectunt.

Miniſtri Sacri, & Celebrans, cùm pervenerint ante fores Sacelli, deponunt birreta, Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. § 31. & *cap.* 26. §. 14. quæ à primo Ceremoniario traduntur primo Acolytho (niſi ad eum locum

nudo capite proceſſerint ùt *ſuprà,* ) & ſtatim ſacellum ingreſſi, unus poſt alium, ſimul genuflectunt utroque genu, & profundè ſe inclinant. Benven. *ſuprà*, Nicolaus de Bralion *part. 4. in Append. 3. cap. 3. num. 3.* Deinde ſurgunt, & ad Altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt unico genu in plano, tum ſurgunt, & genuflectunt in primo gradu. Cerem. Epiſc. *ſuprà cap. 26. §. 14.* & Benvenuti *ſuprà §. His omnibus:* omnibus itaque genuflexis ( exceptis Subdiacono Crucis, & Ceroferariis, qui nunquam genuflectunt, ſed præfatus Subdiaconus cum Ceroferariis ſiſtit ſe e regione, ùt diximus, unde facilè poſſit recedere prior. Bauldry *ſuprà*, Caſtaldus *ſuprà n. 6.* ) aliquantulùm omnes devotè orant, nempe per ſpatium unius *Miſerere.* Biſſus *lit. P. n. 226. §. 9.* Dum hæc peraguntur, à Sacriſta, vel ab alio, debent accendi intortitia, & Candelæ in Proceſſione deferendæ, quæ non extinguuntur, niſi poſt ſumptionem Sacramenti: ex Rubric. *ſuprà*, & Benvenuti *ſuprà*, nec non Bauldry *Art. 4. num. 1.*

XLII. Rubric. eod. n. 13. pag. 197. *Diaconus interim aperit Capſulam &c.*) Dum Sacerdos cum aliis ante Sacramentum genuflexus orat aliquantulùm, ſolus Diaconus ſurgit, & manibus junctis aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, aut ad locum proximiorem, unde facilè capſulam aperire poſſit, & ibi facta genuflexione Sanctiſſimo Sacramento, ita ut non vertat terga Celebranti, erigit ſe, & immediatè aſcendit Scabellum graduatum, ut Sanctiſſimi Sacramenti capſulam aperiat; Eam aperit, eique caput inclinat, non tamen ex ea capſula Sacramentum adhuc extrahit, ( & hìc notandum, quòd ſi locus, in quo eſt SS. Sacramentum, ita diſpoſitus ſit, ut commodè Diaconus non poſſit ad capſulam aperiendam accedere, & ex ea Calicem extrahere, tunc alius Sacerdos, cotta, & Stola nigra indutus, capſulam aperiat, & ſuo tempore Sacramentum extrahat, quod reponet in loco congruo ſuper Corporale, ut faciliùs Diaconus illud accipere poſſit. Biſſus *ſuprà.* ) & relicta ea capſula aperta, deſcendit ex ſcabello, & in eodem loco ſuper ſuppedaneum iterum genuflectit; ſed nunc utroque genu, & profundè inclinat ( vel meliùs unico genu, ùt infrà dicetur) ſurgit, deſcendit in planum, ſe ſiſtit ad dexteram Celebrantis, & non genuflectit. Benven. *ſuprà §. Completa*, Hippolytus à Portu *ſuprà n. 11.* quia ſtatim Naviculam miniſtrare debet, ùt infrà.

XLIII. Rubric. n. 13. pag. 197. & Gavant. pag. 198 col. 2. lit. v *Imponit Incenſum in duobus Thuribulis, Diacono Naviculam miniſtrante &c.*) Tunc Celebrans, & Subdiaconus ſurgunt, abſque alia genuflexione. Benvenuti *ſuprà*, & ùt colligitur ex Inſtructione Clementis XI. fel. rec. pro Oratione 40. Horarum, ſuprà à nobis tradita. Accedit primus Thuriferarius, qui utroque genu genuflexus, Naviculam Diacono tradit, qui eam aperiens, & accipiens ex ea Cochleare vacuum, Incenſum miniſtrat Celebranti, abſque oſculis manus, & rerum, quæ omnia omittuntur in hoc officio. Gavantus, à Portu *ſuprà n. 12.* Benvenuti *ſuprà*. Celebrans, accepto Cochleari de dextera manu Diaconi, ter incenſum ſumens de Navicula, ter imponit Incenſum in primo Thuribulo, ſine benedictione, nihil dicens: Bauldry *Part. 2. cap. 19. Articul. 1. num. 5.* Poſteà recedit primus Thuriferarius cum ſuo Thuribulo (retinente tamen Diacono Naviculam) & verſùs cornu Epiſtolæ genuflectit utroque genu, agitans interim Thuribulum, non tamen Sanctiſſimum Sacramentum incenſat; tum accedit, facta priùs ſuo in loco genuflexione, ſecundus Thuriferarius cum Thuribulo ad Celebrantem, & ante eum utroque genu genuflexus, thuribulum elevat ( ne ipſe Celebrans cogatur ſe inclinare, dum incenſum imponit, quod ſemper ſervandum eſt, Bauldry *ſuprà n. 4.* ) Diaconus Incenſum Celebranti miniſtrat ſine oſculis ùt ſuprà; Celebrans Incenſum imponit in ſecundo Thuribulo eodem

dem modo, quo impoſuit in primo Thuribulo, quo facto, ſtatim hic ſecundus Thuriferarius ſurgit, & facta Sacramento genuflexione, accedit versùs cornu Evangelii, ubi genuflexus utroque genu, agitat Thuribulum, ſed Sacramentum non thurificat. Abbas Benvenuti, & alii.

XLIV. Rubric. n. 13. pag. 197 & Gavant. pag. 198. col. 2. lit. x *Incenſat Sacramentum &c.*) Tum Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt utroque genu in infimo Altaris gradu, & Thuriferarius primus, recepta priùs Navicula, genuflexus utroque genu, Thuribulum Diacono tradit, & Diaconus Celebranti ſine oſculis. Biſſus *ſuprà* §. 9. Benvenuti *ſuprà* §. *Tunc*. Celebrans, accepto Thuribulo, cum Diacono, & Subdiacono facit profundam inclinationem SS. Sacramento in ſupradicta Capſula aperta exiſtenti, & ſtatim erigunt ſe à profunda inclinatione, ſed adhuc tamen manent genuflexi, & ſtatim Celebrans ter graviter incenſat de more Sanctiſſimum Sacramentum. Interim Miniſtri Sacri elevant etiam de more partem poſteriorem Planetæ Celebrantis circa brachia. Bauldry *part.* 4. *cap.* 10. *de Fer. VI. in Paraſceve Art.* 4. *n.* 2. Biſſus, Corſettus, & Benvenuti *ſuprà*. Sacramento incenſato, iterum Celebrans cum Miniſtris profundè ſe inclinat. Diaconus ſtatim recipit Thuribulum à Celebrante, quod tradit Thuriferario, qui ſtatim genuflexione facta utroque genu, Bauldry *ſuprà n.* 3. recedit, & genuflectit in plano Sacelli, è regione alterius Thuriferarii, uſque ad Proceſſionis initium. Memoriale Rit. *ſuprà* §. 6. *num.* 15. Bauldry *ſuprà*. Ambo tamen Thuriferarii ſe locare debent in loco, ut commodè procedere poſſint ante Celebrantem. Biſſus *ſuprà* §. 10. ſed advertant, ne aliis ſint impedimento, ut faciliùs omnes poſſint ante eos procedere in Proceſſione, ùt colligitur ex Biſſo *ſuprà* §. 8.

Reddito Thuribulo Thuriferario, imponitur velum humerale album per Magiſtrum Ceremoniarum ſuper humeros Celebrantis adhuc genuflexi; vel etiam imponitur prædictum velum per Miniſtros Sacros, adjuvante Ceremoniario, Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 20. Bauldry *ſuprà n.* 3. Biſſus *ſuprà* §. 10. quod ſpinulis, vel vittis ſericis firmabitur, ne per viam decidat, & ut æqualiter hinc inde pendeat. Ceremoniale Epiſc *ſuprà*; cit. Doctores, & Horatius Chriſtiani *cit. num.* 9 & alii.

XLV. Rubric. n. 13. pag. 197. *Tum Diaconus extrahens Calicem &c.*) Quo facto Diaconus ſurgit, & abſque alia genuflexione aſcendit ſuper ſuppedaneum Altaris, ibique utroque genu genuflectit, & profundè inclinat: à Portu *ſuprà n.* 14. Benvenuti *ſuprà*; vel potiùs genuflectit unico tantùm genu, ut commodiùs ſurgere poſſit, ùt colligitur ex Bauldry *ſuprà n.* 4. ex Biſſo *ſuprà* §. 10. & præſertim ex eodem *lit. M. n.* 122. §. 1. tum aſcendit ſuper ſcabellum paratum, Sanctiſſimo Sacramento caput inclinat, extrahit de Capſula Calicem cum SS. Sacramento, parvo velo albo coopertum, ibidem remanente Pyxide (ſi heri delata fuit) cum particulis pro infirmis, quæ poſteà ad alium locum deferetur. Biſſus *lit. P. ſuprà* §. 10.

XLVI. Rubric. n. 13. pag. 197. & Gavant pag. 198. col. 2. lit. y *Dat ad manus Sacerdotis &c.*) Diaconus igitur Calicem tenens ambabus manibus, dextera ſcilicet per nodum, ſiniſtra per pedem, deſcendit de ſcabello, vertit ſe, & erectus ac ſtans illum tradit Celebranti genuflexo; ſed advertendum, quòd extracto Calice de Capſula, ſtatim eam claudit altera manu (ſi tamen in Capſula reperiatur Pyxis cum Particulis conſecratis, nam ſi Pyxis non reperiatur, reliquenda eſt Capſula aperta) quòd ſi non poſſit, reponat priùs ſuper Altare Calicem, cujus in medio ad hunc finem erit extenſum Corporale, & clauſa capſula, accipiet de Altari Calicem cum Sanctiſſimo Sacramento, abſque ulla genuflexione, & eum tradet Celebranti *ut ſuprà*, Benvenuti *ſuprà*. Celebrans



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

verò tenet ſiniſtra Calicis nodum undequaque ſuo velo albo coopertum, & dexteram ſuper eundem Calicem ad cautelam ponit. Diaconus autem, extremitatibus Veli humeralis pendentibus à Celebrantis humeris, ipſius manus cooperit ſicùt heri. Deinde Celebrans expectat, ut Diaconus adoret utroque genu, & Sanctiſſimo Sacramento inclinet. Biſſus *ſuprà*, Bauldry *ſuprà n.* 4. Benvenuti *ſuprà*; Idque colligitur etiam ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. Tum ſurgit Celebrans, & aſcendens ad ſuppedaneum, vertit renes Altari, & faciem versùs Populum, ùt ad principium Proceſſionis fecit heri in Cœna Dominica, à Portu *ſuprà num.* 16. Memoriale Rituum *ſuprà* § 6. *num.* 18. & interim Diaconus & Subdiaconus, cum debita genuflexione, mutant loca adinvicem.

XLVII. Rubric. n. 13. pag. 197. *Et procedunt ordine quo venerunt &c.*) Poſteà omnes ſucceſſivè ſurgunt, ùt pridie, factis genuflexionibus, & Proceſſio revertitur ad Altare majus per viam longiorem hoc ordine. Præcedit Subdiaconus cum Cruce, medius inter Ceroferarios, geſtantes Candelabra cum Candelis accenſis, quem ſequitur Clerus, inferioribus præcedentibus ùt heri, ultimò Celebrans cum Sanctiſſimo Sacramento, medius inter Miniſtros ſacros, qui ſimul cum ipſis recitat ſubmiſſa voce Hymnum: *Vexilla Regis &c.* Biſſus *ſuprà*, Memoriale Rit. *ſuprà n.* 20. & Benvenuti *ſuprà*.

XLVIII. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. ibid. col. 2. lit. z *Defertur Baldacchinum, &c.*) Dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris ſupradicti ſacelli cum Sanctiſſimo Sacramento, ſi videbitur, poterit elevari umbella ſerica albi coloris ſupra caput Celebrantis, priuſquàm tranſeat, & Baldacchino ſe ſupponat. Ex Baruffaldo *ſuprà tit.* 80. §. 3. *n.* 37. quod ſemper ſervari poterit in ſimilibus caſibus; deinde Baldacchino ſe ſupponit, quod defertur ab iis quos diximus *ſuprà*. Advertendo tamen, quòd, qui deferunt haſtas Baldacchini, ſive ſint Beneficiati cum ſolis cottis, ſive ſint Canonici in ſuo habitu chorali, expectare debent cum Baldacchino ante fores Sacelli Celebrantem, quo perveniente, & procedente, ipſi Baldacchinum elevant, & procedunt cum Celebrante. Ex Hippolyto à Portu *ſuprà num.* 17. Ante Baldacchinum præcedere debent, qui deferunt intortitia, & candelas accenſas, ùt heri, & duo Thuriferarii, continuò incenſantes Sacramentum, pariter ùt heri. Ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 31.

XLIX. Rubr. n. 13. p. 198. & Gav. ibid. col. 2 lit. a *Vexilla Regis prodeunt &c.*) Antequàm Celebrans in ſacello ſurgat, vel ſurgente Celebrante, Cantores adhuc genuflexi incipiunt Hymnum *Vexilla Regis prodeunt &c.* & omnes illico ſurgunt proſequentes eundem Hymnum, & facta ſimul genuflexione (exceptis Thuriferariis) procedent ad Altare per longiorem viam, ùt ſitus loci permittet, ordine quo venerant; Thuriferarii verò præcedendo immediatè Sanctiſſimum Sacramentum, ùt heri, Thuribula ſua movebunt; tum Celebrans, medius inter Sacros Miniſtros, qui ejus ſuſtentant brachia, ſi opus eſt, non verò Planetam, Sanctiſſimum Sacramentum reverenter portabit ſub Baldacchino, eodemque Ritu, quo heſterna die, recitando cum Miniſtris ſuis prædictum Hymnum ſubmiſſà voce. Si longior fuerit Proceſſio, poterit à Choro Hymnus repeti, ſic tamen, ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantùm in fine.

L. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. ibid. col. 2. lit. b *Cùm venerit Sacerdos ad Altare &c.*) Cùm Proceſſio pervenerit ad Altare, Laici, ſi qui ſunt, & qui præcedunt omnes in hac Proceſſione, genuflectent circa Cancellos. Caſtaldus *ſuprà n.* 7. Bauld. *ſuprà n.* 7. Subdiaconus vero cùm pervenerit in presbyterium, antequàm deponat Crucem, & Ceroferarii, antequàm deponant Candelabra, nullam faciunt Reverentiam. Subdiaconus tamen deponet Crucem in aliquo loco congruo à latere Epiſtolæ, & ibidem genuflec-

nuflectet, ùt vult Gavantus *hic*; Horatius Chriſtiani, Caſtaldus *ſuprà*, Ceremoniale Monaſticum *lib.* 4. *cap.* 9 *num.* 11. &c. Corſettus *ſuprà n.* 15. ſed Bauldry *ſuprà n.* 7. Benvenuti *ſuprà* §. *Cùm perventum fuerit*, & Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 12. *n.* 8. volunt, quòd Subdiaconus Crucis, poſt depoſitam Crucem, redeat ad Sacriſtiam, ubi Sacras Veſtes deponat, & iterum habitu ſuo chorali indutus ad Presbyterium accedat, ubi cum aliis in ordine ſuo genuflectet. Hippolytus tamen à Portu *ſuprà* n. 20. utrumque approbat, ſiquidem ſupradictus Subdiaconus tunc jam functus eſt Officio ſuo ideoque diſcedere poteſt, licèt non ſit perſolutum officium Divinum, & poſteà, ùt *ſuprà*, redire; Vel poteſt indutus Sacris Veſtibus in parte Epiſtolæ genuflexus aſſiſtere, ſicùt etiam Ceroferarii, depoſitis ſuis Candelabris ſuper Credentia, genuflectunt, ùt ad Miſſam. Hippolytus à Portu *ſuprà*.

Reliqui verò pariter eodem ordine, quo venerant, Presbyterium ingredientur, non genuflectentes Cruci in Altari poſitæ. Presbyterium ingreſſi procumbent in genua hinc inde, vel quaſi in gyrum, non tamen prope Credentiam, ne acceſſum aliorum impediant, ſicque diſponentur, ita ut ſeniores ſint Altari proximiores (niſi ſit contraria conſuetudo) ibique remanent omnes uſque ad finem. Biſſus *ſuprà* §. 11. & alii; ſi verò Chorus ſit prope, & ante Altare, tunc Clerus accedet ad illum, & genuflectet in ſuis locis, ſeu ſtallis. Bauldry *ſuprà n.* 7. quod etiam colligitur ex Nicolao de Bralion *ſuprà*.

Celebrans autem, præcedentibus Acolythis, vel aliis, intortitia accenſa deferentibus, medius inter ſuos Miniſtros, ingreditur Presbyterium (removentibus Baldachinum extra Cancellos Altaris aliquibus deputatis, vel ubi non ſunt Cancelli, ad gradus Presbyterii. Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 32. & Biſſus *ſuprà*,) & ſtatim prompta ſit umbella elevanda ſuper caput Celebrantis, ùt innuimus *ſuprà*, uſque ad Altaris gradus. Cùm Celebrans ingreditur Presbyterium, omnes, ùt *ſuprà*, genuflexi cum candelis accenſis in manibus, inclinabunt profundè caput, & Sanctiſſimum Sacramentum oculis externis devotè, interiùs autem humili, & propenſiore affectu, proſequentur, donec ad Altare pervenerit, ad quod manebunt converſi, neque ſurgent, nec extinguent Candelas, donec fuerit completa Communio. Thuriferarii quoque ceſſabunt à thurificatione, & hinc inde genuflectent ante infimum gradum, primus à latere Epiſtolæ, ſecundus verò à latere Evangelii. At Celebrans cum Miniſtris aſcendet ad ſecundum gradum Altaris, hoc eſt ſuppedaneo proximiorem, Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 26. ſi tres ſint gradus; ſi verò duo ſint gradus, tunc ſiſtet in primo gradu, Benvenuti *ſuprà*. Subdiaconus interim genuflectet à ſiniſtris Celebrantis utroque genu. Biſſus *lit. F. num.* 45. § 26.

LI. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. ibid. col. 2. lit. c *Poſito ſuper illud Calice, cum Miniſterio Diaconi &c.*) Celebrante igitur ſtante ùt *ſuprà* in ſecundo gradu, Diaconus interim in ſuppedaneo flectet utrumge genu, verſis aliquantulùm renibus ad cornu Epiſtolæ; deinde ſurget, & remotis extremitatibus veli oblongi, iterum genuflexus, accipiet reverenter Calicem manu dextera per nodum, vola verò ſininiſtra regens ejus pedem, de manu Celebrantis, qui, tradito Calice, unà cum Subdiacono genuflexus, adorabit SS. Sacramentum. Tum Celebrans erigit ſe à profunda inclinatione; non tamen ſurgit; & tunc Subdiaconus, adhuc genuflexus, ab humeris ipſius Celebrantis, adjuvante Ceremoniario, amovet velum humerale, quod ab aliquo Acolytho, vel Ceremoniario, factis genuflexionibus antè, & poſt, ad Credentiam reportatur; Bauldry *ſuprà*, & Biſſus *ſuprà*, & notandum, quòd non decet removere dictum velum, ſtatim ac Celebrans depoſuerit Calicem in manibus Diaconi (ùt fit à multis) ne diſtrahatur à ve-

veneratio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

neratione Sacramenti. Adorato SS. Sacramento à Celebrante, Diaconus ſurgit, & Calicem cum SS. Sacramento collocat in medio Altaris ſuper Corporale, coopertum adhuc parvo velo, ſolvendo interim vittam appoſitam ad cautelam, quam ponit versùs cornu Epiſtolæ; & extendendo velum parvum ejuſdem Calicis, ùt fit in initio Miſſæ, Memoriale Rit. *ſuprà n.* 24. caveat, ne Patena de Calice cadat; tum Diaconus genuflectit in ſuppedaneo prope Altare unico genu, ut faciliùs ſurgere poſſit, ſed quaſi renes vertens ad cornu Epiſtolæ, ob reverentiam Celebrantis, Bauldry *ſuprà*, & Biſſus *ſuprà*; deinde ſurgit, deſcendit ad dexteram Celebrantis, terga pariter vertens cornu Epiſtolæ, & ſiſtit ſe in ſecundo gradu, non genuflectens, Benvenuti *ſuprà* § *Poſtquàm*, quia ſtatim miniſtrare debet Celebranti Naviculam pro impoſitione Incenſi in Thuribulo.

LII. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. ibid. col. 2. lit. c *Genuflexus Celebrans iterum incenſat Sacramentum &c.*) Interim primus Thuriferarius, qui expedit ſe, poſitis priùs novis carbonibus, ſi opus fuerit, in Thuribulo, & facta genuflexione, ad dexteram Diaconi accedit, Biſſus *ſuprà* §. 28. ibi genuflectit, & Thuribulum miniſtrat (quòd ſi præfatus Thuriferarius non eſſet promptus cum Thuribulo, uti eſſe deberet, tunc Diaconus, poſtquàm acceſſerit ad dexeram Celebrantis, genuflectet ſimul cum eo. Biſſus *ſuprà* §. 27. Curet tamen Ceremoniarius, ut omnia ita tempeſtivè fiant, ne ob nimiam moram, ùt interdum accidit, ſcandalum oriatur) tunc ſurgit Celebrans, & Subdiaconus, qui Celebrans aliquantulùm retrahit ſe versùs cornu Evangelii, & ſtans in eodem ſecundo gradu, ponit incenſum ter in Thuribulo abſque benedictione, nihil dicens, miniſtrante Diacono ſine oſculis, Memoriale Rituum *ſuprà n.* 25. quo facto, reddito cochleari, & accepto Thuribulo à Diacono, genuflexus ter incenſat Sacramentum more ſolito, factis debitis inclinationibus antè & poſt, elevantibus Miniſtris Sacris hinc inde partem poſteriorem Planetæ circa brachia, Memoriale Rituum *ſuprà n.* 26. Bauldry *ſuprà n.* 19. & alii Rubriciſtæ communiter.

Incenſato Sacramento, Celebrans reddit Thuribulum Diacono, & hic Thuriferario, qui illud præparatum tenet, pro incenſandis de more oblatis. Biſſus *ſuprà*. Poſt prædictam incenſationem, ſecundus Thuriferarius recedit cum Thuribulo in Sacriſtiam, Gavantus *hac lit. c.* Corſettus *ſuprà n.* 16. Bauldry *ſuprà n.* 9 facta priùs Sacramento genuflexione utroque genu, & depoſitis in eadem Sacriſtia Thuribulo, & Navicula, redit in Presbyterium, ubi in ordine ſuo genuflexus (facta priùs in medio genuflexione, ùt *ſuprà*) candelam accenſam tenet; Bauldry *ſupr.* §. 28. niſi tamen ſecundus iſte Thuriferarius Navicularii Perſonam gerat, tunc enim non accipiet prædictam candelam accenſam, Ideò autem diſcedit è Presbyterio, & ſecundùm Thuribulum dimittit, quia jam eſt abſoluta Proceſſio; Corſet. *ſuprà n.* 16. & Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 22. & extra Proceſſionem, & Reliquiarum translationem non approbat uſum duorum Thuribulorum S. R. C. ùt apparet ex Decreto edito die 15. Martii 1628. *in Alexandrina*, dato in noſtro Indice ſub n. 87. & ex alio edito die 20. Julii 1618. *in Lucerina*, dato verò in noſtro Indice ſub n. 168.

Sicùt ſecundus Thuriferarius recedit in Sacriſtiam ad reponendum Thuribulum, ita etiam octo Haſtiferi, ſi Pluvialibus eſſent induti, deberent ad Sacriſtiam pergere, & ibi Pluvialia deponĕre, & deinde Presbyterium ingredi, & ponere ſe in gyro Beneficiatorum, vel Manſionariorum, proùt illis convenit, ibique genuflectere, & accipere ab aliquo Acolytho cereos accenſos. Sed quando dicti Haſtiferi cum ſuo habitu chorali, vel cum ſuis Cottis tantùm ſunt induti, tunc ſtatim, ac

haſtas

haſtas Baldacchini dimiſerint, aſcendent ad Presbyterium, & ſe ponent in locis ſibi competentibus, ibique accipient cereos accenſos, & cum aliis genuflectent.

LIII. Rubr. n. 13. pag. 198 & Gavant. ibid. col. 2. lit. d *Deponit Hoſtiam, &c.*) Reddito Thuribulo poſt incenſationem, Celebrans cum Miniſtris Sacris ſurgit, & medius inter ipſos, aſcendit ad Altare, ubi cum prædictis Miniſtris genuflectit unico genu; ſurgunt omnes; tum Diaconus velum è Calice removet, quod primus Ceremoniarius, exiſtens ad dexteram Diaconi, tradit primo Acolytho, ideò ad Altare advenienti, cum utriuſque genuflexione, qui illud poſteà plicatum, facta iterum genuflexione, ùt ſuprà, ad Credentiam reportat. Ex Hippolyto à Portu *ſuprà*; inſuper Diaconus genuflectit unico genu, & removet Patenam (quam invertens ponit ſuper Corporale, non ſubtus, verſùs cornu Epiſtolæ) & Pallam cum nova ſubſequenti genuflexione Hippolytus à Portu *ſuprà*, & Bauldry *ſuprà n.* 10. Deinde Diaconus, reſumens Patenam ambabus manibus, eam tenet elevatam ſuper Corporale coram Celebrante, qui accepto Calice, eum declinat ut Sacra Hoſtia de Calice exiens cadat ſuper Patenam, & advertat Celebrans, quantùm fieri poteſt, ne prædictam Hoſtiam manibus tangat; quòd ſi caſu eam tetigerit, ibidem lavabit ſtatim digitos aqua contenta in vaſe, ad hoc ſuo loco præparato, quam poſteà ipſe Celebrans poſt ſuam Communionem ſumet, eosque digitos ſtatim exterget, Diacono Purificatorium miniſtrante Bauldry *ſuprà n.* 11. Biſſus *ſuprà* §. 29. Benvenuti *ſuprà* §. *Facto.* Emiſſa Sacra Hoſtia, Celebrans reponit Calicem in ſuo loco in medio Altaris ſuper Corporali, Benvenuti *ſuprà*, vel potiùs ſuper eodem Corporali, ſed versùs cornu Epiſtolæ, ùt tenet Biſſus *ſuprà.* Calice depoſito, Celebrans reverenter accipit ambabus manibus Patenam de manibus Diaconi ſine ipſius oſculis, & Hoſtiam Sacram reponit in medio ſuper Corporale, nihil dicens, nulloque ſigno Crucis facto cum Patena, quam non collocat ſubtus Corporale, ob reverentiam ſacrarum ſpecierum, quas tetigit, & quarum aliquod fragmentum remanere poſſet in ea, ſed eam ponit versùs cornu Epiſtolæ ſuper Corporale. Biſſus *ſuprà*, Bauldry *ſuprà n.* 11. Vinitor *part.* 6. *tit.* 11. *n.* 38. *& ſeqq.* Memoriale Rituum *ſuprà* §. 7. *n.* 1. 2. *&* 3. à Portu *ſuprà n.* 23. & Benvenuti *ſuprà*.

LIV. Rubr. n. 13. pag. 198. & Gavant. pag. 199. col. 1. lit. e *Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, &c.*) Hactenus Subdiaconus ſtetit ad Celebrantis ſiniſtram, & primus Ceremoniarius ad Diaconi dexteram; ſed depoſita à Celebrante Patena ſuper Corporale, vel paulò citiùs, Subdiaconus genuflectens unico genu in loco in quo eſt, & tranſiens (ſine genuflexione in medio) ad dexteram Diaconi, accedit paululùm primo Ceremoniario in ſecundo gradu laterali; & iterum Subdiaconus ibidem genuflectit unico genu: interim delatis ampullis è Credentia (cum manutergio) aquæ, & vini, ad Altare per primum Acolythum cum genuflexione, comite ſecundo Ceremoniario, Diaconus, Calice non exterſo, nec antè, nec poſt, propter ſacras ſpecies, imponit tantum vini in Calicem, quantum placuerit Celebranti, & deinde Subdiaconus parum aquæ, non petens benedictionem à Celebrante, qui neque dicit conſuetam Orationem, ſcilicet: *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ, &c.* Bauldry *ſuprà n.* 12. Biſſus *ſuprà* § 30. à Portu *ſupr. n.* 25. Vinitor *ſupr. n.* 40. Benvenuti *ſuprà.*

LV. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. pag. 199. col. 1. lit. f *Nihil dicens, &c.*) Impoſito vino, & aqua in Calice, qui nullo modo extergitur, Diaconus ſtatim ſine oſculis tradit Calicem Celebranti, qui illum accipit, & nihil dicens, neque ullo cum eo facto Crucis ſigno, eum deponit ſuper Corporale poſt Hoſtiam conſecratam, ùt fieri ſolet in Miſſa, quem Calicem poſteà Diaconus, nulla facta genuflexione (quia in Calice non eſt

Sacramentum) ſua Palla cooperit. Bauldry *ſuprà n.* 13. Biſſus *ſuprà* §. 31. Vinitor, Benvenuti *ſuprà*. Rurſus impoſito vino, & aqua, primus Acolythus accipit ampullas, & facta genuflexione Sacramento, reponit ampullam vini in loco conſueto, & retinens lancem cum ampulla aquæ, cedit manutergium ſecundo Acolytho, & uterque ſtat prout ad Miſſam Sollemnem. Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 27. Subdiaconus verò, qui eſt à dexteris Diaconi, genuflectit ibidem unico genu, & ſurgens, ad ſiniſtram Celebrantis redit, ubi denuo genuflectit unico genu; à Portu *ſuprà n.* 29. Benvenuti *ſuprà*, non enim Subdiaconus in hac Feria VI. in Paraſceve Patenam ſuſtinere debet. Biſſus *ſuprà*, Bauldry *ſuprà n.* 13.

LVI. Rubric. n. 13. pag. 198. & Gavant. pag. 199. col. 1. lit. g *Abſque Benedictione, &c.*) Diſpoſitis omnibus, ut ſuprà dictum eſt, accedit Thuriferarius cum Thuribulo & Navicula ſemiaperta (vel etiam Navicularius, ubi eſt conſuetudo, geſtans prædictam Naviculam) genuflectens utroque genu ſuper ſuppedaneum, tunc Celebrans cum Miniſtris ſuis parùm ſe vertit ad ipſum; Thuriferarius verò, vel Navicularius, ſi adeſt, tradit more ſolito Diacono Naviculam, quo miniſtrante ſine oſculis more ſolito, Celebrans, nulla interveniente Benedictione, imponit ter incenſum in Thuribulo, quo recepto à Diacono pariter ſine oſculis, habens Diaconum prædictum, & Subdiaconum hinc inde ſtantes, genuflectit ſimul cum ipſis unico genu Sacramento, tum ſurgunt omnes. Benvenuti *ſuprà* §. *Tunc Celebrans*, Biſſus *lit. F. ſuprà* §. 32. Bauldry *ſuprà*. Et Celebrans, Diacono à dexteris ipſius pedem Calicis dextera tenente, ſiniſtra verò poſteriorem Planetæ partem circa brachia tantillùm elevante (quam etiam eodem modo Subdiaconus dextera manu, ſiniſtra infra pectus admota, elevat) incenſat oblata cum gravitate, & mora competenti, dicendo: *Incenſum iſtud, &c.* facta tamen cum Diacono ipſo à dexteris aſſiſtente, & Subdiacono à ſiniſtris, ante, & poſt incenſationem oblatorum, genuflexione, ex Rubrica n. 13. & Biſſo infrà citando; ſicùt etiam, quandocumque tranſit ante Sacramentum, debet ſimiliter genuflectere. Poſt incenſationem oblatorum, utrùm ſit incenſanda Crux Altaris, controvertunt DD. nam Tonellius lib. 3. *cap.* 2. §. 2. *&* 11. nec non Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 33. quibus accedit à Portu *ſuprà n.* 30. tenent quòd præſente figurato debet ceſſare cultus figuræ, adeoque incenſatis oblatis, nempe Sacramento, volunt non eſſe incenſandam Crucem. Gavantus, Bauldry, & Caſtaldus *ſuprà*, nullam faciunt mentionem de hac Crucis incenſatione, ſolumque dicunt, inhærendo verbis Rubricæ, eſſe incenſanda oblata, & Altare more ſolito; & ex his verbis colligitur, eoſdem Auctores verſari in ſententia contraria, & ſuſtinere Crucem eſſe incenſandam, quia hoc eſt de more. Quæſtio tamen, & dubium omne circa hunc Ritum ceſſat, ob Decreta edita à S. R. C. & data in noſtro Indice ſub *n.* 519. *&* 535. in quibus ſtatuitur, quòd in hac Feria poſt thurificationem oblatorum debet incenſari Crux, facta tamen tali incenſatione non eſſe iterum thurificandum Sacramentum, quæ quidem Decreta conſonant Rubricæ hujus diei, & doctrinæ prædictorum Auctorum, dicentium, oblata, & Altare eſſe thurificanda more ſolito.

Eadem Crucis incenſatio præſcribitur etiam in Ceremoniali Epiſcoporum recentiſſimè recognito à Benedicto XIII. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 33. *& cap.* 26. §. 19.

Rationes adductæ à Biſſo, & Tonellio, juvant ad probandum, non eſſe incenſandam Crucem, quæ eſt ſuper Altari, quando eſt expoſitum SS. Sacramentum, ut etiam nos iiſdem rationibus permoti ſuo loco tradidimus. Cæterùm in hac Feria VI. Paraſceves, in qua fulget Crucis myſterium, & in qua Sancta Mater Eccleſia huic principali inſtru-

menta

mento Paſſionis Chriſti Domini ſpecialia cultus ſigna exhibet, incenſato Sacramento, optimè præſcribitur, quòd etiam incenſanda ſit Crux, licèt hæc ſit figura, illud verò originale, & figuratum.

Diximus paulò antè, debere incenſari oblata, & Altare more ſolito hac die, unde eadem omnino ſervari debent, quæ ſervantur in Miſſa Sollemni pro incenſatione oblatorum, videri igitur poſſunt ea, quæ à nobis diligenter tradita ſunt *part.* 2. *tit.* 8. *n.* 4. *& ſeqq.* Rurſus diximus, poſt incenſationem oblatorum incenſandam eſſe Crucem Altaris, in qua incenſatione hic Ritus ſervari debet. Incenſatis oblatis, Diaconus amovet Calicem de medio Altaris, illumque collocat à parte Epiſtolæ, ſed ſuper Corporale, cùm in eo reperiatur particula Hoſtiæ conſecratæ. Tunc Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt uno genu; Celebrans tamen, dum genuflectit, ponit manuum extremitates ſuper Altare, ut faciliùs genuflectere, & ſurgere valeat. Surgunt deinde uniformiter omnes, & Celebrans ter incenſat Crucem in medio tantùm æquali ductu, ita ut ad unumquemque ictum tantillùm quieſcat, & tractim ducat thuribulum. In primo ductu dicitur: *Dirigatur*; in ſecundo: *Domine*; in tertio: *Oratio mea*, & ſtatim Diaconus ponet Calicem in medio Corporalis in ſolito ſuo loco. Tunc iterum omnes ùt ſuprà genuflectunt, & deinde ſurgunt, & proſequuntur Altaris incenſationem hoc modo.

Primò incenſatur, ùt fit in Miſſa Sollemni, planities poſterior à parte Epiſtolæ triplici ductu, per lineam rectam æquali diſtantia diſtributo, proùt diſtribuuntur candelabra, quæ tamen, ùt alibi diximus, agentes de Miſſa Sollemni *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 25. *& ſeq.* non incenſantur: hi ductus fient incipiendo prope medium, & progrediendo ad latus Epiſtolæ. In primo ductu Celebrans dicit: *ſicut*; in ſecundo: *incenſum*; in tertio: *in conſpectu tuo*. Cùm pervenerit Celebrans ad cornu Epiſtolæ, demittet Thuribulum, & inclinatur ipſe quantùm commodè poteſt, & incenſat uno ductu inferiorem partem illius lateris dicens: *Elevatio*, poſteà ſe elevans, incenſat uno ductu partem ſuperiorem ejuſdem lateris dicens: *manuum*. Deinde adhuc elevans Thuribulum ſupra planitiem anteriorem Altaris, eam incenſat, Thuribulum in ſemicirculum ter ducendo circa oram ejuſdem partis anterioris, ùt diximus *loc. cit. n.* 26. incipiendo à cornu, & progrediendo per æqualem diſtantiam ad medium. In primo ſemicirculo dicet: *mearum*; in ſecundo: *Sacrificium*; in tertio: *veſpertinum*. Tunc Celebrans, & Miniſtri Sacri genuflectunt SS. Sacramento uno genu; deinde proſequitur Celebrans incenſare poſteriorem planitiem Altaris ex parte Evangelii triplici ductu, per lineam rectam æquali diſtantia diſtributo, ùt ſuprà, incipiendo prope medium, & progrediendo ad latus Evangelii. In primo ductu dicet: *pone Domine*; in ſecundo: *cuſtodiam*; in tertio: *ori n eo*. Poſteà incenſat partem inferiorem lateris, & ſuperiorem, eo modo quo incenſavit à latere Epiſtolæ; dicens incenſando in parte inferiori: *& oſtium*; in ſuperiori: *circumſtantiæ*. Poſt hæc incenſat planitiem anteriorem Altaris ab eadem parte Evangelii, eodem modo, quo à parte Epiſtolæ, incipiendo ſemicirculum à cornu, & formando ſemicirculos hujus partis ùt diximus *cit. loc. ſuprà*, & progrediendo ad medium; in primo ſemicirculo dicet: *labiis meis*; in ſecundo: *ut non*; in tertio: *declinet*. Tunc nulla præmiſſa reverentia, retrocedens à medio Altaris, accedit ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulùm demiſſa incenſat partem illius anteriorem, ſeu frontem, ter ducens recta linea, & æquali diſtantia Thuribulum, incipiendo à cornu, & progrediendo ad medium, ùt fieri ſolet in Miſſa Solemni, & in Veſperis. In primo ductu dicet: *cor meum*; in ſecundo: *in verba*; in tertio: *malitiæ*. Poſteà Celebrans, & Miniſtri Sacri genuflectunt uno

genu, & ſurgunt; & Celebrans progreditur ad incenſandam triplici ductu partem aliam anteriorem Altaris, ſeu frontem Menſæ incipiendo ab ejus medio, & procedendo ad cornu Epiſtolæ. In primo ductu hujus poſtremæ incenſationis dicet: *ad excuſandas*; in ſecundo: *excuſationes*; in tertio: *in peccatis.* Hæc prædictorum verborum diſtributio ſervari poteſt quotieſcunque in Miſſa Sollemni incenſatur Altare poſt oblata.

In tota incenſatione Diaconus, & Subdiaconus, hinc inde ſtantes, partem poſteriorem Planetæ Celebrantis elevant. In quolibet ictu Thuribulum ducitur, & reducitur; & quando Sacerdos progreditur thurificando, pari paſſu progrediuntur & ejuſdem Miniſtri Sacri: advertendo, quòd manus thurificantis, quantùm fieri poteſt, concordet cum motu pedis. Terminata incenſatione, Celebrans in cornu Epiſtolæ reddit utraque manu Thuribulum Diacono, dicens: *Accendat in nobis, &c.* Diaconus autem tunc ſtat in ſecundo gradu, ſupponensque manum ſuam, vel ambas dexteræ Celebrantis, capit Thuribulum prope vas ſua manu dextera, manubrium verò ſua manu ſiniſtra, ſed ſine oſculis, & ſtatim illud conſignat Thuriferario; hodie enim nec Celebrans, nec alii ullo modo incenſantur. Tum ipſe Thuriferarius, cum Thuribulo, & Navicula, facta genuflexione unico genu SS. Sacramento, redit in Sacriſtiam, ibique ſuum Thuribulum, & Naviculam relinquit, cùm amplius inſervire non debeant, & inde redit in Presbyterium, ubi facta in medio genuflexione utroque genu (quia nunc non reperitur impeditus à Thuribulo, & Navicula, ùt erat, dum redibat in Sacriſtiam) vadit ad Credentiam, ſeu ad locum ſuum, & cum aliis manet genuflexus. Bauldry *ſuprà n.* 14. Biſſus *lit. F. n.* 45. §. 34.

Huc ſpectat innuere Decretum emanatum die 15 Septembris 1736. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 699. in quo declaratur, quòd quando lignum S. Crucis ſuper Ara expoſitum incenſatur, hoc debet fieri à Celebrante non genuflexo, ſed ſtante: unde ſi in Altari hac die in Cruce incenſanda adeſſet particula veri ligni Sanctæ Crucis, non ideò incenſari deberet à Celebrante genuflexo.

## Pro Ritibus ſervandis in Officio hujus Feriæ, à lotione manuum Sacerdotis, uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſivè.

LVII. Rubr. n. 14. pag. 199 & Gavant. ibid. col. 1. lit. i *Lavat manus, facie &c.*) Celebrans reddito Diacono Thuribulo, immediatè (advertens, ne terga SS. Sacramento vertat) deſcendit cum Miniſtris Sacris in planum extra gradus Altaris, per gradus laterales cornu Epiſtolæ, ubi verſa facie ad Populum, Gavantus *hic*, Cerem. Epiſ. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 19. nihil dicens, lavat manus, miniſtrante aquam & pelvim primo Acolytho; & Diaconus à dexteris, Subdiaconus verò à ſiniſtris Celebrantis, tenentes faciem ad eum converſam, & terga ad Populum, mediumque habentes prædictum primum Acolythum, eidem Celebranti miniſtrant manutergium, acceptum de manu ſecundi Acolythi, ſed ſine oſculis, prout fit in Miſſa Defunctorum, quia hìc Sacri Miniſtri non ſunt in aliis impediti, ùt colligitur ex Bauldry *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 14. *& part.* 4 *cap.* 10. *art.* 4 *num.* 15. ex Biſſo *ſuprà* §. 35. & à Portu *ſuprà Rubr.* 10. *in adnot. num.* 1.

LVIII. Rubr. n 14. pag. 199. *Deinde in medio Altaris, &c.*) Lotis manibus, primus Ceremoniarius tempeſtivè accedit ad latus Altaris in cornu Evangelii ſupra ſecundum gradum, cum genuflexione; Celebrans per eoſdem gradus laterales cornu Epiſtolæ aſcendit ad Altaris medium, ibique genuflectit unico genu, & unà cum eo Diaconus vadit ad librum,

brum, & in tranſitu per medium genuflectit unico genu; Subdiaconus verò vadit per planum, & ad medium Altaris, ubi ſiſtit ſe ante ejus infimum gradum, præmittendo genuflexionem unico genu, quæ quidem genuflexiones, quantùm fieri poteſt, tempeſtivè faciendæ ſunt cum Celebrante, & ſtatim ſurgunt omnes. Benvenuti *ſuprà* §. *Celebrans*, Bauldry *part.* 4. *ſuprà n.* 6. Biſſus *ſuprà*, à Portu *ſuprà n.* 2.

LIX. Rubr. n. 14. pag. 199. & Gavant. ibid. col. 2. lit. l *Junctis manibus, &c.*) Celebrans, facta genuflexione ùt *ſuprà*, inclinatus inclinatione mediocri, à Portu *ſup. in adnot.* n. 2. (reportantibus interim cum genuflexione ad Credentiam Acolythis urceolum, pelvim, & manutergium plicatum) junctis manibus ſuper Altare, & ante ejus medium poſitis, ùt aliàs, dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce: *In ſpiritu humilitatis*, ùt in Miſſali. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 26. §. 19. Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 10. *n.* 10.

LX. Rubr. n. 15. pag. 199. *Deinde verſus ad Populum, &c.*) Celebrans, oſculato Altari, genuflectit unico genu, ſurgit, & vertit ſe ad Populum in cornu Evangelii, non perficiendo circulum, ùt aliàs, ſed à latere, ita ut non vertat terga SS. Sacramento, Gavantus, Cerem. Epiſc. *ſuprà*, dicit mediocri voce: *Orate fratres*, proferens reliqua verba ſecretè, Chriſtiani *ſuprà n.* 21. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 15.

LXI. Rubr. n. 16 pag. ead. *Et per eandem viam revertitur, &c.*) Quo dicto revertitur Celebrans per eandem viam ad Altaris medium, ubi genuflectit iterum unico genu, & Sacramentum adorat, Bauldry *ſuprà*, Biſſus *ſuprà* §. 36.

LXII. Gavant. in prædictam Rubr. n. 16. pag. ead. *Non dicitur Suſcipiat, &c.*) Poſtquàm Sacerdos dixerit totam illam precem: *Orate fratres, &c.* proùt in Miſſali, non reſpondetur *Suſcipiat Dominus, &c.* Rubr. & Gav. hic. Celebrans igitur, ſtatim ùt dixerit: *Orate fratres*, & ad Altaris medium reverſus fuerit, facta ibidem genuflexione proſequitur junctis manibus, & alta voce: *Oremus: Præceptis ſalutaribus, &c.* ad quæ verba erigit ſe à ſimplici capitis inlinatione, tenens adhuc manus junctas versùs Sacramentum, mox ſubdit: *Pater noſter, &c.* alta quidem voce, ſed manibus extenſis de more, in cujus fine Chorus reſpondet: *Sed libera nos à malo*. & Sacerdos ſubdit ſubmiſſa voce: *Amen.* Dum Celebrans incipit *Pater noſter*, Diaconus, facta genuflexione ibi à ſiniſtris ejus unico genu, deſcendit ad ſecundum gradum Altaris, ubi ſtat in medio poſt Celebrantem, & ante Subdiaconum ſtantem in plano, uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſivè. A Portu *ſuprà Rubr.* 12. *in adnot. n.* 3. Biſſus *ſuprà lit. F. num.* 45. §. 37. Bauldry *ſuprà num.* 17. & Memoriale Rituum *ſuprà n.* 16. *& ſeqq.* Interim cum genuflexione accedit ad librum primus Ceremoniarius, qui Diaconi aſſiſtentiam toties aſſumit, & derelinquit, quoties illam deſerit, aut aſſumit Diaconus, aut Subdiaconus. A Portu *ſuprà*.

LXIII. Rubr. n. 17. pag. 199. *Dicto Amen ſubmiſſa voce, &c.*) Reſponſo à Choro in fine Orationis Dominicæ: *Sed libera nos à malo*, Celebrans dicit, ùt innuimus: *Amen*, ſubmiſſa voce, quo dicto, ſtatim eadem voce qua dixit *Pater noſter*, proſequitur: *Libera nos, &c.* manibus item extenſis, & in fine Chorus altè reſpondet: *Amen*, Rubr. hodier. Cerem. Epiſc. *ſuprà*, Memoriale Rituum *ſuprà n.* 18. perſeverantibus adhuc tam Diacono quàm Subdiacono poſt Celebrantem, & primo Ceremoniario ad aſſiſtentiam libri. A Portu *ſuprà Rubr.* 13. *n.* 3. *in adnot.*

LXIV. Gav. in eand. Rubr. n. 17. p. 200. col. 2. *Neque ſe ſignat cum Patena ùt aliàs, &c.*) Sacerdos in fine Orationis Dominicæ prædictæ non adhuc accipit Patenam, neque cum ea ſe ſignat, dum in ſequenti Oratione dicit: *Da propitius pacem, &c.* ſed tunc demum illam accipit, quando expleta hujuſmodi Oratione, & reſponſo à Choro: *Amen*, facturus eſt elevationem. Gavantus *hic*, Caſtaldus *ſuprà cap.* 4. *n.* 12. & Biſſus *ſuprà*.

# Pro Ritibus ſervandis in Officio hujus Feriæ, ab elevatione Hoſtiæ, uſque ad finem.

LXV. Rubr. n. 18. pag. 200. & Gavant. ibid. col. 1. lit. m *Elevat ut videri poſſit, &c.*) Reſponſo à Choro *Amen*, Celebrans devotè genuflectit unico genu, deinde erectus, ſubmittit Patenam Hoſtiæ conſecratæ, & ſtatim ſola dextera inter pollicem & indicem accipiens Hoſtiam, Biſſus *ſuprà*, eam elevat altiùs ſolito, Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 20. ita ut à Populo videri poſſit, figens ſemper in eam oculos, & advertens, ne Corporalis limites tunc excedat. Bauldry *ſuprà n.* 18. Patenam verò non elevat, ſed eam ſuper Corporale poſitam manu ſiniſtra extenſa tenet, ita ut pollex & index dictæ manus nitantur Patenæ, reliqui digiti ponantur ſuper Corporale. Gavantus *hic*, & omnes alii cum eo. Ad elevationem talis Hoſtiæ pulſatur tabula lignea, ſeu crotalum, ob rationem allatam in Feria V. in Cœna Domini; ex Clericato *ibidem cit.* & ex communi praxi Baſilicarum Urbis. Sed vide ibidem à nobis dicta.

Diaconus verò, & Subdiaconus, ante elevationem Hoſtiæ hinc inde genuflectunt in ſuppedaneo. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 19. Prædicti Miniſtri Sacri non elevant Planetam Celebrantis, nec Hoſtia ab aliquo incenſatur, ùt optimè adnotat Gavantus, & alii Rubriciſtæ communiter cum eo. Ceremoniarius primus ante elevationem Hoſtiæ genuflectit ad ultimum gradum lateralem cornu Evangelii.

LXVI. Rubric. n. 18. pag. 200. & Gavant. ibid. col. 1. lit. n *Supra Calicem dividit, &c.*) Quando Celebrans incipit declinare Hoſtiam Sacram jam elevatam, Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 21. Diaconus ſtatim accedit ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus ad ſiniſtram (præſtitis debitis genuflexionibus ante diſceſſum, & poſt acceſſum, & procedentes ùt infrà) Diaconus ſtatim Calicem diſcooperit ſine genuflexione, quia in eo adhuc non eſt Sacramentum: Subdiaconus verò ad ſiniſtram vertit folia Miſſalis, quando opus eſt. Bauldry *ſuprà num.* 19. Biſſus *ſuprà*, Benvenuti *ſuprà* §. *Elevata Hoſtia*, Gerlacus Vinitor *ſuprà n.* 45. & alii communiter; quibus tamen omnibus adverſatur Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 13. vult enim, quòd ipſe Diaconus, aut alius accedat ad librum, Subdiaconus verò ad dexteram Celebrantis, nam cum Rubricæ propriæ hujus diei, ait ipſe, nihil novi præſcribant circa hunc Ritum, certiſſimum eſt, nihil etiam eſſe innovandum; quæ quidem Bralion opinio quamvis mihi magis arrideat, nihilominùs ab aliorum DD. *ſuprà cit.* ſententia recedere non auſim.

LXVII. Gavant. pag. 20?. col. 1. eâd. lit. n *Celebrans mittit particulam in Calicem.*) Elevata Hoſtia eo modo, quo dicit Gavantus *hic*, & nos quoque cum eo, Celebrans eam immediatè declinat ſuper Calicem à Diacono diſcoopertum. Memor. Rit. *ſuprà n.* 23. & ex Cerem. Epiſc *lib.* 2. *cap.* 25. §. 34. Non debet igitur dictam Hoſtiam reponere ſuper Patenam, ùt docent ferè omnes DD. ſed eam declinatam ſuper Calicem, ùt innuimus, ſtatim dividit in tres partes more ſolito, nihil tamen dicendo, quarum majores duas partes collocat ſuper Patenam, tertiam verò parvam immittit in Calicem, nihil pariter dicens, & nullum faciendo cum prædicta particula ſignum Crucis ſuper Calicem, ex Decreto S. R. C à Gavanto *hac lit. n. cit.* & dato in noſtro Indice ſub *num.* 248. Deinde Diaconus Calicem cooperit, & poſteà tam ipſe, quàm Celebrans, ac Subdiaconus, genuflectunt unico genu, & ſtatim ſurgunt. Bauldry *ſuprà n.* 19. Biſſus *ſuprà* §. 39. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 23.

LXVIII.

LXVIII. Gavant. pag. 200. col. 2. lit. r *Et manibus junctis ſuper Altare, &c.*) Celebrans, prætermiſſis iis, quæ innuuntur à Rubrica, & Gavanto *hìc*, ſtans manibus junctis, & ſuper Altare poſitis, ita ut duo digiti minores frontem Altaris tangant, junctis pollicibus & indicibus inter ſe, oculis ad Sacramentum intentis, mediocriter inclinatus, dicit ſecretò tertiam tantùm Orationem: *Perceptio Corporis tui, &c.* Interim Subdiacono per tertium gradum accedente ad dexteram Celebrantis, & ibi genuflectente, Diacono verò per ſecundum gradum accedente ad ſiniſtram ejuſdem, & ibi pariter genuflectente, ita ut ambo in receſſu, & acceſſu genuflectant unico genu. Bauldry *ſuprà n.* 20. Biſſus *ſuprà* §. 40. à Portu *ſuprà in adnot. n.* 7. Dicta autem prædicta Oratione, Celebrans magis devotè genuflectit unico genu, & unà cum ipſo genuflectunt etiam Sacri Miniſtri, & poſteà ſurgunt. Celebrans verò erigens ſe dicit ſecretò: *Panem Cœleſtem accipiam, &c.* Rubrica Generalis *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 4. quibus verbis prolatis, accipit Hoſtiam cum Patena, ùt moris eſt, & dicit ter item more ſolito, mediocriter inclinatus (ſicùt & Miniſtri Sacri mediocriter ſe inclinant) *Domine non ſum dignus, &c.* ter etiam percutiens ſibi pectus (quod idem faciunt præfati Miniſtri, poſita interim manu ſiniſtra infra pectus) quo tertiò dicto, Celebrans erectus, ſignat ſe dextera cum Sacramento, dicendo de more: *Corpus Domini noſtri, &c.* Deinde maxima cum reverentia mediocriter inclinatus, cubitis ſuper Altare poſitis, Sacramentum ſumit; Miniſtris Sacris interim ſtantibus profundè inclinatis, manibus junctis, ùt in Miſſa Sollemni fieri ſolet; qui poſteà ſe erigunt, dum etiam Celebrans erectus aliquantulùm in meditatione SS Sacramenti quieſcit. Biſſus *ſuprà*, Bauldry *ſuprà n.* 21. *&* 22. & Vinitor *ſuprà n.* 46. Primus autem Ceremoniarius, qui poſt elevationem Hoſtiæ ſurgens, acceſſit ad cornu laterale Evangelii in ſecundo gradu, ibi genuflectit ad principium Communionis, & perſeverat uſque ad ſumptionem Calicis. À Portu *ſuprà Rubr.* 15. *in adnot. n.* 5.

LXIX. Gavant. pag. 200, col. 1. lit ſ *Diaconus Calicem diſcooperit.*) Subdiaconus, qui ad dexteram Celebrantis, ùt ſuprà, eſſe debet, detegit Calicem, non verò Diaconus, qui aſſiſtere debet ad librum (nam probabiliter Gavantus *hìc* innuit, quòd Diaconus diſcooperiat Calicem, per errorem Typographi, quem errorem aſſumpſerunt illinc nonnulli Scriptores, non tamen omnes; nam etiam in Ceremoniali Monaſtico *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 21. legitur: *diſcooperto Calice per Subdiaconum*) Itaque, certum eſt, quòd Subdiaconus Calicem diſcooperit, qui poſteà genuflectit tam ipſe, quàm Celebrans cum Diacono unico genu, adeſt enim in Calice particula Hoſtiæ conſecratæ.

LXX. Rubr. n. 19. pag. 200. & Gavant. ibid. col 1 lit. t *Reverenter ſumit de Calice, &c.*) Celebrans, collectis de more fragmentis, extergit Patenam ſuper Calicem. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 28. deinde omiſſis omnibus, quæ ſolent dici ante ſumptionem pretioſi Sanguinis, accepto Calice, & Patenam ipſi Calici ſubtus mentum ſupponens, abſque eo quòd ſignet ſe ipſum prædicto Calice (juxta Decretum, de quo *ſuprà*, & datum ſub *n.* 218.) ex eo reverenter accipit cum vino, & aqua in eo exiſtentibus particulam Hoſtiæ pridie conſecratæ; Caſtaldus *ſuprà n.* 16. à Portu *ſuprà n.* 2. Benvenuti *ſuprà* §. *Completo*; interim Diaconus, & Subdiaconus ſtant profundè inclinati. Bauldry *ſuprà n.* 23. à Portu *ſuprà*, & alii communiter.

LXXI. Rubric. n. 19. pag. 200. & Gavant. ibid. col. 2. lit. u *Facta ablutione non Calicis, &c.*) Poſt prædicta primus Acolythus, comitante ſecundo Ceremoniario, cum genuflexione, defert ampullas aquæ & vini ad Altare, quas proùt aliàs adminiſtrat Subdiacono: Celebrans verò non ſumit purificationem, ùt innuit Gavantus, quia prima Calicis ſumptio pro purificatione inſervit, nam id quod ſumitur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mitur, non eſt Sanguis Chriſti, ſed vinum cum modica aqua, quod hac die non fuit conſecratum. Tum igitur Subdiaconus infundit in Calicem vinum, & aquam ſtatim ſuper digitos Celebrantis de more (poſita etiam in Calice aqua, cum qua Celebrans fortè abluit digitos anteà, ſi fortè tetigerit Hoſtiam) qui depoſito Calice, & inde exterſis cum Purificatorio digitis, ſumit ablutionem in medio Altaris, ùt aliàs; deinde inclinatus, & manibus junctis ante pectus, & non ſuper Altare (contra aliquorum opinionem) ex Cerem. Cler. Regul. S. Pauli, nec non ex Cerem. Monaſtico *ſuprà n.* 27. dicet: *Quod ore ſumpſimus, &c.*

LXXII. Gavant. pag. 200. col. 2. ead. lit. u *Extinguuntur hoc loco, &c.*) Dum fit prædicta digitorum ablutio, & non priùs, juxta Gavantum, vel poſt ſumptam ablutionem, ſecundùm Biſſum, non autem immediatè poſt ſumptionem Calicis, ùt vult Caſtaldus, Acolythi colligunt cereos, aſportant, & extinguunt, ſurgentibus omnibus, ſi fuerint ante Altare genuflexi, quaſi in gyrum, ſeu ſemicirculum, ad loca ſua ordinatè ſe recipient; Memoriale Rituum *ſuprà n.* 30. relictis tamen in Altari accenſis pro Veſperis ſex Candelis, quæ poſt Veſperas extinguendæ erunt.

LXXIII. Rubric. n. 20 pag. 200. & Gav. ibid. col. 1. lit. x *Corpus tuum Domine, &c.*) Celebrans dicta Oratione: *Quod ore ſumpſimus*, omittendo alias preces, nempe *Corpus tuum Domine*, & *Poſtcommunionem*, necnon *Placeat tibi*, ùt declarat Rubrica *n.* 20. & ob rationes, quas adducit Gavant. *hic*, Celebrans, inquam, dicta Oratione: *Quod ore ſumpſimus*, ſtat in medio Altaris, donec hæc, quæ infrà ſequuntur, fiant, ùt etiam hic appoſitè notat Benvenuti *ſuprà* §. *Tunc.*

Itaque Diaconus, poſt prædictam Orationem ſtatim clauſo Miſſali in parte Evangelii (quod per aliquem ex Acolythis pariter amovetur cum legili, ſeu cuſſino ab Altari, & cum debitis reverentiis Cruci, & Choro, reportatur ad Credentiam, ùt colligitur ex Memor. Rituum *ſuprà* §. 7. *n.* 32.) vadit, facta genuflexione in medio Cappellæ, ad Credentiam, ibique Stolam latiorem deponit, & reſumpta Planeta plicata, redit ad Altare ad dexteram Celebrantis, facta reverentia debita Choro & genuflexione Cruci unico genu in acceſſu. Benvenuti *ſuprà*, à Portu *ſuprà n.* 4. Intereà defertur ab aliquo Acolytho è Credentia ad Altare velum nigrum pro cooperiendo Calice (ùt mox dicetur) illudque ponitur ſuper Menſam à latere Evangelii.

Subdiaconus verò, ſumpta à Celebrante ablutione, Calicem extergit Purificatorio in cornu Evangelii, ad quod acceſſit, facta genuflexione Cruci unico genu; poſteà ſuper dictum Calicem Purificatorium extendit, & ſi ſit valdè magnum, illud plicat juxta ſui aptitudinem; ſuper Purificatorium ſiniſtra manu ponit Patenam, poſita priùs ſuper hanc dextera manu Palla, tum plicat ambabus manibus Corporale, quo plicato, Calicem velo ſuo parvo nigro cooperit, de quo ſuprà locuti ſumus, poſteà accepta ſiniſtra manu Burſa, & dextera Corporali, ipſum omnino reponit in Burſam, quam deinde ponit ſuper Calicis velum, ita ut illius pars aperta ipſum Subdiaconum reſpiciat, & tandem ipſum velum ſuper Burſam Calicis revolvit de more. Bauldry *ſuprà n.* 25. Biſſus *ſuprà* § 42. à Portu *ſuprà n.* 4. Juxta morem aliquarum Eccleſiarum prædictus Calix aptatur, & deinde defertur ad Credentiam à Ceremoniarum Magiſtro, ob temporis anguſtiam; Subdiaconus enim ſtatim debet ab Altari diſcedere cum Celebrante, & Diacono, ùt mox dicemus.

LXXIV. Gavant. pag. 201. col. 1. n. 21. *Subdiaconus, plicato Corporali, & in Burſam repoſito, &c.*) Tunc Subdiaconus, &c. (vel meliùs Ceremoniarum Magiſter) accipit Calicem accommodatum ſiniſtra manu per nodum, extenſa dextera ſuper Burſam ad cautelam appoſitam; & ſolus ſine comite defert ad Credentiam per gradus anteriores; (ſed

antequàm

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

antequàm diſcedat, facit Cruci genuflexionem unico genu) ipſumque ſuper eam collocat in medio, & velum in anteriori parte revolutum explicat, ita ut totum Calicem cooperiat omnino, ac mox redit ad Altare ad ſiniſtram Celebrantis, facta iterum genuflexione Cruci ibidem unico genu. Bauldry *ſuprà*.

His omnibus expletis, Celebrans cum Miniſtris Sacris deſcendit in planum, ubi unico genu facta ab omnibus genuflexione Cruci, & debitis reverentiis Choro de more, Corſettus *ſuprà n.* 20. Celebrans accipit birretum ſine oſculis ſibi à Diacono porrectum, & cum iiſdem in Sacriſtiam redit, hoc ordine. Præcedit Thuriferarius manibus junctis, nudo capite, & ſine Thuribulo; Ceroferarii ſine candelabris, tum Ceremoniarius item nudo capite, & manibus junctis, deinde Subdiaconus, & Diaconus, ultimò Celebrans, unus poſt alium, oculis demiſſis, modeſto & gravi inceſſu, manibus junctis, tecto capite, & cùm Sacriſtiam fuerint ingreſſi, facta Cruci, aut Imagini de more nudo capite profunda reverentia, paramenta ſacra deponunt. Benvenuti *ſuprà* §. *His expletis.* Bauldry *ſuprà n.* 36. Vinitor *ſuprà n.* 49. Biſſus *ſuprà* §. 44. Poſteà (ſi exiguus ſit Clericorum numerus, aliàs non) accedunt ad Chorum cum Cottis: nam in Choro, ad cujus ſtalla pergunt omnes, poſt diſceſſum Celebrantis ab Altari cum Miniſtris, ſtatim dicuntur Veſperæ ſine cantu, ùt heri.

LXXV. Rubr. n. 20. pag. 200. & Gavant. pag. 201. col. 1. lit. a *Denudatur Altare, &c.*) Dum dicuntur Veſperæ, denudatur Altare, & Credentia ab Acolythis, Gavantus *hic*, Corſettus *ſuprà n.* 21. Caſtaldus, Bauldry *ſuprà*, cum genuflexionibus debitis Cruci, & aſportantur omnia in Sacriſtiam: Altaris candelæ poſt Veſperas extinguuntur. Gavantus *ſuprà*.

Completis Veſperis, datur ſignum cum inſtrumento ligneo, ſeu crotalo, pro Salutatione Angelica, genuflectentibus omnibus. Memoriale Rituum *ſuprà* §. 8. *num.* 4. & facta ſolita oratione, ſurgunt omnes, genuflectunt Cruci unico genu, & ordinatè redeunt in Sacriſtiam, ubi facta Cruci, ſeu Imagini profunda reverentia, ibique depoſitis veſtibus, quibus in Choro utuntur, devotè domos, vel cellas ſuas, ſi Regulares ſint, redeunt, &c.

LXXVI. Gavant. pag. 201. col. 1. n. 23. *Pyxis quæ remanſit, &c.*) Dum Veſperæ dicuntur in Choro, ſi Clerici multi ſint, aliquis Sacerdos, Cotta, & Stola albi coloris, Gerlacus Vinitor *ſuprà n.* 50. & non nigra, ùt docet Bauldry *ſuprà n.* 27. (quia licèt commemoratio fiat de Paſſione, & Morte Chriſti, adeſt tamen idem Chriſtus redivivus, & jam impaſſibilis, & immortalis, ùt optimè ponderat Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 12. *n.* 4.) & velo humerali indutus pariter albo, cum Clericis, candelas, vel faces accenſas geſtantibus, reportat Pyxidem cum particulis conſecratis, ſi quæ remanſit in capſula, ad locum paratum, ùt *hic* docet Gavantus, nec non Bauldry, & Vinitor *ſuprà*; nos tamen ſuprà diximus, talem Pyxidem non eſſe regulariter ſervandam in memorata capſula, ſed alibi, in loco tamen decenti, & congruo.

LXXVII. Gavant. pag. 201. col. 1. n. 24. *Quæritur: An occurrente Feſto Annunciationis B. M. V. in Paraſceve, &c.*) Pro reſolvendo hoc primo dubio à Gavanto propoſito, recolendum eſt Decretum editum die 15. Martii 1712. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 620. in quo habetur, quòd Sacerdotes omnes, tam Seculares, quàm Regulares, etiam privilegiati, ne audeant in Feria VI. Paraſceves, occaſione SS. Annunciationis, in dicta Feria occurrentis, celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio, aliquam Miſſam Sollemnem, vel Privatam, nec facere Feſtum, vel parare, & ornare Eccleſias, aut Altaria, licèt dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annunciatæ &c.

proùt in Decreto ibidem expoſito, & auctoritate Clementis XI. edito. Ex quo fit, cùm tali die non poſſint celebrari Miſſæ Privatæ, neque Sollennes, quòd nullus Fidelis tenetur intereſſe Miſſæ Sacrificio, etiamſi occurrat Feſtum SS. Annunciationis.

Rurſus certiſſimum pariter eſt, ex alio Decreto edito die 19. Februarii 1622. à Gavanto *hoc n.* 24. relato, & dato in noſtro Indice ſub *n.* 188. quòd neque tenentur Fideles intereſſe Officio, ſeu ſacræ functioni fieri ſolitæ in hac Feria. Denique legendum eſt etiam Decretum emanatum à S. R. C. 11. Martii 1690. & datum in noſtro Indice Decretorum, ſpectantium ad Rubricas Breviarii, in quo, interveniente auctoritate Apoſtolica, ſancitum eſt, quòd ſi Feſtum SS. Annunciationis B. M. ſemper Virginis, occurrat in Feria VI. in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur, unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Feſto impeditam; ita ut eadem Feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus pro Sede propria, & fixa, memorato Feſto Annunciationis aſſignata & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorſus modo & forma præfatum Feſtum quoad Officium & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur: protractis ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Feſtis in eadem Feria occurrentibus, quæ non ſunt altioris Ritus. Ita decrevit S. R. C. approbante Alexandro VIII. diebus, Menſibus, & Anno ſupradictis.

Ex hoc Decreto non ſequitur, quòd ſi in eadem Feria VI. Paraſceves, vel Sabbato Sancto occurrat alicubi Feſtum de Patrono principaliori Loci, cui ex Decreto edito die 13. Septembris 1642., & contento in Conſtitutione Urbani VIII. *n.* 164. quæ incipit: *Univerſ.* §. 2. *apud Cherubin. in Bullario Romano tom.* 4. cui, inquam, Feſto ex vi prædictæ Conſtitutionis affixa eſt obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus; non, inquam, ſequitur, quòd tale Feſtum erit pariter celebrandum in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis, quoad Miſſæ auditionem, & vacationem ab operibus ſervilibus, necnon ad translationem alterius Feſti in dicta Feria occurrentis, cùm hæc ſit ſpecialis prærogativa translationi Annunciationis conceſſa, ùt colligitur etiam ex alio Decreto emanato die 14 Junii 1692. quod datur à nobis in Indice Decretorum pertinentium ad Rubricas Breviarii. Idcirco, occurrente tali Feſto Patroni principalioris, in hac Feria VI. abſtinendum utique eſſet ab operibus ſervilibus, ſed nulla adeſſet obligatio intereſſendi Miſſæ, quæ non poteſt hac die celebrari, ùt ſuprà diximus, neque ulla adeſſet obligatio intereſſendi Officio hujus diei, ùt pariter colligitur ex ſupradictis.

LXXVIII. Gavant. pag 201. col. 2. n. 15. *Ad aliud verò dubium, &c.*) Propoſito dubio, an ratione Feſti Annunciationis, occurrentis in hac Feria VI. Paraſceves, miniſtrari poſſit Euchariſtia aliis, quàm infirmis, optimè reſpondit Gavantus, etiam præſcindendo à ſuprà expoſito Decreto translationis prædicti Feſti Annunciationis, ſervandam eſſe univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, non miniſtrandi niſi infirmis hac die Euchariſtiam, pro qua re allegatur à Gavanto in ſuo indice, & etiam in noſtro ſub *n.* 187. Decretum à S. R. C. editum die 19. Februarii 1622. cujus tamen Autographum in Regeſtis Sac. Congregationis non reperitur; habetur quidem aliud ſimile Decretum editum à S. C. Concilii in Decreto de Communione quotidiana, quod legitur apud Murgam in Tractatu de Beneficiis Eccleſiaſticis id Additamento primo, & illud referunt etiam Paſcuccius in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part* 2. *tit. de Monialibus*, necnon Monacellus *in Formul. Legali practica part.* 2. *tit.* 13. *formul.* 1. *poſt n* 99 & denique Eminentiſſimus Card. Petra *in ſuis doctiſſimis*

*Com-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Commentariis ad Conſtit. Apoſt. tom. 4. circa Conſtitutionem* 20. *Eugenii IV. ſub n. 6.* in quo Decreto ſancitur, quòd circa Communionem in Feria VI. Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur, quapropter, ùt notat optimè Jo. Baptiſta Pittonus, ex hoc Decreto corruit omnino opinio quorundam Theologorum, aſſerentium, poſſe in hac Feria VI. Paraſceves miniſtrari Euchariſtiam illis, qui quotidie illam ſumere volunt.

Spectat etiam ad hanc Feriam Decretum editum die 14. Februarii 1705. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 591. in quo præſcribitur, tollendam eſſe conſuetudinem quorundam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter Hoſtiam conſecratam, reſervandam à Feria V. in Cœna Domini, uſque ad ipſius conſumptionem in hac Feria VI. Paraſceves.

LXXIX. Gavant. pag. 201. col. 2. n. 26. *Abrogatus fuit abuſus deferendi nocte, &c.*) Veriſſimum eſt, quòd abrogatus fuit abuſus deferendi nocte in hac Fer. VI. SS. Sacramentum; nihilominùs die 29. Martii 1596. ex Congregatione Epiſcoporum prodiit ſequens Decretum - Si conſuetudo deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum Feria VI. Paraſceves in feretro nigris velleribus contecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, eſt toleranda -- Ita reſpondit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & idem anteà reſcripſit Anno 1582. 3. Januarii, ùt teſtatur Nicolius *in Floſculis v. Euchariſtia ſub num.* 27. & Venetiis ſervatur adhuc conſuetudo hujuſmodi Proceſſionis nocte cum Baldacchino, & paramentis nigri coloris, utpote innixa peculiari privilegio, ùt aſſeritur.

Præter allegata ſparſim Decreta, ſpectantia ad Ritus Officii hujus Feriæ VI. in Paraſceve, addenda ſunt etiam hæc alia: nimirum. Proceſſio Sollemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in Feriam VI. Paraſceves, eo Anno transferenda eſt in aliam diem: ita ſtatuit S. C. Epiſc. *in Spoletana* 25. Februarii 1598.

Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulchro. S. R. C. 14. Junii 1659. *in Neapolitana*, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 336.

Functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt Feſtum Nativitatis Domini, &c. Feria V. in Cœna Domini, & Feria VI. in Paraſceve, Cinerum, Palmarum, &c. S R. C. 3. Decembris 1672. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 449.

Videndum eſt etiam Decretum, quod ſuprà tradidimus, emanatum die 15. Septembris 1736. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 691. in quo prohibentur Exequiæ Sollemnes hac, & die ſequenti, &c.

## De Sacris Ritibus hujus Feriæ VI. Paraſceves, ſervandis in minoribus Eccleſiis.

### De præparandis pro Officio hujus Feriæ. §. I.

Altare ipſum undequaque nudum cum ſex candelabris, ùt ſuprà, in Eccleſiis majoribus; deinde Crux in eodem cooperta velo violaceo, vel nigro, quod facilè removeri, & ſolvi poſſit.

In Abaco, ſeu Credentia Mantile lineum, planitiem Abaci non excedens; Mappa unica plicata pro Altari ad menſuram Menſæ; legile, ſeu cuſſinus niger cum Miſſali; Burſa nigri coloris cum Corporali, Palla, & Purificatorio;



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thuribulum, & Navicula cum thure; Velum nigrum pro Calice in fine Officii; Pelvicula, cum ampullis vini, & aquæ, & manutergio; aliud parvum vas aquæ, cum Purificatorio ponendum ſuper Altare, ad abluendos digitos Sacerdotis, ſi fortè Hoſtiam conſecratam tetigerit; lanx argentea pro oblationibus.

Prope Credentiam præparetur tapes, pulvinar violaceum, & velum album ſerico violaceo contextum. Cuſſinus violaceus ſupponendus initio Officii capiti Celebrantis; Crux proceſſionalis, vel ibi, vel in Sacriſtia detegenda, ſtatim poſt Crucis Altaris denudationem.

In Sacello Sepulchri Corporale ſtratum ſuper Altare, velum humerale album, Baldachinum, ſive umbella albi coloris, intortitia, & cerei pro Proceſſione.

In Sacriſtia tria Superpellicea pro Clericis, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta nigri coloris pro Sacerdote, foculus cum igne, & forcipe.

## De principio Officii, uſque ad denudationem Crucis. §. II.

Hora competenti datur ſignum cum crotalo, Clerici accipiunt Superpellicea in Sacriſtia; Celebrans verò induitur Planeta nigra, & procedit cum iiſdem, ſed ipſe tecto capite, illi verò detecto, ad Altare majus, manibus junctis, quò cùm pervenerit, ibi procumbit, & orat quaſi ultra ſpatium unius *Miſerere*, ùt diximus ſuprà; interim duo Acolythi, facta cum ipſo brevi oratione, ſurgunt, & facta genuflexione Cruci, ſumunt de Credentia Mappam, illamque extendunt ſuper Menſam Altaris, ùt ſuprà, deinde unus ex illis ponet Miſſale apertum cum ſuo cuſſino ſuper cornu Epiſtolæ. Celebrans, ad monitionem alicujus Miniſtri, ſurgit à procubitu, & amoto per aliquem Clericum pulvino, aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio. Accedens deinde ad cornu Epiſtolæ, legit primam Lectionem cum Tractu, deinde dicit *Oremus*, & genuflexus cum omnibus, ipſemet dicit: *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis primò ſurgens, dicit: *Levate*, & Celebrans ſubjungit Orationem: *Deus à quo &c.* deinde legit ſecundam Lectionem, & Tractum, ac ſucceſſivè cantat Paſſionem integrè, niſi fortè aliquis Diaconus eam decantet, ſicùt etiam poſteà cantat in eodem cornu Epiſtolæ monitiones manibus junctis, & Orationes manibus extenſis, ùt in Miſſali; Ante ſingulas Orationes, octava excepta, idem Celebrans genuflexus, proùt faciunt & cæteri, dicit: *Flectamus genua*, & unus ex Acolythis, ut *ſuprà*, dicit: *Levate*; circa finem Orationum aliquis Acolythus tapetem explicat, aptat deſuper Cuſſinum, & deinde velum extendit, ubi eſt collocanda, & adoranda Crux, ùt ſuprà dictum eſt.

## De Crucis denudatione, & adoratione. §. III.

Dictis Orationibus omnibus, Celebrans in eodem cornu Epiſtolæ Planetam tantùm deponit, deinde genuflectit in medio Altaris, & reverenter ipſemet Crucem, quæ eſt inter Candelabra, capit, & primus Clericus accipit Miſſale, poſteà Celebrans accedit ad angulum poſteriorem Epiſtolæ, facie verſa ad Populum, & Clerico ſuſtentante Miſſale ante illum, incipit manu dextera detegere ſummitatem Crucis, ùt ſuprà diximus, & ambabus manibus aliquantulùm Crucem elevans, gravi voce, dicit: *Ecce lignum Crucis*, & Clerici eadem voce proſequuntur: *In quo Salus Mundi pependit*, & genuflectentibus omnibus præter Celebrantem, iidem Clerici ſubjungunt: *Venite adoremus*, & ſimiliter omnes ſecunda, & tertia vice, peragunt, ùt ſuprà dictum eſt.

Diſcooperta tota Cruce, & pronunciatis

tertiò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tertiò prædictis verbis ab omnibus Clericis, unus ex illis ponit lancem à latere ſiniſtro Pulvinaris, ad accipiendam oblationem, alter verò Clericus, qui habebat Miſſale, illud reponit ſuper Legile, vel ſuper Cuſſinum, & interim ab alio tertio diſcooperitur Crux Proceſſionalis, & aliæ Cruces omnes per Eccleſiam; Interim Celebrans, deſcendens per locus Evangelii, portat devotè Crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum, ubi genuflexus eam collocat ſuper Velum pulvino ſuperpoſitum, deinde ſurgit, & facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epiſtolæ, ibique deponit priùs manipulum juxta ſuperiùs dicta, deinde calceamenta, Clericis adjuvantibus, & ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis, ùt ſuprà, qua tertiò adorata, & oſculata, oblataque pecunia, ſurgit, & facta genuflexione, redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi in plano Clerici deponunt & ipſi calceamenta, ob ſpecialiſſimum Cultum, quem hac die S. Eccleſia exhibet Cruci, & poſt Celebrantem, ante omnes alios de Populo, adorabunt Crucem, eo modo, quo Celebrans, & reverſi ad ſua loca, Calceamenta reſument; poſt Clericos adorabunt Sodales cum Saccis ſi adſint, deinde viri, ultimò mulieres, omnes bini, devotè ac graviter. Interim primus Clericus aſſiſtat adorantibus; ſecundus, & tertius accedunt ad Celebrantem, & alta, & clara voce cum eo improperia recitant. Bauldry *Part.* 4. *cap.* 10. *Art.* 1. *n.* 6. & Memoriale Rit. *Pag.* 76.

Circa finem adorationis, primus Clericus accendit Cereos Altaris; ſecundus verò ſucceſſivè portat ad Altare Burſam cum Corporali incluſo, & ſuper eam Purificatorium; extrahit, & explicat Corporale, & prope illud in parte Epiſtolæ extendit Purificatorium. Tertius verò Clericus transfert Miſſale, cum Legili, & Cuſſino, ad cornu Evangelii. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici verò amovebunt tapetem, pulvinar, velum, & lancem, & apponent ignem in Thuribulo, & Celebrans, collocata Cruce, deſcendet ad planum in cornu Epiſtolæ, ubi reſumet Planetam, & Manipulum, & poſteà aperto capite accedit ante Altare.

## De Proceſſione ad Sacellum, & regreſſu ad Altare, cum Sanctiſsimo Sacramento. §. IV.

A Celebrante ante Altare commorante incipitur Proceſſio per breviorem viam ad Sacellum, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, hoc ordine. Procedunt Sodales, ſi adſint, Confraternitatis, ſive pii viri, deinde Thuriferarius cum Navicula, & Thuribulo non fumigante, poſteà ſequitur Crux Proceſſionalis denudata, & delata à tertio Clerico inter duo Candelabra, ſi adſint qui ea deferre poſſint, denique Celebrans cum Planeta, habens ante ipſum à ſiniſtris ſecundum Clericum. Interim accenduntur Cerei dicti Sacelli ab aliquo Miniſtro. Cùm pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Cappellæ, ſurgit, & poſteà genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde ſurgit, aperit capſulam, genuflectit, deſcendit ad infimum gradum Altaris, vel remanendo genuflexus in ſuppedaneo, ùt alii volunt, incenſat Sacramentum in Capſula, inde ſurgit, & facta genuflexione, extrahit è Capſula Calicem, quem ponit ſuper Altare; Iterum genuflectit, claudit Capſulam, ſi in ea reperiatur Pyxis cum Particulis, aliàs relinquitur capſula aperta, & præmiſſa alia genuflexione, deſcendit primum gradum, & genuflexus in ſuppedaneo, accipit Velum humerale, ſurgit, & facta genuflexione, ſtans accipit Calicem, quem ſecundus Clericus dicto velo cooperit. Celebrans vertens renes

Altari, & faciem ad Populum, intonat voce alta Hymnum *Vexilla Regis prodeunt*; Quem cum ſecundo Clerico proſequitur &c. Revertitur Proceſſio ad Altare ordine ſequenti. Primò Sodales, ſeu pii Viri cum cereis accenſis; Poſt eos Crux Proceſſionalis, deinde Thuriferarius continuè Thuribulum agitans; Denique Celebrans ſub Baldacchino, vel ſub Umbella, habens ſecundum Clericum ante ſe à ſiniſtris.

Cùm perventum fuit ad Altare majus, Sodales, & pii Viri remanent extra Cancellos, ibique diſpoſiti Cereos accenſos uſque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux Proceſſionalis reponitur prope credentiam; Baldacchinum verò, ſeu Umbella deponitur ante Cancellos, & loco proprio collocatur; Celebrans accedit ad Altare, & Calicem ponit ſuper Corporale, ſoluta vitta appoſita ad cautelam, & velum ejuſdem Calicis extendit, ùt fit in initio Miſſæ: deinde genuflectit, ſurgit, velum humerale deponit, & ſtans, Thus ſine oſculis & benedictione in Thuribulo ponit, deinde genuflexus, ibi in ſuppedaneo, vel deſcendens ad infimum gradum, Sacramentum triplici ductu incenſat adhuc parvo velo tectum.

## De reliquo Officio, & Ritu hujus Feriæ. §. V.

Incenſato Sanctiſſimo Sacramento, Celebrans ſurgens, accedit ad Altare, & genuflectit, deinde amovet Velum de Calice, poſteà Patenam, quam invertens, ponit ſuper Corporale in medio, poſtmodùm removet Pallam, & Calicem accipiens, deponit ex eo Hoſtiam ſuper Patenam, cavens ne illam digitis tangat, & ſi fortè tetigerit, lavat digitos ibidem in vaſe ad hoc præparato, & aquam continente (quam poſteà ipſe Celebrans ſumet poſt ſuam communionem) & digitos ſtatim extergit; Tunc Celebrans reſpectivè proſequitur omnia, ùt in Miſſali diſponitur.

Miniſtrabunt etiam, ſi fieri poteſt, aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in ſuo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto officio, Celebrans, Cotta, & Stola indutus, reportabit ad locum paratum Hoſtias, ſeu particulas contentas in Pyxide, pro Infirmis è loco, ubi priùs erat Calix cum Sanctiſſima Hoſtia, & ſi aliter fieri non poſſit, remanebit ibidem.

Repoſita dicta Pyxide, antequàm Lampas continuò ardeat, omnes genuflectunt, & datur ſignum meridianum Salutationis Angelicæ cum crotalo. Tandem extinguuntur Cerei Altaris, & ab Acolythis omnia reportantur in ſuis locis; ſunt alia minutiora, & leviora, quæ libenter omittimus, cùm ex ſupradictis facilè intelligi poſſit, quid in hac functione ſit agendum. Ex Bauldry *Part.* 4. *cap.* 10. *Art.* 5. Ex Memoriali Rit. *pro Minoribus Eccleſiis*, & ex aliis Auctoribus &c.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. X. De Sabbato Sancto.

### Pro Ritibus ſervandis à principio Officii hujus diei, uſque ad Benedictionem Cerei.

### De præparandis neceſſariis pro Officio hujus diei. §. I.

I. Rubric. n. 2. pag. 202. & Gavant. ibid. col. 1. lit. a *Cooperiuntur Altaria &c.*) Mundatur ſummo mane Eccleſia, & ornatur, parantur etiam omnia ejus Altaria pretioſioribus ornamen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ornamentis albis. Altare verò majus veſtietur duplici pallio; interiore quidem albo pretioſo, & exteriore violaceo, quod facilè poſſit amoveri; ſuper idem Altare ponentur ſex candelabra, vel plura, juxta Eccleſiæ conſuetudinem, cum totidem Cereis albæ ceræ, & Crux in medio diſcooperta; Tabernaculum SS. Sacramenti tegetur conopeo, ùt infrà, ut ſi quæ ſint ſtatuæ vel Imagines in ipſo, minimè appareant, niſi ſaltem finitis Litaniis, & tunc tam illæ, quàm aliæ per Eccleſiam detegentur; Gradus etiam Altaris tunc tapetibus Feſtivis operientur, quia decentius eſt, ut remaneant nudi uſque ad illud tempus.

Etiam Altaria Minora, ſi commodè fieri poteſt, cooperiantur duplici Pallio, violaceo nimirum ſuper album, ita ut removeri facilè poſſit violaceum ab omnibus Altaribus, circa finem Litaniarum; vel deficientibus Palliis Violaceis pro ſupradictis Altaribus Minoribus, ſaltem erunt cooperienda etiam ante officium, quamvis in ipſis non ſit dicenda Miſſa, Pallio albo. Nicolaus de Bralion *part. 3. cap. 13. num. 1.*

Candelæ ſuper Altare majus relinquantur extinctæ, donec erit tempus eas accendendi, ùt infrà.

Conopeum Tabernaculi ſubtus ſit album, ſuprà violaceum, facilè removendum circa finem Litaniarum, ſi fieri poteſt; aliter tegatur initio ſolo tegumento albo. Item Baldacchinum ſeu umbraculum, quod eſt appenſum ſuper Altare majus, ſit album. Bauldry *part. 4. cap. 11. de Sabbato Sancto Art. 1. n. 1.* Turrinus *part. 3. ſect. 2. cap. 3. de Sabbato Sancto.*

Lampades extinctæ ante Altare ita aptentur, ut facilè ſuo tempore accendi poſſint, ùt infrà dicetur. Imagines omnes in Eccleſia adhuc tectæ remaneant uſque ad finem Litaniarum, exceptis Crucibus, quæ heri detectæ fuerunt. Bauldry *ſuprà n. 3.* Vinitor *part. 6. tit. 13. de Sabbato Sancto num. 2.*

Ad cornu Epiſtolæ in plano apponatur ſcamnum oblongum nudum (vel tria ſcabella) ut poſſint ſedere Celebrans, & Miniſtri Sacri, ad Prophetias; ſed paulò ante Miſſam cooperiatur prædictum ſcamnum panno viridi pro Miſſa ſollemni. Bauldry *ſuprà n. 4.* Biſſus *lit. S. n. 6. §. 2.* Caſtaldus tamen *in Ceremoniali lib. 3. cap. 19. n. 1.* tenet, tale ſcamnum etiam ante Miſſam ſollemnem debere tegi panno violaceo.

Super Credentiam, paratam in Presbyterio in plano à latere Epiſtolæ, ponitur Calix paratus, tectus ſuo Velo albo, & Burſa, ſimiliter duo Cuſſini, unus violaceus, alter albus, duo item Miſſalia iiſdem coloribus tecta, ampullæ Vini, & Aquæ, cum Manutergio, velum humerale album pro Subdiacono, & Campanulæ pulſandæ ad Angelicum Hymnum. Ponantur etiam ſuper ipſam aliquæ Candelulæ cereæ, quibus uti debent Acolythi ſuo tempore, pro accendendis Lampadibus, & Candelis Altaris. Hæc autem omnia, quæ ſuper Credentia ſunt, cooperiri poſſunt ante officium, & uſque ad Miſſam excluſivè, aliquo velo violaceo; vel ibidem poni poſſunt paulò ante Miſſam, tunc cùm dicuntur Litaniæ, ſi commodè fieri poſſit. Bauldry *ſuprà n. 5.*

Si autem Benedictio Fontium fieri debeat, ibidem ponentur duo Candelabra Ceroferariorum, aliàs relinquentur in Sacriſtia cum cereis albis.

Parentur ibidem prope Credentiam tres Cuſſini coriacei, vel ex panno violaceo, capiti Celebrantis & Miniſtrorum ſupponendi, dum ſunt proſtrati ad Litanias. Biſſus *lit. S. n. 6. §. 2.* Ceremoniale Monaſticum *lib. 4. cap. 10. §. 1. num. 4.*

In plano à latere Evangelii, ſeu eo loco, in quo ſolet Evangelium cantari, aptetur Pulpitum facie ad Populum, ſeu meliùs ad meridiem verſa, vel juxta conſuetudinem ponatur legile, tectum velo albo pretioſo, pendente ad terram, & ſuper illud imponatur pulvinus, intextus auro, vel argento, ubi cantari debet Præconium à Diacono.

Poſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Poſt dictum Legile ſeu Pulpitum, versùs parietem collocetur Candelabrum affabrè elaboratum, & magnum, pro Cereo Paſchali ſuſtinendo, ſive etiam loco dicti Candelabri, ponatur Angeli ſimulacrum, quod myſterio videtur congruum, ùt notat Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. ad ſuſtinendum dictum Cereum Paſchalem. Solent etiam aliqui quoddam Brachium ligneum inauratum parieti adhærens præparare, pro Cereo ſuſtinendo, quod licèt non videatur improbandum, præſertim pro Eccleſiis minoribus, convenientius tamen eſt, uti prædicto Candelabro magno, & eminenti, cùm id ſit conformius Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 27. §. 1. & id etiam docet Biſſus *lit.C.n* 55. Obſervandum tamen eſt, quòd Candelabrum prædictum debet eſſe in tali ſitu, ut non ſit impedimento proſpectui, & aditui ad Altare, neque Diacono ad cantandum Evangelium tempore Paſchali.

Cereus Paſchalis, ponendus ſupra dictum Candelabrum, ſit ceræ albæ, in quo intra Crucis effigiem debent adeſſe quinque foramina in modum Crucis diſpoſita, adhibito ferro calido, ſi opus ſit, pro infigendis in eo quinque granis Incenſi; infra verò dictam Crucem poſſunt Sancti Patroni, vel Titularis, aut loci, ſeu Religionis inſignia depingi. Caſtaldus *ſup.* Cereus iſte ſit ponderis octo, aut decem librarum, pro laudabili quarumcunque Eccleſiarum conſuetudine, nam quanta eſſe debeat illius magnitudo, non eſt determinatum. In quibuſdam Eccleſiis idem Cereus eſt triginta trium librarum pondo, in honorem triginta trium Annorum Domini N. J. C. In Sacroſancta Baſilica Lateranenſi eſt octoginta librarum, & collocatur ſuper columnam marmoream, tortuosè elaboratam, & etiam in aliis Eccleſiis Romæ ſuper columnam Cereus iſte ponitur: imò ab origine ſua hic Cereus Columna erat cerea, ùt aſſerit etiam Claudius de Vert *tomo* 2. *ſuarum explicationum pag.* 123. nec non Grancolas *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtorici cap.* 66. in qua cerea columna inſcribebatur, hoc eſt ſtylo quodam imprimebatur officii ordo per totum annum, uſque ad futurum Paſcha, unde annus incipiebat, & *Breve anni* appellabatur; quod quidem *Breve* deinceps aptius viſum fuit inſcribi ſuper cartam, & affigi dicto Cereo, ùt fit etiam hodie in Rothomagenſi, & Cluniacenſi Beatæ Virginis Eccleſia. Refert Beda, Monachos Romam à ſe miſſos cognoviſſe Natalis diem in novo Cereo S. M. Majoris anno 701. & Papebrochius in Menſe Majo addit -- *Ordo Feſtorum pro anno ſequenti inſcribebatur toto illo anno legendus.* Alia ſpectantia ad dictum Cereum Paſchalem, præſertim ad ipſius benedictionem, tradentur infrà à nobis, & alia legi poterunt apud cit. Grancolas, de Vert nec non apud Edmundam Martene, de antiqua Diſciplina *cap.* 24. §. 5. *& ſeqq.* & Ant Bellotte *in ſuis Obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſi, pag.* 814. *& ſeqq.*

Præterea prope dictum Candelabrum, ſuſtinens cereum Paſchalem, paretur in plano pes marmoreus, vel ligneus, ad ſuſtinendam Arundinem poſt cerei Paſchalis Benedictionem, de qua Arundine paulò infrà. Rurſus prope dictum Candelabrum præparetur Scabellum graduatum ligneum, pro aſcendendo ad cereum, & Virga cum candela ex eo accendenda.

Paretur etiam in Choro aliud legile nudum, pro legendis Prophetiis ſuo tempore.

In Sacriſtia præparentur Paramenta violacea pro officio ante Miſſam, ſcilicet Pluviale, Planeta pro Celebrante, duæ Planetæ plicatæ pro Miniſtris Sacris, Stolæ duæ, cum ſuis Manipulis etiam violaceis, nec non tres Amictus, tres Albæ, tria Cingula, pro Celebrante, & Miniſtris. Pro Miſſa ſollemni præparentur Planeta, Dalmatica, & Tunicella, cum ſuis Manipulis, & Stolis, omnia albi coloris.

Item in Sacriſtia præparetur Arundo, cum tribus candelis albis in ejus cuſpide poſitis, quarum ſingulæ erunt duarum circiter unciarum, & quæ in infima ſui parte

deſinant

deſinant in unam Candelam, & poſteà diſtinguantur in tres quaſi Ramos, ex eodem trunco naſcentes, æqualiter inter ſe diſtantes, & deſinentes in triangulum. Debet autem eſſe vera arundo, & non alius baculus, ut aliqui malè faciunt. Biſſus *lit. A. n.* 460. §. 2. Cujus altitudinis debeat eſſe prædicta Arundo, Biſſus *cit.* §. 2. cenſet, in hoc ſervandam eſſe communem praxim. Bauldry *ſuprà n.* 12. dicit, debere eſſe decem circiter Palmorum, cujus opinio nobis arridet. In Ordine tamen Romano Cajetani deſcribitur talis arundo trium cubitorum cum dimidio alta, & ita etiam in ordine Romano Amelii. Denique dicta arundo floribus ornari, & undequaque circumtegi poteſt, ùt innuit etiam Gavantus *hoc tit.* 10. *poſt Rubricam* 5. *lit. M.* ſed ita ornetur, ut appareat ex aliqua parte arundo, non baculus, ſeu quid aliud; de eadem arundine, præſertim de illius origine, ſermonem iterum habebimus infrà cum Gavanto *loc. cit.*

Item præparetur in Sacriſtia Thuribulum, cum Navicula Incenſi, & etiam pelvicula argentea, vel ex alia materia, in qua ſint quinque grana Incenſi uovi ( quod maſculum vocat Paris Craſſus *de Cerem. Cardinal. & Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 48. *pag. mihi* 107. *à tergo*) pulchrè elaborata in modum nucis Pineæ, ferreisque clavis ſuffulta, & in extremitate inaurata, modò tamen plus thuris appareat, quam alterius rei. Bauldry *ſuprà n.* 13. Biſſus *ſuprà lit. S. n.* 63. §. 10.

Si non ſit facienda Benedictio Fontis Baptiſmalis, vel etiam in ſuppoſitione, quòd pro Miſſa ſollemni Celebrans & Miniſtri Sacri Paramenta ſumant in Sacriſtia, & ex ea ad Altarè procedere debeant; tunc Candelabra pro Ceroferariis præparentur in Sacriſtia, ut prædicti Ceroferarii, ea ibidem ſumentes, cum Celebrante, & Miniſtris, ad Altare pro Miſſa ſollemni procedant. Si verò ſit facienda benedictio Fontis Baptiſmalis, ſupradicta Candelabra ponantur ſuper Credentiam, ut finitis Prophetiis ( paulò antè, & non priùs, Candelis prædictorum Candelabrorum accenſis, ſumpto lumine ex Cereo, vel ex una de tribus Candelis Arundinis ) Ceroferarii ea ſumant, ad aſſociandum de more Cruciferarium. Item hæc Candelabra ſuper Credentiam poni debent, ſi Celebrans & Miniſtri Sacri pro Miſſa ſollemni Paramenta ſumant in loco Altari vicino, putà retro illud, quia tunc non ordinatur Proceſſio cum Ceroferariis, Celebrans enim paratus cum Miniſtris Sacris in loco vicino ſtatim eſt ad Altare. Biſſus *lit. S. num.* 63. §. 11.

II. Rubric. n. 2. pag. 202. & Gavant. ibid. col. 1. lit. b *Interim excutitur ignis de lapide &c.* ) Pro novi ignis benedictione, præparari debet opportuno tempore ante Nonam, extra Januam majorem Eccleſiæ, vel in atrio, vel in ipſius aditu ( vel etiam in Clauſtro apud Regulares) pavimentum conſperſum herbis, & floſculis odoriferis, quibus etiam debet conſpergi via, qua procedendum eſt de illo ad Altare. Caſtaldus *lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 1. *num.* 4. Bauldry *ſuprà n.* 20. Hippolytus à Portu *cap.* 3. *de Sabbato Sancto Art.* 1. *n.* 15. In ſupradicto loco parari etiam debet menſa aliqua cooperta ſola Mappa munda, Caſtaldus *ſup.* ſine Cruce, ſine Candelabris, Bauldry *ſup. n.* 14. Hippolytus à Portu *cit. loc.* Supra hanc Menſam quaſi in cornu Evangelii pònatur Dalmatica, Stola, & Manipulus albi coloris pro Diacono, Caſtaldus, Bauldry *ſuprà*; & alius Manipulus violaceus pro Subdiacono quaſi in cornu Epiſtolæ; Hi enim ibidem ſumere debent prædicta Paramenta, facta ignis, & quinque Granorum Incenſi Benedictione, ùt infrà, niſi tamen aliud notetur. Biſſus *lit. C. n.* 556. §. 1. Item præparetur ibidem in medio Miſſale, Scamnum ſeu Scabellum, quod ſit à dextreris Celebrantis, ſeu Menſula mappa tecta, cui ſuperponatur vas aptum, in quo Carbones extincti pro benedicendo novo igne accendantur. Item paretur Buſia, ſeu duæ Candelulæ ſi-

læ ſimul nexæ, ut difficiliùs extingui poſſint, & Laterna includens Candelam, nec non ligna ſulphurata, pro ponendo novo igne in Thuribulo, forcipes ferrei; item Inſtrumenta omnia neceſſaria, ad excutiendum novum ignem è ſilice.

In dictum locum, ante acceſſum Celebrantis, deportetur Arundo, quæ in ſummitate habeat tres Candelas extinctas, & ibidem tutò firmetur. Biſſus *lit. S. num. 6.* §. 2.

## De Præparandis in Eccleſia, ubi adeſt Fons Baptiſmalis. §. II.

Si Eccleſia habeat Fontem Baptiſmalem, locus ejus parari debet mediocriter, non ſumptuosè, ut correſpondeat colori, qui primariè adhibetur à Celebrante, qui violaceus eſt, ac proinde non lætitiam, ſed mœrorem deſignans. Ita ſentit Turrinus *part. 3. ſect. 2. cap. 3. de Sabbato Sancto* §. *Paratur etiam.* Quamvis tamen Bauldry *ſuprà n.* 16. & Biſſus *lit. F. n.* 132. §. 1. velint, quòd prædictus locus decentiſſimè paretur, cum Floribus, Velis, cortinis, & tapetibus, & aliis hujuſmodi ornamentis albis, ſi fieri poteſt, quia, ùt ait præfatus Bauldry, hac die præcipuè recolitur memoria Sacroſancti Sacramenti Baptiſmatis. Extra Cancellos Baptiſterii præparetur Credentia, ſive aliqua Menſa parva, Mappa munda coöperta, ſuprà quam poni debet una aut altera Mappula plicata, ad manus Celebrantis extergendas, cùm tetigerit aquam; Vas amplum, & vacuum, implendum aqua, poſtquàm benedicta fuerit, ante oleorum infuſionem, reſervanda pro ſequenti die, & pro domibus Fidelium; Item aliud vas conſuetum, cum Aſperſorio, & Stola violacea pro Sacerdote, ad Populi aſperſionem faciendam; Item ampullæ Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum, ad ea infundenda in aquam Benedictam dicti Fontis Baptiſmalis. Biſſus *ſuprà* §. 1. & 2. Gerlacus Vinitor *part. 6. tit. 13. n. 6.* Bauldry *ſuprà.*

Item Bacile cum mica Panis, & Bocale cum Aqua, pro lavandis manibus Celebrantis, Turrinus *ſuprà*; nec non manutergium, pro extergendis ejuſdem manibus ablutis; & Bombaceum, ad manus inunctas tergendas.

Supradicta tamen parari etiam poſſunt ante Fontis Benedictionem.

Per octo dies antè in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus Infans baptizetur. Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 27. §. 18. Si igitur ſint aliqui baptizandi, parentur Veles albæ, Candelæ, Olea Sacra, & alia hujuſmodi ad Baptiſmum neceſſaria, ùt præſcribitur in Rituali Romano, & prætereà Paramenta alba, ſcilicet Pluviale, & Stola ibidem, ut Celebrans iis paratus actu baptizet Catechumenos. Bauldry *ſuprà num.* 18.

Exponatur in Eccleſia, vel in Sacriſtia tabella, in qua deſcribantur nomina illorum, qui miniſtrare debent hac die, legere Prophetias, Populum aſpergere, baptizandos catechizare, neceſſariis providere, ita ut omnia ſuo tempore fiant ſine tumultu, cunctatione, & mora. Bauldry *ſuprà num.* 19.

His omnibus diſpoſitis, hora competenti datur ſignum crotalo, ſeu Inſtrumento ligneo, inchoandi Officium, & deinde recitantur Horæ minores in Choro, non accenſis luminibus. Bauldry *ſuprà art. 2. n. 1.* & 2. *Vinitor tit.* 14. *n.* 2. Memoriale Rituum *ſuprà tit. 8. cap. 2.* §. 1. *num.* 1.

## De Benedictione novi Ignis §. III.

III. Rubric. n. 2. pag. 202. & Gavant. ibid. col. 1. lit. c *Dicta Nona &c.*) Quando Nona dicetur in Choro, vel ſtatim poſt ipſam recitatam, Celebrans in Sacriſtia parabitur

Amictu,

Amictu, Alba, nec non Stola, & Pluviali violaceis; Diaconus pariter Amictu, Alba, Stola, & Planeta plicata etiam violaceis; Subdiaconus pariter Alba, & Planeta plicata violacea, ſed ſine Manipulo; & denique tres, vel quatuor Acolythi induentur ſuperpelliceis. Cùm hæc peraguntur in Sacriſtia, vel etiam dum recitatur Hora Sexta, in loco ſuprà deſcripto, à Sacriſta, vel ab alio excutitur è ſilice Ignis extra Eccleſiam, & accenduntur Carbones, qui ibi reperiuntur extincti, ut adveniente Celebrante reperiatur novus Ignis ibi accenſus, qui ab eo debet benedici. Ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 3.

De Benedictione novi ignis in Sacramentario Sancti Gregorii nulla fit mentio, & ex Epiſtola Zachariæ Romani Pontificis data ad S. Bonifacium Moguntinum Antiſtitem colligitur, Ignis novi è ſilice ſeu Cryſtallo extracti benedictionem ignotam fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Seculo VIII. viguiſſe tamen in aliquibus locis, maximè in Galliis, probat Bonifacii interrogatio, ad quam reſpondit præfatus Summus Pontifex. De hac Benedictione intelligendus videtur Leo Papa IV. in Homilia de Cura Paſtorali, ubi ait: *In Sabbato Paſchæ, extincto veteri, novus ignis benedicatur, & per Populum dividatur, & aqua ſimiliter;* Quæ quidem verba leguntur etiam in Epiſtola Synodica Ratherii Veronenſis Epiſcopi ad Presbyteros ſuæ Diœceſis, quæ reperitur in Spicilegio Dacheriano. Habetur etiam mentio de uſu excutiendi novum ignem, ad Cereum Paſchalem accendendum, in Ordine Romano Cajetani, in quo legitur: *Ignis excutitur de Cryſtallo, ſive lapide, & accenditur*, & referuntur tres Orationes, quæ in Benedictione Ignis dicebantur. Carthuſiani novum Ignem non excutiunt Sabbato Sancto, quia Sacriſta Lucernam accenſam in fine Officii recondit, qua in accendenda lampade utitur, neque benedicunt Cereum Paſchalem; Alia ſpectantia ad originem, & Ritus prædictæ Benedictionis novi Ignis in hac die, legi poſſunt apud Edmundum Martene, *De antiqua Eccleſ. Diſciplina Cap.* 24. *n.* 3. nec non apud Grancolas *loc. ſupracit. cap.* 65.

Reſumendo nunc priorem noſtrum Sermonem; dum excutitur extra Eccleſiam novus Ignis à Sacriſta, vel ab alio, Celebrans, & Miniſtri Sacri accedunt ad ſumenda Paramenta ſua ſibi reſpectivè convenientia; prout paulò antè diximus: Biſſus *Lit. P. n.* 28. §. 14. Deinde ita parati, præcedentibus Miniſtris, debito ordine, prout infrà, alii de Clero procedunt omnes ad locum deputatum extra Eccleſiam, vel ad aditum illius, ùt *ſuprà*, pro benedicendo novo igne. Bauldry *ſuprà n.* 3. Biſſus *Lit. S. n.* 6. Vinitor *ſuprà n.* 3. Hic notandum occurrit, quòd recitata Hora Nona, Dignitates, & Canonici non ampliùs ante Crucem Altaris genuflectunt, ſed profundam tantùm faciunt inclinationem. Memoriale Rit. *ſuprà* §. 6. *n.* 3. *in fine Pag.* 288.

IV. Rubric. n. 2. pag. 202. & Gavant. ibid. col. 2. lit. d *Aſſtantibus ſibi Miniſtris &c.*) Ad locum igitur, in quo benedicendus eſt novus ignis, ſequenti ordine procedendum eſt. Procedunt ſimul tres Acolythi, quorum qui eſt medius, defert Vas cum Aqua benedicta, & Aſperſorio intus; ad ejus ſiniſtram alter Acolythus, qui portat pelvim, in qua ſunt quinque grana Thuris pro Cereo benedicendo; ad dexteram verò tertius Acolythus, portans Thuribulum ſine igne, & Naviculam cum Incenſo, & Cochleari intus: Sequitur Subdiaconus, Epiſtolam cantaturus in Miſſa, nec non alter, deferens Crucem ſolus, ſine Ceroferariis; deinde ſecundus Ceremoniarius, niſi malit ante omnes incedere: à Portu *ſuprà Art.* 2. *Rubr.* 1. *in Adnot. n.* 8. ſequuntur poſteà omnes de Clero, Nicolaus de Bralion *Part.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. per ordinem, tum Ceremoniarius primus: à Portu *ſuprà*; ultimò Celebrans, tecto Capite, habens Diaconum à ſiniſtris, non elevantem fimbriam Pluvialis ipſius Celebrantis, & nudo Capite, ambo tamen manibus jun-

ctis procedunt ad locum, ùt *ſuprà*, facta priùs debita reverentia Cruci, ſeu Imagini Sacriſti æ.

V. Rubric. n. 2. pag. 202. & Gavant. ibid. col. 2. lit. e *Ante Portam Eccleſiæ &c.*) Cùm ad locum deſignatum extra Eccleſiam pervenerit Subdiaconus, ſiſtit ſe ad Portam Eccleſiæ, ei renes vertens, faciem verò ſuam, & Crucifixi Imaginem vertat Celebranti, Clerus autem hinc inde diſponitur, ita ut juniores Cruci viciniores ſint, & ſeniores Celebranti, qui Celebrans, facie ad Portam Eccleſiæ verſa, ſtat ante Menſam ibidem præparatam; Diaconus verò à dextris ejus, paulò tamen poſt eum, & ibidem tres Acolythi, qui ſuprà, videlicet ad dextram Diaconi ille qui de granis Incenſi, ad dexteram hujus alter de Thuribulo, & ad dexteram Thuriferarii ille de Aqua benedicta. Bauldry *ſuprà n.* 6. Biſſus *ſuprà* §. 4. Vinitor *ſuprà n.* 4. & poſt hunc ſecundus Ceremoniarius; à ſiniſtris Celebrantis, ſed pariter paulò poſt eum, primus Ceremoniarius, ad cujus ſiniſtram Clericus ſerviens de Libro, & ad hujus ſiniſtram Navicularius ſi adſit: à Portu *ſuprà.*

VI. Rubric. n 2. pag 202. & Gavant. ibid. col. 2. lit. f *Dicens manibus junctis &c.*) Omnibus ùt ſuprà diſpoſitis, Celebrans deponens birretum (quod datur per Diaconum primo Ceremoniario, & per hunc alicui Acolytho) ſtans à dexteris Vaſis, in quo eſt ignis benedicendus, junctis manibus, & modo Capite, benedicit præfatum novum ignem ex Libro Miſſalis, (quem Acolythus aliquis tenet ſupra caput, ante eum,) dicens ſine cantu, in tono Orationis Miſſæ Ferialis, Bralion *ſuprà n.* 6. *Dominus vobiſcum*, & tres ſequentes Orationes, ùt in Miſſali, & dum format ſignum Crucis, Diaconus elevet fimbriam anteriorem Pluvialis à dextris, & in fine Orationum à Choro reſpondetur *Amen* ſine cantu, ùt *ſuprà*. Biſſus *cit.* §. 4. Bauldry *ſuprà*, Vinitor *ſuprà n.* 5.

## De Benedictione Incenſi. §. IV.

VII. Rubric. n. 3. pag. 202. *Deinde benedicit quinque grana Incenſi &c.*) Igne novo benedicto, accedit (adhuc extra Portam Eccleſiæ) ſecundus Ceremoniarius, vel Acolythus qui eſt ad dexteram Celebrantis, habens pelviculam cum quinque granis Incenſi (quam ſuſtinet elevatam ante pectus) ante ipſum Celebrantem, qui non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus*, ob rationem, quam adducit Gavant. in hanc Rubricam, quaſi conjungens novam Benedictionem Incenſi cum præcedenti Benedictione ignis, dicit junctis manibus, ſine cantu, Orationem pro Benedictione prædictorum quinque Granorum Incenſi, incipiens abſolutè ab illis verbis -- *Veniat quæſumus &c.* & dum ad verbum: *Benedictionis*, format dextera ſuper grana ſignum Crucis, Diaconus elevat à dexteris Fimbriam anteriorem Pluvialis, ùt *ſupr.* dictum eſt. Bauldry *ſup. n.* 7. Biſſus *ſupr.* §. 6. Vinitor *ſupr. n.* 6.

VIII. Gavant. pag. 202. col. 1. poſt Rubr. n. 3. *De hiſce granis apertè meminit &c.*) De his granis Incenſi fit etiam mentio in Ordine Romano Amelii §. 78. & ab aliis recentioribus Auctoribus. Præter autem ignis benedictionem, nonniſi in quibuſdam Eccleſiis, ùt optimè notat Martene *de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina cap.* 24. *n.* 4. habebatur & alia Incenſi Benedictio, quæ in Miſſali Narbonienſi tribus Orationibus ab eodem Martene relatis complebatur; In Miſſali verò Toloſano unica dumtaxat pro Benedictione Ignis, & unica pro Benedictione Incenſi continetur, quæ cùm in aliis Miſſalibus non reperiantur, exhibentur pariter ab eodem Martene *cit. loc.* Alias etiam diverſas Orationes, quas adhibent Eccleſiæ Viennenſis, Verdunenſis, Trojenſis, pro Benedictione Incenſi, diverſas à Benedictone Ignis, innuit Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuarum Explic. pag.* 119.

IX. Rubric. n. 4. pag. 202. & Gavant. pag. 203. col. 1. lit. g *Sacerdos de Navicula &c.*) Poſtquàm Thuriferarius, dum benedicuntur

grana

grana Incenſi, acceptis forcipibus, poſuit carbones ardentes benedictos in Thuribulo, accedit cum eodem Thuribulo, & Navicula, prope Celebrantem, qui finita Oratione, miniſtrante Naviculam Diacono cum oſculis, ponit de more Incenſum in Thuribulo, dicendo: *Ab illo benedicaris &c.* & producit ſignum Crucis, tum recedente Thuriferario, poſt acceptam Naviculam à Diacono, accedit Acolythus à dexteris Diaconi, cum Vaſe aquæ benedictæ, & Aſperſorio, quod Diaconus ſine oſculis accipit ab Acolytho, illudque cum oſculis ſolitis, aſperſorii videlicèt, & manus, porrigit Celebranti. Biſſus *ſuprà* §. 7. Bauldry *n.* 8. & Vinitor *ſuprà n.* 20.

X. Rubr. n. 4. p. 203. & Gav. ibid. col. 2. lit. h *Ter aſpergit &c.*) Celebrans deinde, Aſperſorio accepto, ter aſpergit quinque grana Incenſi, ùt deſcribit Gavantus, dicens interim ſubmiſſa voce: *Aſperges me &c.* & Diaconus, recipiens à Celebrante Aſperſorium cum ſolitis oſculis manus, & Aſperſorii, tradit illud ſine oſculis Acolytho de Vaſe aquæ benedictæ. Biſſus, Bauldry, Vinitor, & à Portu *ſuprà Rubr.* 3. *in Adnot. n.* 6.

XI. Rubr. n. 4. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 2. lit. i *Ter adolet &c*) Deinde Diaconus accipit à Thuriferario ſine oſculis Thuribulum, illudque cum oſculis catenularum, & manus Celebrantis, ei offert, qui ter incenſat grana Incenſi, & novum ignem eo modo quo aſperſit, nihil tamen dicens. Bauldry, Biſſus, Vinitor, & à Portu *ſuprà*.

Quo facto, per aliquem Acolythum accenduntur prædictæ Candelulæ ſimul nexæ & intortæ, vel unica ſola Candelula, de novo igne, &, ſi opus ſit, includuntur, aut includitur in Laterna, ne à vento fortè flante extinguatur; (interim verò per aliquem Acolythum reportatur Vas cum igne in Sacriſtiam) & tunc lampades omnes Eccleſiæ per Sacriſtam extinguuntur, ùt præſcribit Rubrica *ſuprà* (relicta tamen accenſa illa, quæ ardet ante Tabernaculum, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, ùt infrà. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 8. *n.* 8. *& cap.* 13. *n.* 14.) ut de novo lumine benedicto ſuo tempore accendantur, ſicuti præcipitur à Rubrica *ſuprà*.

Finita ignis incenſatione, Diaconus (qui debet eſſe ille idem, qui in Miſſa, & Officio inſervire debet, & non alius ad hanc ſolam functionem, & ad cantandum tantùmmodò Præconium: *Exultet &c.* ùt malè multi faciunt; Hoc enim repugnat omnino Rubricæ Miſſalis, neque in ullo habetur Ceremoniali, cùm ſit quiddam addere, quod eſt contra Bullam Pii V. & maximè notandum cum Corſetto *tract.* 1. *part.* 2. *de Sabbato Sancto cap.* 8. *n.* 5. & Hippolyto à Portu *ſuprà Rubric.* 4. *in Adnot. n.* 7.) recepto à Celebrante Thuribulo cum debitis oſculis, redditoque Thuriferario, tranſit ad ſiniſtram Celebrantis, & adjuvante aliquo Acolytho, depoſitis ſuper Menſam omnibus Paramentis violaceis, aſſumit Manipulum, Stolam, & Dalmaticam albi coloris, nihil dicens. Subdiaconum hoc tempore & loco Manipulum accipere debere, volunt ferè omnes, allegantes Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 28. §. 1. ubi agitur de Officio Sabbati Sancti, Epiſcopo non celebrante. Sed ex Cap. præcedenti §. 12. in quo de eodem Officio, Epiſcopo Celebrante, agitur, manifeſtè colligitur, Subdiaconum aſſumere debere Manipulum, quando Celebrans, cantato Præconio à Diacono, Planetam, & Manipulum accipit. Igitur aut error irrepſit *Capit.* 28. §. 1. qui tamen neque in recognitione ſub Innocentio X. neque in nuperrima ſub Benedicto XIII. fuit correctus, aut utrumque fieri poteſt; Putat tamen Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 7. ultimum eſſe multò conformius regulis Rituum, ùt facilè Rubricarum arbitri judicabunt, ſcilicet ut non accipiat Manipulum ſupradictus Subdiaconus, niſi cum Celebrante.

# Pro Ritibus ſervandis ab accenſione novi luminis, & benedictione Cerei, uſque ad Cantum Prophetiarum.

## De accenſione novi luminis. §. V.

XII. Gavant. pag. 203. col. 1. poſt Rubr. n 5. *A conſecratione luminis incipitur Paſchalis Sollemnitas, &c.*) Ex veteri majorum conſuetudine, ùt optimè oſtendit Ludovicus Thomaſſinus *lib. 2. cap.* 14. *de celebratione dierum Feſtorum*, lumen diebus ſingulis, ſive Feſtivalibus, ſive Privatis, noćte ferè adventante, cum precibus accendebatur, & lampas, vel Cereus offerebatur, veluti Sacrificium quoddam Divinum, illud Jesu Chriſti indicans; ſed Sabbatis ſingulis ſollemniori Ritu, ſollemniſſimo tamen in Paſchæ Pervigilio id peragebatur. Verùm ſub finem Seculi XI, iſtiuſmodi mores ſublati videri poſſunt; ſiquidem Lanfrancus, qui ea ætate floruit, tradit, eos viguiſſe apud Monachos, quintis, ſextisque Feriis: *Plurima Monachorum Cœnobia feciſſe hanc ad ſanćtificandum ignem Proceſſionem, non Sabbato tantùm Sanćto, ſed in quinta etiam, & ſexta Feria, Secretario præferente Cereum, &c.* In ejuſmodi tantùm Cœnobiis ii Ritus adhibebantur poſtremis tribus diebus majoris hebdomadæ. Ex Glabro Radulpho autem *lib.* 4. *Hiſtoriæ cap.* 6. colligitur, Sabbato Sanćto dumtaxat veteris prædićti moris reliquias ſuperfuiſſe. Audivit enim de Aurelianenſi quodam Epiſcopo, à Palæſtina & Hieroſolymis redeunte, dum Populus accenſas lampades conſpicere in votis haberet, ignem divinitus ex una earum erumpentem alias inflammaſſe. En verba Glabri -- *Eodem tempore Oldaricus Aurelianenſium Præſul illuc pergens, quid viderit, nobisque narraverit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab univerſo Populo præſtolatur, ibi cum Cereis idem Præſul adſtabat. Jamque dies ipſa in Veſperum vergens, &c. ſtatim Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ ſeptem ibi pendere cernuntur, curſim cursitando cæteras inflammavit* -- Hæc Glaber *cit. loc.* Similis miraculi mentionem quoque facit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi agens de itinere Hieroſolymitano Riccardi Abbatis S. Vitoni, hæc habet -- *Venit dies Sabbati Sanćti, quo exſpećtabatur ignis à Domino, & Gentiles armati, Chriſtianis intro concluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus, totam obſervaverant Eccleſiam: ut ſi ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur. Cum ecce hora circiter nona, omnibus orantibus, in una lampade ignis accenſus eſt à Domino, nullius mortalium ſuffragante adminiculo: & Gentiles ſtupor apprehendit, & pavor; Chriſtianis verò gaudium, & exultatio, ut ab omnibus tota certatim caneretur Eccleſia* -- Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. De hoc prodigio inſigni, quotannis ad Sanćtum Domini Sepulchrum contingere ſolito, mentio quoque fit in Hiſtoria Belli Sacri *n.* 102. Muſæi Italici *tom.* 1. & in Sermone Urbani Papæ II. habito in Concilio Claromontano, necnon in Chronico Caſſinenſi Leonis Marſicani *lib.* 3. *cap.* 3. Rurſus de hoc pariter portento ſermonem faciunt Anonymus de Locis Hieroſolymit. *n.* 1. Bernardus Monachus in Itinerario *tom.* 1. *cap.* 10. Wilielmus Malesburgh. *lib.* 4. *Hiſtoriæ Anglicanæ pag.* 140. DuFreſne, ſeu DuCange, ſub quo nomine communiter allegatur *tom.* 2. *editionis veteris ſui Gloſſarii lit.* i. *v. Ignis Sacer.* Du Sauſſay in *Panoplia Sacerdotali cap.* 6. n. 1. Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 24. §. 9. Hinc ad normam hujus miraculi, & ne ejus memoria pereat, optimè ſancitum eſt, ut

conſer-

conſervetur Benedictio novi Ignis in Sabbato Sancto, & nonniſi ex eo accendantur Lampades, & Cerei, & ſic incipiatur Officium Reſurrectionis Domini.

XIII. Rubr. n. 5. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 1. lit. l *Tum Diaconus indutus Dalmatica, &c.*) Deinde Celebrans iterum imponit, & benedicit Incenſum in Thuribulo, pro Proceſſione, & Præconio, miniſtrante Diacono jam Dalmatica induto Naviculam cum ſolitis oſculis, & Thuriferario Thuribulum; ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 27. §. 3. Biſſo *ſuprà* § 9. Bauldry *ſuprà num.* 10. Vinitore *ſuprà num.* 9. Turrino *part.* 3. ſect. 2. *cap.* 3. & Corſetto *ſuprà n.* 6. Imò adverti debet, talem Thuris quantitatem eſſe imponendam, ut ſufficere poſſit pro incenſando libro, antequàm Diaconus cantet Præconium, quia, ùt videbimus *infrà*, non debet poni aliud incenſum pro dicta libri thurificatione. Bralion *cap.* 13. *num* 12.

XIV. Rubr. n. 5. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 1. lit m *Arundinem cum tribus candelis, &c.*) Diaconus paratus ùt ſuprà, redditaque Navicula Thuriferario, poſt impoſitionem incenſi, accipit dextera Arundinem, Bauldry *ſuprà*, quam ei porrigit primus Ceremoniarius; à Portu *ſup. n.* 2. & ordinatur Proceſſio modo ſequenti.

## De Proceſsione ad Eccleſiam cum Arundine. §. VI.

XV. Gavant. pag. 203. col. 1. lit. m *De Arundine cum Cereo in eadem, &c.*) Antequàm deſcendamus ad deſcribendum ordinem prædictum Proceſſionis, aliqua addenda occurrunt, & obſervanda, de prædicta Arundine, de qua quamvis in Ordine Romano à Caſſandro, & Hittorpio edito, aliqua fiat mentio, nullum tamen, ùt obſervat Gavantus, habetur verbum de tribus candelis in ejus cuſpide poni ſolitis. Imò de eadem Arundine neque ſermonem habent prædicti Ordinis Romani interpretes; verùm & de prædicta Arundine, & de prædictis tribus candelis expreſſus ſermo habetur in Ordine Romano Cajetani, ubi §. 94. legitur, quòd *Diaconus junior accipit Arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti, triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit Arundini, &c.* Rurſus de eadem Arundine, & prædictis tribus candelis, fit etiam mentio in Ordine Romano Amelii, & in Pontificali MS. Eccleſiæ Apamienſis in Syria, cujus verba referuntur ab Edmundo Martene *de antiq. Eccleſ. diſcip. cap.* 29. *pag. mihi* 442. ubi legitur, quòd *Benedicto novo igne junior Diaconus, . . . . de ipſo novo igne triplicem candelam conjunctam accendat, & eam in capite Arundinis ponat, ipſam Arundinem in manu tenens, &c.*

Quis tamen fuerit Auctor Arundinis, & cui Seculo referenda ſit ejus origo, penitus ignoratur. Biſſus *lit. A. n.* 460. §. 4. cùm multùm de origine talis Arundinis quæſierit, fatetur, ſe nihil inveniſſe. Martene *loc. cit.* ubi eruditè ſatis ſuo more differit de Ritibus Officii hujus diei, nullum verbum facit de origine hujus Arundinis; ſed Claudius De Vert *tom.* 2. *ſuarum Explicat. pag.* 132. cenſet, hanc Arundinem, & dictum Cereum in tres ramos diviſum, in ſua origine nihil aliud fuiſſe, niſi candelulam Baculo vel Arundini circumvolutam in ejus ſummitate, ùt etiam hodie adhiberi ſolet ad accendendas Altaris candelas, & dicebatur juxta verba antiquorum Ceremonialium: *Ponere candelulam in modum ſerpentis, ſeu colubri.* In Eccleſia Cameracenſi lumen, quod inſervit ad accendendum Cereum Paſchalem, circumvolvitur cuidam virgæ rubei coloris. Hæc Arundo in veteri Diſciplina Monaſtica, edita à Marquardo Heerrgott Monacho Benedictino S. Blaſii in Germania *cap.* 68. vocatur *Pertica cum candelis*, quæ à Matriculario, nempe à ſocio majoris Sacriſtæ præparatur, ut à

Diacono

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Diacono inde Cereus de igne conſecrato illuminetur; & in Eccleſia Conſtantienſi hæc Arundo nihil aliud eſt, niſi quædam Pertica, circa quam retorta habetur quædam Draconis effigies, ſupra cujus caput reperitur *hic Cereus torquatus*, ùt exprimitur in antiquis Ceremonialibus illius Eccleſiæ. In Pontificali verò Eccleſiæ Pictavienſis, & in Miſſali MS. Eccleſiæ Arelatenſis, iſte Cereus trium candelarum, dicitur, quòd ſit diſpoſitus in modum *Colubri*, in figuram *Serpentis*; & in Pontificali Guilelmi Durandi præſcribitur, Subdiaconum deferre in cuſpide Baculi intortos in formam Serpentis tres Cereos, qui accenſi fuerunt ex novo igne. Johannes verò Abrincenſis, Cereus, inquit, accendatur in quadam Haſta, in cujus ſummitate effigies Serpentis habeatur; & in Ceremoniali Cluniacenſi, necnon in Concordia S. Dunſtani, deſcribitur hæc Haſta cum imagine Serpentis, cum candela, quæ in ore prædicti Serpentis infixa eſt.

Ex hucuſque dictis patet, antiquiſſimum eſſe prædictæ Arundinis uſum, ad accendendum Cereum Paſchalem. Solùm ſupereſt inquirendum, quandonam inceperit candela talis Arundinis in calce unum quid eſſe, & deinde diſtingui in tres candelas, veluti ramos. Quamvis non deſint, qui cenſent, originem prædictarum trium candelarum repeti debere ab uſu adhibendi tres candelulas ſimul nexas ad modum parvuli intortitii, ne flante vento facilè extingui poſſit, ſicùt etiam præcipitur ab aliquibus Ceremonialibus recentibus, nimirum quòd ob eundem finem deferatur, vel aliqua candelula in laterna accenſa, vel aliquæ candelulæ ſimul intortæ, quibus accendi poſſunt in Eccleſia tres prædictæ Arundinis candelæ, quamvis, inquam, aliqui originem trium candelarum noſtræ Arundinis prædicto Ordinario uſui referant, nihilominùs valdè antiquum in Romana Eccleſia crederem uſum prædictarum trium candelarum, ab antiqua forma tricerei Græci deſumptum, ad deſignandum, ùt optimè Gavantus interpretatur, myſterium Unitatis Divinæ Eſſentiæ, & Trinitatis Divinarum Perſonarum; & quidem ubi Ritus Latinus præſcribit, ad novum luminis fulgorem cani debere: *Lumen Chriſti*; *Deo gratias*; Græci juxtà Ritum ſuum Orientalem, Sanctam Trinitatem laudibus efferebant, quod etiam confirmatur auctoritate S. Baſilii, qui *cap. 29. de Spiritu Sancto*, ait: *Populus autem antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei.* Quapropter clariſſimus Vir Ludovicus Thomaſſinus *lib. 2. cap.* 14. de dierum Feſtorum celebratione *n. 7.* ait: In Trinitatis honorem Cereum in tres diviſum accendimus, rati nos Jeſu Chriſti lumine fuſos Trinitatis penitiora Myſteria noſſe.

XVI. Rubr. n. 5. p. 203. & Gav. ib. col. 2 lit. n *Præcedit Thuriferarius, &c.*) Redeundo nunc, unde diſceſſimus, nimirum ad ordinem proceſſionis deſcribendum, hæc incipit à Thuriferario, qui cum Thuribulo fumigante in dextera, & Navicula in ſiniſtra, omnes præcedit.

XVII. Rubr. n. 5. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 2. lit. o *Cum Acolytho deferente, &c.*) A dexteris prædicti Thuriferarii, ùt innuit Gavantus, erit Acolythus, qui deferre debet Bacile cum quinque granis Incenſi, quod portat ambabus manibus elevatum. Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 6.

XVIII. Rubr. n. 5. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 2. lit. p *Sequitur Subdiaconus, & hic etiam cum Manipulo, &c.*) Poſt prædictos ſequitur Subdiaconus Crucem deferens, de cujus Manipulo ſuprà ſermonem fecimus. Hic Subdiaconus obſervare debet, ut opportunè, & loco convenienti ſe ſiſtat, cùm Diaconus dicturus eſt: *Lumen Chriſti.*

XIX. Rubr. n. 5. pag. 203. & Gavant. ibid. col. 2. lit. q *Diaconus cum Arundine, &c.*) Poſt Subdiaconum ibunt bini duo Acolythi, deinde Navicularius, ſi adſit, & Clericus de libro à Portu *ſuprà n. 5.* & poſteà incedet Clerus per ordinem, junioribus præcedentibus; poſt

Cle-

Clerum Diaconus, portans ambabus manibus Arundinem, habens ad ejus ſiniſtram ſecundum Ceremoniarium, cum candela una parva, vel duabus ſimul nexis, accenſis de novo igne. Cerem. Epiſc. *ſuprà*, & Bauldry *ſuprà n.* 8. ſive etiam candelulam in laterna, cum lignis ſulphuratis, ùt innuimus *ſuprà*; & ultimus omnium procedit Celebrans, manibus junctis, & tecto capite. Interim aſportantur per aliquos Miniſtros reliqua de Menſa prædicta, nimirum ignis, vas aquæ benedictæ, forcipes, & alia quæ ibidem ſunt. Paramenta autem violacea reponuntur in tali loco, ut Diaconus commodè ea recipere poſſit, cantato Præconio, ùt *infrà*. Biſſus *ſuprà* §. 9. Bauldry *ſuprà num.* 11. à Portu *ſuprà n.* 8.

XX. Rubric. n. 5. pag. 203. & Gavant. pag. 204. col. 1. lit. r *Diaconus ingreſſus, &c.*) Cum Diaconus, aliis præcedentibus, fuerit ingreſſus Eccleſiam, & poſt eum Celebrans (ut hic etiam poſſit intra Eccleſiam genuflectere: Gavantus, Corſettus, à Portu *ſuprà*) qui ſtatim caput detegit, ſi ibi teneat birretum, ſe ſiſtent omnes, & Diaconus cautè Arundinem inclinat, tunc Ceremoniarius ſecundus, deferens candelam accenſam de novo igne accendit unam ex tribus candelis in ſummitate Arundinis poſitis, & ſtatim Diaconus elevat Arundinem; deinde tam ipſi, quàm alii omnes, etiam Celebrans (adjuvante primo Ceremoniario, ſi opus eſt, A Portu *ſuprà n.* 11.) genuflectunt utroque genu; præter Subdiaconum Crucem deferentem. Diaconus itaque ſic genuflexus elevat aliquantulùm Arundinem, & tono mediocri, clara tamen, & ſonora voce, cantat: *Lumen Chriſti*, quo audito Celebrans, & omnes alii ſurgunt, & Chorus reſpondet in eodem tono *Deo gratias*; quòd ſi nullus adeſſet Chorus, præter Clericos intereſſentes Proceſſioni, reſponderent iſti, ùt *ſuprà*: *Deo gratias.* A Portu *ſuprà num.* 13. Tum ulteriùs procedunt omnes, & cùm Diaconus ad medium Eccleſiæ pervenerit, iterum omnes ſiſtunt ſe, & Diaconus iterum inclinat Arundinem, & à Ceremoniario, ùt *ſuprà*, accenditur altera ejusdem candela, ùt priùs, & eodem modo cum omnibus genuflexis (ſolo Subdiacono excepto) ipſe Diaconus genuflexus altiùs elevans Arundinem, & altiùs elevans vocem, cantat: *Lumen Chriſti*; inde ſurgunt omnes, ùt ſuprà, & eodem altiori tono reſpondetur per Chorum: *Deo gratias*; mox omnes ulteriùs procedunt versùs Altare, ante cujus infimum gradum in plano ſe ſiſtent Thurifirarius, & alter Acolythus ferens quinque grana Incenſi. Poſt eos ſiſtet ſe Subdiaconus, vel ſaltem ſi planum ſit anguſtum, medius inter eos; alii autem de Choro ſe ſiſtent hinc & inde ad ingreſſum Presbyterii, ſenioribus Altari vicinioribus; vel ſi Chorus ſit juxta Altare, intrantes in Chorum, non aſcendent ad Presbyterium, ſed hinc inde ſtantes, facta tranſeunti Celebranti inclinatione, petent locum ſuum. Diaconus verò, cum Ceremoniario ſecundo, vel Acolytho à ſiniſtris, per medium eorum tranſiens, ſtabit retro Subdiaconum, & poſt Diaconum Celebrans, ùt anteà, & ibidem ipſe Diaconus tertiò inclinabit Arundinem, prædicto Ceremoniario vel Acolytho tertiam candelam accendente, & genuflexus, Arundinem & vocem adhuc altiùs elevans, cantabit: *Lumen Chriſti*, cui omnes, ùt *ſuprà*, genuflexi reſpondebunt: *Deo gratias.* Ex Ceremoniali Epiſc. *ſuprà* §. 7. & ex Ceremoniali Monaſtico *lib.* 4. *cap.* 10. §. 8. necnon ex Biſſo *ſuprà* §. 10. & Bauldry *ſuprà num.* 12.

Quo tertiò facto, Clerus accedit, factis debitis reverentiis, ad locum ſuum in Choro, præcedentibus junioribus; & Celebrans, depoſito birreto in manibus primi Ceremoniarii (qui illius fimbrias elevabit de more) aſcendet ad Altare, & oſculabitur, ùt mos eſt, illud in medio, & accedet in cornu Epiſtolæ; ibique ſtabit converſus ad Altare, donec benedicat Diaconum. Ceremoniarius verò primus, poſtquàm Celebrans aſcende-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rit ad Altare, & ipſe depoſuerit Celebrantis birretum ſuper ejus ſedem, revertetur ad Celebrantem, & poſt eum ſtabit toto Præconii tempore. A Portu *ſuprà n. 19.* Diaconus verò, ſtans adhuc in plano, dat Arundinem Acolytho ad id deputato, & accipit de manu ſecundi Ceremoniarii (ſtatim ùt ipſe laternam & candelam tradiderit Sacriſtæ, vel ſuper Credentiam depoſuerit) Miſſale velo albo tectum, & deinde, eodem ſecundo Ceremoniario comite, genuflectens in medio, aſcendit idem Diaconus ad ſupremum gradum Altaris, ubi ferè in medio ſuper oram ſuppedanei genuflexus, & non miniſtrans incenſum de novo, neque præmittens *Munda cor meum* (Miniſtris aliis ſtantibus) petet abſolutè benedictionem à Celebrante, facie ad eum verſa, dicendo: *Jube Domne benedicere*; & Celebrans ſtans versùs illum reſpondet: *Dominus ſit in corde tuo, &c.* proùt in benedictione ad Evangelium, ſed loco *Evangelium ſuum*, dicit *ſuum Paſchale Præconium*, ùt peculiariter notatur in Miſſali. Dicens verò *in nomine Patris*, eum benedicit, ſed ejuſdem Celebrantis manum poſt benedictionem idem Diaconus minimè oſculatur, juxta præſcriptionem Ceremonialis Epiſcopalis *lib. 2. cap. 27. §. 9.* In hac enim ſacra functione apertis verbis præſcribitur, quòd dicta benedictio abſque oſculo manus in fine accipiatur. Quapropter quamvis à Rubrica Miſſalis hic in proprio loco dicatur, quòd Diaconus petit benedictionem ùt ad Evangelium, nullum tamen dicta Rubrica verbum facit de oſculo manus; quoniam verò Cerem. Epiſc. *loc. cit.* expreſsè diſponit, ne dictus Diaconus oſculetur manum Celebrantis, ſequitur ut dicta Rubrica Miſſalis non exigat in hac functione, niſi ut Celebrans benedicat Diaconum, non verò ut hic oſculetur manum illius, ſicùt volunt omnes ferè Rubriciſtæ, non advertentes forſan prædictam Ceremonialis Epiſcopalis diſpoſitionem.

Notandum tamen præterea hic eſt, ad lucidiorem hujus Rubricæ explicationem, & continuò mente eſt retinendum, quòd quando Miſſale, & Ceremoniale diſcrepant in præſcribendo aliquo Ritu, non ideò ita ſibi contradicere dicendum eſt, ut unum prohibeat, quod alterum præſcribit, ſed quoad fieri poteſt, conciliandæ ſunt eorundem diſpoſitiones; Cùm verò aliquis Ritus expreſsè præſcribitur in uno, ùt contingit in noſtro themate, quod reticetur in alio; convenientius, & ſecurius eſſe videtur, quòd Ritus expreſsè præſcriptus ad praxim reducatur, non verò tacitus, ſeu obſcurus, ſicùt in hac Sacra Præconii functione de dicto oſculo manus accidit. Nec obſtat ratio, quam in contrarium adducit Nicolaus de Bralion *ſuprà n.* 11. tam pro ſe, quàm pro reliquis Rubriciſtis, qui hac in re nullam pro ſua opinione afferunt rationem; Quia prohibitio expreſſa oſculi manus, non poteſt intelligi de oſculo manus Epiſcopi ante petitionem benedictionis, ſicùt talis manus deoſculatio præcipitur in ſupradicto Ceremoniali *lib. 2. c. 8.* § 42. ùt vult ſupracit. Nicolaus de Bralion, quia forſitan in tantum Diaconus in Miſſa Pontificali oſculatur manum Epiſcopi ante Orationem, *Munda cor meum*, ùt ibi, ſive ante benedictionem; in quantum, dum accedit ad recipiendam benedictionem Epiſcopi, aut ei profundè ſe inclinat, ſi fuerit Canonicus, aut utroque genu flectit, ſi fuerit Beneficiatus, in plano ante, & prope ultimos gradus Sedis Epiſcopalis; Et propterea, cùm non parùm diſtet ab Epiſcopo, non poteſt commodè manum illius oſculari, & ideò videtur appoſitè Ceremoniale Epiſc. præſcripſiſſe, ut oſculatio manus Epiſcopi, Pontificaliter Celebrantis, ſeu Aſſiſtentis, præmitteretur ejuſdem benedictioni; Quod tamen locum non habet in alio Celebrante, cùm Diaconus petens ab hoc ipſo benedictionem, aſcendat ad gradus Altaris, & ſuper ejuſdem ſuppedaneo genuflectat, ſi fuerit Beneficiatus, ſi vero fuerit Canonicus, profundè in gradu prope ſuppedaneum ſeſe inclinet. Deinde conſidero, quòd pro can-

tando

tando Evangelio, ſemel tantùm Diaconus oſculatur manum Epiſcopi, nimirum ante benedictionem. Cùm autem *cit. loc.* præſcribat Ceremoniale, quòd Diaconus petere debet ab Epiſcopo benedictionem abſque oſculo manus, ſequitur hìc prohiberi illud manus oſculum, quod dari ſolet, quando cantatur Evangelium. Quòd ſi prohibetur oſculatio manus Epiſcopi in prædicto caſu, multò magis prohibetur oſculatio manus alterius Celebrantis inferioris Epiſcopo, & hæc noſtra opinio conſonat praxi Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis.

## De Cerei benedictione, §. VII.

XXI. Rubric, num. 6. pag. 204. *Poſteà vadit ad Pulpitum, &c.)* Diaconus igitur, accepta benedictione, non oſculata tamen manu Celebrantis, ùt diximus, ſurgit, & deſcendit in planum, ubi in medio ante infimum gradum Altaris genuflectit unico genu, cum aliis Miniſtris, exceptis Subdiacono, & Miniſtro Arundinem ferente, tum ſurgunt omnes, & procedunt, factis debitis reverentiis Choro, ſi ſit juxta Altare, ad locum deputatum pro cantando Præconio (qui locus eſſe debet in cornu Evangelii in plano Presbyterii, vel in aliquo Pulpito, niſi ſit contraria conſuetudo legitimè introducta) ſequenti modo: Præcedit ſecundus Ceremoniarius, tum Thuriferarius cum Navicula, hábens à dextris Acolythum deferentem pelviculam cum quinque granis incenſi, poſteà ſequitur Subdiaconus cum Cruce, habens à ſiniſtris Acolythum cum Arundine, poſtmodùm unus Acolythus vacuus, ut ſuo tempore amoveat Cereum à Candelabro (ſuper quo præcedenter fuit collocatus) & ad ejusdem Acolythi ſiniſtram alter Acolythus cum Candelula ad accendendas Lampades ſuo tempore; Ultimò tandem Diaconus ſolus, portans Miſſale clauſum ante pectus. Biſſus *ſuprà*, & à Portu *ſuprà*.

Cùm pervenerint ad locum deſignatum, ſic ſe locant: Diaconus in medio ſupra Ambonem, vel ante Legile, ſuper quod ponit Miſſale; Subdiaconus ſtat ad dexteram Diaconi, vertens faciem Crucifixi, quæ eſt in Cruce, ad Celebrantem; Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 27. §. 10. & à dexteris Subdiaconi Thuriferarius, à ſiniſtris Diaconi Acolythus cum Arundine, & alius Acolythus, tenens quinque grana Incenſi, à ſiniſtris dicti Acolythi de Arundine. Bauldry *ſuprà. n.* 3. Vinitor *ſuprà tit.* 15 *n.* 2. Ceremoniarius ſecundus ſtabit poſt Diaconum, ùt ad Evangelium. Rubric. *ſuprà*; Qui omnes vertere debent faciem, prout Diaconus, ad Librum, & formare cum eo rectam lineam. Verùm quamvis nonnulli Rubriciſtæ præſcribant, ut prædicti omnes latera dextera vertant ad Altare, faciem ad Aquilonem, renes ad Meridiem, & idcirco Legile ſtatuendum eſſe juxta hanc conſiderationem; Nihilominùs certum eſt, quòd ſaltem quando Præconium canitur in Pulpito, ſeu Suggeſtu, tunc Diaconus non cantat facie verſa ad Aquilonem, ſed potiùs ad Meridiem, nimirum ad Celebrantem, & cùm præſcribatur à Ceremoniali Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 27. quòd prædicti omnes Acolythi debeant vertere facies proùt ipſe Diaconus; Hinc ſequitur, quòd ſicuti Diaconus in Pulpito canit Præconium, verſa facie ad Celebrantem, & Meridiem; Ita pariter hoc eodem modo cæteri manere debent, non autem vertendo renes ad Meridiem, & facies ad Aquilonem. Et idem faciendum eſſe cenſeo, ſi canatur Præconium ſuper Legile, quod aptari deberet eo modo, ut Diaconus cantet Præconium facie verſa ad Sacerdotem; inhærendo enim Gavanto ſuprà, ſufficit, ut prædicti Miniſtri, efformantes lineam cum Diacono qui eſt in medio, latera, non terga vertant Altari; ubi obſervandum eſt, Gavantum non dicere, ut latera *dextera* ver-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tant Altari, ſicùt explicat Bauldry *ſuprà art.* 3. *n.* 3. & alii cum eo.

XXII. Gavant. pag. 204. col. 1. lit. ſ *Non ſignat Librum, neque ſe ipſum, &c.*) Miniſtris omnibus diſpoſitis, ùt *ſuprà*, Diaconus ſtatim Librum deponet ſuper pulvinum, in Pulpito, vel Legili poſitum, eumque aperit, & ter incenſat, ùt ad Evangelium, Thuriferario Thuribulum miniſtrante ſine oſculis, quo incenſato, ſtatim reddit Thuribulum Miniſtro, qui ſtatim ad locum ſuum redit, nempe à dexteris Subdiaconi. Tum Diaconus, non ſignans Librum, neque ſe ipſum, alta, & ſonora voce, junctis manibus, incipit cantare Præconium, abſolutè dicens: *Exultet &c.* Omnes interim in Choro ſtabunt versùs Altare, detectis Capitibus, & Celebrans ſtatim ſe convertit ad Diaconum, & ſtat manibus junctis in latere Epiſtolæ, ùt ad Evangelium, habens poſt ſe primum Ceremoniarium. Bauldry *ſup. n.* 4. Biſſus *ſup.* §. 2. Vinitor *ſup. n.* 3. A Portu *ſup. n.* 6. & 7.

XXIII. Gavant. pag. 204. col. 1. num. 7. *Cereus benedicitur ex Decreto Zoſimi Papæ &c.*) Non ſolùm Alcuinus, ſed etiam Amalarius *lib.* 1. *cap.* 18. nec non Micrologus *c.* 5. Pontificale Apamienſe, Ordinarium Rothomagenſe, Miſſale Tholoſanum, & nonnulli Auctores recentiores, inſtitutionem Cerei Paſchalis Zoſimo Papæ tribuunt Anno 417. Grancolas tamen *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtorici in Brev. Roman. cap.* 66. contendit, nullum extare veſtigium talis Cerei ante Enodium Sexto Seculo, & ante quartum Concilium Toletanum, & ſuſtinet, certò ſciri non poſſe, hujusmodi inſtitutionem ante Theodorum Papam Romæ fuiſſe in uſu; cui quidem opinioni adhærere non poſſumus, quia Cerei Paſchalis benedictio altiùs ab Enodii Ævo profectò repetenda eſt. Immò etiam Zoſimo Papa antiquiorem eſſe pro certo habeo; Huic enim Pontifici Liber Pontificalis tribuit non ejusdem Cerei inſtitutionem, ſed quòd licentiam benedicendi Cereum Paſchalem conceſſerit ſingulis Parochiis; Unde, quod aſſerunt Card. Baronius, necnon Franciſcus Pagius in Hiſtor. dicti Pontificis, non ita intelligendum eſt, quaſi Zoſimus Cerei Paſchalis uſum primus inſtituerit; ſed quòd à Zoſimo hoc tantùm inſtitutum eſt, nimirum, ut idem Cereus, qui in majoribus tantùm Baſilicis incendi ſoleret, æquè ſingulis Parochiis concederetur. Quapropter Ritus accendendi, & benedicendi Cereum Paſchalem in Baſilicis, ſeu Eccleſiis majoribus, inolevit ſanè, antequàm Zoſimus Eccleſiam regeret. Ejusdem Cerei antiquitatem, & inſtitutionem ante Zoſimum Papam, alii colligunt ex Prudentio, cujus Hymnus *ad Incenſum Cerei Paſchalis* compoſitus reperitur in veteri Ordine Romano. Verùm, quia Hymnus ille in MSS. Codicibus inſcribitur *Ad Incenſum Lucernæ*, non verò *Ad Incenſum Cerei Paſchalis*; Idcircò Viri eruditi, nimirum Jacobus Sirmondus *in notis ad Ennodium*, Menardus *in Obſer. ad Concordiam Regularum cap.* 24. §. 2. Nicolaus Heinſius *in nova Prudentii Editione*; & Johannes Mabillon. *in lib.* 2. *de Liturg. Gallic.* inferunt, eundem Hymnum ad accendendas in Lucernario, ſeu Veſperis quotidianis Lucernas, fuiſſe compoſitum; Idque aliis etiam rationibus oſtendunt iidem Menardus, & Mabillon. In veteri Codice Eccleſiæ Noviomenſis, ante Annos 900. ſcripto, in Regio Codice Gallicano *n.* 1866. ejusdem ætatis, ut opinatur *Martene de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina cap.* 24. *n.* 5. nec non in Miſſali Gallicano, quod ex Codice Bobienſi ab Annis circiter mille exarato, publici juris fecit laudatus Mabillon *Muſæi Italici tom.* 1. & denique in alio Miſſali Gallicano, atque in Gothico Gallicano, quod ex Bibliothecæ Vaticanæ vetuſtiſſimis Codicibus, nec Annis mille inferioribus, in lucem emiſit noſter Cardin. Joſephus Thomaſius, legitur: Benedictio ceræ B. Auguſtini Epiſc. quam adhuc Diaconus cùm eſſet, edidit, & cecinit feliciter: *Exultet jam Angelica Turba Cœlorum &c.* Cui quidem opinioni Martene dicit favere id, quod idem



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Auguſtinus Literis conſignatum reliquit *in Lib. 15. de Civitate Dei cap. 22. In laude quadam Cerei breviter verſibus dixi:*

*Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti,*
*Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.*

Quæ quidem verba ita leguntur in omnibus Codicib. MSS. ùt obſervant eruditiſſimi PP. S. Mauri, quamquàm in Editionibus, quæ Maurinam præceſſerunt, aliter legatur, nempè: *In Laude quidam Creatoris breviter verſibus dixit.* Sed cùm prædicti verſus minimè reperiantur in Præconio Paſchali, fruſtra putavit Martene favere poſſe eorum opinioni, qui Auguſtino Canticum illud adſcribunt. Contendit quidem præclariſſimus Auctor, Præconium emendatum fuiſſe, quod deducit ex veteri Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis, in quo hæc leguntur: *Uſum benedicendi Cereum à B. Auguſtino repertum tradit Eccleſia, qui benedictionem illius perficiens à S. Hieronymo reprehenſus eſt, cur virgiliana verſa inſeruerit: ſed ſicùt à B. Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Eccleſias canitur.* Verùm nobis alienum à veritate omninò videtur, quòd Auguſtinus fuerit hac de re ab Hieronymo reprehenſus, tum quòd id nuſquam legatur in Hieronymi Epiſtolis ad Auguſtinum, neque apud quemquam ex veteribus, qui de utroque Doctore aliquid ſcripta conſignarunt, tum quòd carmina Auguſtino ſuperiùs adſcripta Virgiliana non ſint.Ættereà quamquàm in variis MSS. Codicibus Præconium illud *Exultet &c.* aliter legatur, ac modò canitur ab Eccleſia, nullum tamen prætenſæ hujus emendationis veſtigium apparet; quocircà demum ſtatuimus, carmina Auguſtini à Martene laudata patrocinari non poſſe ſententiæ, quæ Auguſtinum hujus Præconii facit Auctorem. Apud Enodium Diaconum Ticinenſem, qui floruit 100. ferme annis ante S. Gregorium Magnum, duplex in Opuſculis reperitur benedictio Cerei Paſchalis; Verùm utraque diverſa ab ea, quam nunc adhibet Romana Eccleſia.

Quamvis ex huc uſque dictis colligatur, antiquiſſimam eſſe Cerei Paſchalis benedictionem, nihilominùs ubique recepta non fuit, ùt deduci poteſt eſt Concilii Toletani IV. *Can. 9.* in quo loco habetur -- Lucerna, & Cereus, in Pervigiliis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur; cur à nobis benedicantur, inquirunt; propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum ſollemniter hæc benedicimus, ut Sacræ Reſurrectionis Chriſti Myſterium, quod tempore hujus Votivæ noctis advenit, in benedictione ſanctificati luminis accipiamus; & quia hæc obſervatio per multarum loca Terrarum, Regioneſque Hiſpaniæ in Eccleſiis commendatur, dignum eſt, ut propter unitatem Pacis in Gallicanis Eccleſiis conſervetur -- In Miſſali Ambroſiano benedictio Cerei Paſchalis in initio non diſcrepat ab ea, quæ in Ordine Romano reperitur, Præfatio tamen omninò diſcrepat; & in Miſſali Mozarabico habetur quidem benedictio Cerei Paſchalis, ſed diverſa prorſus ab ea, quæ legitur in Ordine Romano, & in antiquis Gallicanis Liturgiis; Immò ipſamet Romana benedictio Cerei non eſt conformis in omnibus Codicibus, quia in variis non parùm diſſidet; & quidem de S. Hugone Cluniacenſi Abbate ſcribit Udalricus *in Antiquis Conſuetudinibus ſui Monaſterii lib. 1. cap. 14.* ubi agens de benedictione Cerei Paſchalis, ait -- In cujus quodam loco cùm aliquando non benè haberetur: *O felix culpa*, & quòd peccatum Adæ *neceſſarium eſſet*, ante hos annos Dominus Abbas optimè fecit, quòd fecit abradi, & ne ampliùs legerentur interdixit -- Hæc Udalricus relatus à Martene *loc. ſupracit.* Verùm ùt obſervat idem Martene, S. Hugo non fuit primus, qui prædicta verba ex Benedictione Cerei Paſchalis delevit, nam ea deſiderantur etiam in vulgato antiquo Ordine Romano, in Gallicana Liturgia Codicis Bobienſis,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in veteri Sacramentorum Libro Carnotenſis S. Petri Monaſterii Annorum circiter 700. in duobus Codicibus Eccleſiæ Turonenſis Annorum minimum 600. Deeſt etiam in duobus MSS. Miſſalibus Bibliothecæ Colbertinæ n. 1388. & 3789. cujus character annos circiter 400. refert, in Rituali Eccleſiæ Senonenſis, & in Rhemenſi pervetuſto, denique in Miſſalibus Colonienſi, Melodunenſi, & Lingonienſi; in quo ultimo tamen, etſi non legantur hæc verba: *O certè neceſſarium Adæ peccatum,* non deſunt tamen ea, quæ præcedere ſolent, nimirum: *O felix culpa.*

XXIV. Gavant. pag. 204. col. 2. num. 9. *Ordo figendi grana eſt, &c.*) Cùm ad illa verba Præconii pervenerit: *Curvat imperia,* intermittet cantum (interim Chorus ſedere poteſt, ſi vult, non verò Celebrans, Paris Craſſus *lib.* 2. *cap.* 48. Bauldry *ſuprà n.* 5. Turrinus *ſuprà §. Ingreſſo.* Biſſus *ſuprà* §. 4. Memoriale Rituum *de Sabbato Sancto cap.* 2. §. 3. *de Præconio n.* 7. à Portu *ſuprà Rubr.* 6. *in Adnot. n.* 1. qui etiam excipit Clericos Officii à facultate ſedendi) & interim Diaconus, comitante illum Acolytho, ferente grana Incenſi, accedens ad Cereum; Vel interim amovetur per Acolythum Cereus è ſuo Candelabro, & Diaconus in eodem Cereo infigit quinque grana Incenſi in modum Crucis, proùt deſcribit Gavantus, hoc ordine.

1
4 2 5
3

Quo facto, Acolythus de granis Incenſi accedet ad Credentiam, ſuper quam deponet pelviculam, indeque accepta cerea Candelula, non tamen accenſa, protinus ad locum ſuum redibit, factis tamen ſemper debitis reverentiis Altari, & Choro, in receſſu, & acceſſu. Biſſus *ſuprà* §. 3. à Portu *ſuprà n.* 3. & repoſito Cereo à prædicto alio Acolytho in loco ſuo; vel infixis granis, redibit Diaconus ad Pulpitum, ſeu Legile, nullam faciens inclinationem: & ſurgentibus omnibus de Choro, proſequetur Præconii cantum, dicendo: *In hujus igitur noctis:* ut in Miſſali. Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuarum Explicationum cap.* 1. *num.* 11. *& ſeqq.* cenſet, ex errore Rubriciſtarum, malè percipientium illa verba: *Incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum,* recenter introductum fuiſſe hunc Ritum, benedicendi, & infigendi quinque grana Incenſi in Cereo Paſchali: opinatur ſiquidem præfatus Auctor, per illud verbum *Incenſi*, non eſſe intelligendum thus, ſed ipſummet Cereum Paſchalem accenſum; unde *loc. cit.* dicit: illa verba *Incenſi hujus*, ſupplenda eſſe per hæc alia, *Cerei hujus.* Dum hæc perlegebam in præfato Auctore, quaſi credebam, conſueta ſuæ ſeverioris Critices prurigine excitatum, prædictam ponderationem feciſſe; verùm progrediendo ad lectionem ſuorum argumentorum, & diligenter examinando verba talis Præconii (ut ſincerè mentem meam aperiam) video ipſum, licèt aliquando ſit plùs æquo in Rubriciſtas infeſtus, hac vice rem acu tetigiſſe; & reverà nomine Incenſi in prædicto loco nihil aliud intelligi poſſe, niſi Cereum ipſum accenſum, ex contextu verborum ſatis oſtenditur: nullum enim legitur verbum in toto *Exultet*, ex quo conjici poſſit, ibi ſermonem eſſe de thure. Huic ponderationi non leve robur accedit ex benedictione ejusdem Cerei, quæ habetur in Sacramentario Gelaſiano *pag.* 79. quæ intitulatur -- *Benedictio ſuper Incenſum*; ubi nomine Incenſi nil aliud intelligitur, niſi ipſemet Cereus, quia poſt Præconium non benedicebatur thus, ſed ſolùm Cereus, & quidem verba ipſa benedictionis id apertè confirmant, cùm in ea hæc præcisè legantur -- *Veniat ergo, Omnipotens Deus, ſuper hunc Incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem inviſibilis Regnator intende.* Quæ manifeſtè deſignant, tò *Incenſum* eſſe ipſummet Cereum; ſi enim ſignificaret thus, diceretur *ſuper hoc Incenſum* (cùm Incenſum pro thure acceptum ſit generis neutrius) non verò *ſuper hunc Incenſum.* Præ-

tereà id magis exprimitur etiam per illa ſubſequentia verba, *& hunc nocturnum ſplendorem invisibilis Regnator intende*, quæ profectò non referuntur, niſi ad ſplendorem Cerei jam illuminati, unde magis, magiſque confirmatur, prædictam Orationem, & benedictionem directam fuiſſe in tali Sacramentario ad Cereum, non verò thus benedicendum, & tamen prænotatur: *Benedictio ſuper Incenſum.* Tandem omnem dubitationem ſubmovet Ritus Eccleſiæ Ambroſianæ, quæ eamdem Orationem recitando, loco dicendi hoc, vel *hunc Incenſum*, adhibet hæc verba, *hunc ignem.* Quapropter evidentiſſimum eſt, juxta talem Ritum non benedici grana incenſi, ſed ignem.

Quòd autem hoc verbum *Incenſum* nihil in rigore aliquando importet, quàm rem aliquam igne accenſam, probatur ex verbis Pſalmi 65. verſ. 15. *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, &c.* ubi nomine *Incenſi* ipſæ Carnes arietum combuſtæ intelliguntur; immò ipſummet thus non alia de cauſa Incenſum appellatur, niſi quia igne conſumitur, cùm Deo offertur, quæ eſt obſervatio Iſidori.

Penè omiſeram advertere cum eodem Auctore, quòd ubi novus ignis accendebatur Feria V. *in Cœna Domini*, Feria VI. *Paraſceve*, & Sabbato Sancto (quod etiam nunc obſervatur in Eccleſiis Rothomagenſi, Rhemenſi, & Cluniacenſi) illa eadem Oratio recitabatur, quamvis nulla benedicenda eſſent Incenſi grana Feria V. & Feria VI. indubiè igitur die Jovis, ac Veneris, recitabatur ad ignem novum, non ad incenſum. Obſervandum prætereà, quòd cum tempore Gelaſii PP. Cereus accenderetur ex igne, qui Feria VI. præcedenti abſconditus fuerat, ùt ex Rubrica ejusdem Sacramentarii inferiùs referenda apparet, illa Oratio non recitabatur ſuper ignem novum, ſed ſuper ipſum Cereum, & hac de cauſa illuminato jam Cereo dicebatur. Poſtquàm verò placuit, uti hac Oratione ad benedicendum Incenſum, mutarunt *hunc Incenſum*, in *hoc Incenſum*, quæ mutatio, & Orationis translatio Seculo XII. non videtur antiquior.

Prædictam Theſaurarii Cluniacenſis expoſitionem atque ſententiam refellere conatus eſt Vir omni laude digniſſimus Jo. Joſephus Languet, olim Sueſſionenſis, nunc verò Senonenſis Antiſtes, in præclaro Libro gallicè exarato, cui Titulus -- *Du Veritable Esprit de l'Egliſe dans l'uſage de ſes Ceremonies ou Refutation du Traité de D. Cl. de Vert. &c.* ubi *pag.* 422. ponderat, quòd quando Diaconus in Præconio Paſchali pronunciat illa verba -- *Suſcipe Sancte Pater Incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum*, nondum Cereus eſt accenſus; adeoque illa verba nihil aliud exprimere poſſe, ait, quàm verum thus, quod adhiberi debet in Cerei benedictione. Sed pace Illuſtriſſimi, & Sapientiſſimi hujus Præſulis, doctrina, & pietate commendatiſſimi, quamvis impræſentiarum verum ſit, Cereum nondum illuminatum eſſe, cùm illa proferuntur verba, certiſſimum tamen eſt, quòd antiquitùs Cereus accendebatur, antequàm à Diacono benediceretur, idque D. de Vert tot argumentis oſtendit, ut omnem ab animo dubitationem evellat, quibus dum Præſul Ampliſſimus nullam reſponſionem afferre dignatur, ſatis oſtendit, ſe vel parùm huic cauſæ fidere, vel argumenta contraria ipſi ineluctabilia videri. Et reverà, ſi Cereus ad illa verba nondum ſupponatur accenſus, difficillimè explicari poterunt ſequentia Præconii verba -- *Gaudeat & Tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni Regis ſplendore illuſtrata totius Orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem; Lætetur & Mater Eccleſia tanti luminis adornata fulgoribus . . . . . Quapropter ad tam miram hujus luminis claritatem* - - quæ omnia verba controverſum Textum præcedunt, & aliud ſignificare non poſſunt, niſi Cerei accenſi ſplendorem. Argumentis D. de Vert addere poſſumus Rubricam, quæ habetur in Sacramen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cramentario Gelaſiano *pagin.* 78. his verbis -- *Deinde veniens Archidiaconus ante Altare, accipiens de lumine, quod Feria VI. abſconditum fuit, faciens Crucem ſuper Cereum, & illuminans eum: & completur ab ipſo benedictio Cerei.* Micrologus etiam *pag.* 53. diſertè teſtatur, Cereum ante benedictionem illuminandum eſſe: & quod magis eſt, Seculo adhuc XIV. illuminatio Cerei hujus benedictionem præcedebat, ùt liquet ex Ordine Romano Jacobi Cajetani, qui eſt XIV. inter editos à Jo. Mabillon, in quo hæc leguntur -- *Accedit* (nempe Diaconus) *ad ornatum pulpitum, & illuminato magno Cereo, & incenſato libro, incipit abſolutè benedictionem Cerei: Exultet &c.* in quo etiam Ordine nulla fit mentio granorum Incenſi.

Idem Illuſtriſſimus Præſul putat, Ceremoniam figendi Cereo quinque grana Incenſi eſſe IX. Seculo vetuſtiorem, & ſeculo ſaltem VIII. invectam fuiſſe in Eccleſiam, ſed nullum opinionis ſuæ fundamentum aſſignat. Certè veteres Rubriciſtæ omnes, præſertim ii, qui Seculo IX. floruerunt, nullam de hac ceremonia fecere mentionem, & vereor, ut Doctiſſimus Antiſtes ullum poſſit ante XI. Seculum aſſignare ſcriptorem, qui hujus Ritus meminerit. Primus, quòd ſciam, qui de hac re ſermonem habet, eſt Rupertus Abbas Tuitienſis *lib.* 6. *de Divinis Officiis cap.* 31. talis autem Auctor floruit Seculo XII. Hæc ſunt Ruperti verba -- *Cumque Diaconus cum cæteris ſubminiſtris ad benedicendum accedit, fruſtula quoque portantur Incenſi, ut Cruciculæ, quæ Cereo inſculpta eſt, offerendo infigat.*

XXV. Gavant. pag. 204. col. 2. n. 10. *Diaconus accendit Cereum &c.)* Poſtquàm Diaconus dixerit illa verba: *Rutilans ignis accendit*, ceſſat à cantu, & accendit Cereum cum una ex tribus candelis Arundinis, eam inclinando, & omnes de Choro, ùt etiam diximus *ſuprà*, non tamen Celebrans, & Clerici Officii, ſedent, ſi velint. Memoriale Rituum *ſuprà num.* 9. & alii Auctores *ſuprà cit.* Quòd ſi commodè Cereus ſuper Candelabrum accendi nequeat à Diacono, Acolythus de Cereo, ùt innuimus ſuprà, amovebit illum de Candelabro, in quo eſt, & ad Diaconum deferet, ut illum non cum candelula, ſed cum una ex tribus Candelis Arundinis, ùt *ſuprà* dictum eſt, inflammet. Deinde iterum Cereus accenſus reponitur à ſupradicto Acolytho ſuper ſuum Candelabrum, Biſſus *ſuprà* §. 4. & ita collocetur, ut Crux, quæ ſuper Cereum eſt formata, vel depicta, Celebrantem reſpiciat. Cerem. Epiſc. *ſuprà cap.* 27. §. 10. à Portu *ſuprà Rubr. num.* 2. Repoſito Cereo ſuper ſuum Candelabrum, omnes de Choro ſurgent, & Diaconus proſequetur cantare: *Qui licèt ſit diviſus in partes &c.*

XXVI. Gavant. pag. 204. col. 2. n. 11. *Accenduntur deinde Lampades, &c.)* Dictis illis verbis: *Apis Mater eduxit*; Diaconus ceſſat aliquantulùm à cantu, donec Acolythus cum candelula Virgæ ſuper inſerta, ac à Cereo, vel ab una ex tribus Candelis Arundinis accenſa, proximas Lampades accendit, (ſed quia Lampas, quæ eſt in Cappella, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, ſemper ardere debet; Ideò videtur nunc extinguenda, & ſtatim novo Igne benedicto accendenda. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 14) Sacriſta verò alias remotas Lampadas per Eccleſiam accendit, & interim omnes de Choro ſedent, ſi velint, ùt *ſuprà*. Bauldry *ſuprà n.* 8. Biſſus *ſuprà* §. 5. & Memoriale Rituum *num.* 10. Accenſis Lampadibus proximis, ac omnibus ſurgentibus, ſi ſederint, Diaconus proſequitur: *O verè Beata nox*, ùt in Miſſali.

XXVII. Gavant. pag. 204. col. 2. n. 12. *In fine benedictionis Cerei, &c.)* Semper exprimitur nomen Papæ viventis cum capitis inclinatione; Sede autem Romana Vacante, tacentur verba: *Unà cum Beatiſſimo, &c.* Item exprimitur nomen proprii Epiſcopi, (ad quod tamen, licèt ſit præſens, nullo modo inclinatur Caput) niſi ratione Sedis Epiſcopalis vacantis eſſet omittendum. Additur

etiam

etiam nomen Imperatoris viventis, ùt notat Gav. *hic*; ſedente tamen Leone X. in Throno Apoſtolico Anno 1519. diſputatum fuerat, quomodò deberet cani ſolita Imperatoris acclamatio in dicto Præconio adnotata, cùm Cæſar vita functus erat. Aliqui relinquendum exiſtimaverunt; ſed poſt maturam diſcuſſionem refert Paris de Craſſis, tunc Ceremoniarum Magiſter, ſe hoc Conſilium præbuiſſe, ut nempe mutarentur illa verba ſic: *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus Fidelium voti prænoſcens, &c.* Quæ opinio à præfato Pontifice approbata fuerat; & cùm ſimilis caſus de Anno 1658. accidiſſet, dubitantibus de omiſſione hujus Orationis Ceremoniarum Directoribus, Macrius infrà citandus, reſolutionem prædictam eis præbuit, quam ex MSS. Angeli de Rocca *in Bibliotheca Angelica* aſſervatis deſumpſerat; & ab Alexandro VII. tunc regnante approbata, & à S. R. C. obſervari debere mandatum fuit; necnon pro die Feriæ VI. in Paraſceve dicendum eſſe: *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus, &c.* ùt ſuprà diximus, Halden *par.* 1. *tit.* 20. §. 3. *de Sabbato Sancto*, & Macrius in Hierolexico *lit. C. v. Cereus Paſchalis.*

Hic dubitandum occurrit, an Cereus ſemel benedictus in Sabbato Sancto licitè iterum benedici poſſit alia vice? Nonnulli enim Eccleſiarum Superiores, ut ſumptibus parcant, ſolent Cereum, benedictum hoc Anno, in Sabbato Sancto, & inter Divina Officia pluries accenſum, atque adeò ex parte conſumptum, eundem reficere pro Anno ſequenti, ſolùm addita de novo parte abſumpta, & ſic refectum iterum benedicunt in Sabbato Sancto ſequenti. Quæritur autem, an hoc licitè fieri poſſit? & ratio dubitandi eſt, quia Cereus ſemel benedictus, non perdit benedictionem quoad partes non conſumptas. Nec etiam admittit benedictionem, ex eo, quod poſteà reficitur, ſolùm addita minori parte abſumpta, quia potiùs major pars, quæ remanet benedicta, trahit ad ſe minorem, & ſic Cereus totus, quamvis refectus, remanet benedictus; ergo non poteſt iterum benedici, quia cùm jam habeat eſſe ſacrum, quod benedictione confertur, fruſtra ſecunda benedictio adhiberetur. In oppoſitum tamen urget praxis multarum Eccleſiarum, in quibus paſſim Cereus Anni præteriti iterum benedicitur, modo ſuprà explicato.

Propoſitam quæſtionem reſolvi poſſe cenſerem, quòd ſi Cereus Anni præteriti quoad majorem ſui partem fuerit conſumptus, ita ut illa pars, quæ additur de novo, ſuperet partem illam, quæ remanſerit, ſeu cui fit additio, tunc licitè Cereus, ſic refectus, & renovatus, iterum Anno ſequenti benedici poteſt; quia per additionem majoris partis perditur prior benedictio, cùm pars major non benedicta trahat ad ſe minorem benedictam; quapropter hoc in caſu jam Cereus benedictus non benedicitur, ſed Cereus carens benedictione; & abſolutè Cereus novus, qualis benedici debet ex vi Rubricarum Miſſalis, & ex vi formæ benedictionis, ſeu Præconii, quæ Cereum novum eſſe debere ſupponit, & aliàs non benedictum; unde non militat in hoc caſu ratio dubitandi ſuprà adducta. E contrà verò dicendum eſt, ſi Cereus Anni præteriti ſolùm reficiatur quoad partem minorem, quia tunc reverà non poteſt iterum benedici ſequenti Anno, & abſque veniali peccato, ùt manifeſtè ratio dubitandi, ſuprà explicata, oſtendit, quia benedictio ſecunda ſuo fruſtraretur effectu contra reverentiam ei debitam. Praxis igitur adducta hoc in caſu non eſt admittenda, ſed potiùs corrigenda. Ita Quarti *tract.* 2. *de Sacris Benedictionibus tit.* 2. *dubit.* 2.

Peſſimè faciunt ii, adeoque non imitandi, qui abſque ulla Cerei refectione (ùt fit in multis Eccleſiis) ſemper eundem Cereum, donec totus fuerit conſumptus, benedicunt.

# Pro Ritibus peragendis à cantu Prophetiarum, uſque ad Benedictionem Fontis Baptiſmalis.

XXVIII. Gavant. pag. 205. col. 1. lit. t *Crux deponatur in loco decenti, &c.*) Completa benedictione Cerei, ideſt cantato toto Præconio à Diacono, ipſemet, & non alius, librum claudit, & in ſuo loco relinquit (non enim poſt Præconium Celebrans librum oſculatur, neque incenſatur) interim collocata Arundine ſuper baſem ſuam ab Acolytho, qui eam ſuſtinebat durante Præconio; præcedente ſecundo Ceremoniario, ſequitur Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, poſt quem Subdiaconus cum Cruce, & alii Acolythi ſequuntur; poſtremò Diaconus, & facta genuflexione unico genu Cruci Altaris, & reverentia Choro ab omnibus (excepto tamen Subdiacono ferente Crucem, qui non genuflectit, nec ullam facit reverentiam Choro) vadunt ad ſacriſtiam. Bauldry *ſuprà num.* 10. à Portu *ſuprà Rubr. 9. in adnot. n.* 1. vel potiùs ſe recipiunt retro Altare, ſi parieti non adhæreat, vel pergunt ad alium locum deputatum, ubi Subdiaconus Crucem, Thuriferarius Thuribulum cum Navicula, Diaconus albas veſtes deponit, & eorum loco violacea paramenta ſumit; nimirum Manipulum, Stolam Diaconalem, & Planetam plicatam; aliquis verò Acolythus accipit Planetam, & Manipulum violacei coloris, pro Celebrante. Biſſus *ſuprà* §. 7. Deinde Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Celebrantem in cornu Epiſtolæ, & dum ipſe Celebrans, ope Ceremoniarii, & alicujus Acolythi, induitur Planeta violacea, nihil dicens (depoſito priùs Pluviali) & accipit Manipulum; Subdiaconus pariter eodem tempore accipit ſuum Manipulum, ùt *ſuprà* monuimus. Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 14. *n.* 1. & interim aliquis Acolythus deponit Pluviale Celebrantis in aliquo loco congruo.

XXIX. Rubric. num. 13. pag. 205. & Gavant. ibid. col. 1. lit. u *Leguntur Prophetiæ, &c.*) Poſt Cerei benedictionem, dicuntur Lectiones, quæ olim ad Catechumenorum inſtructionem recitabantur, & quæ antiquitus benedictionem Cerei præceſſiſſe videntur, id quod clarè innuit antiquus Ordo Romanus ad uſum Corbejenſis Monaſterii, ante Annos 800. accommodatus, cujus verba refert Martene *ſupracit.* §. 13. Lectiones iſtæ in Miſſali Romano duodecim numerantur, quæ poſtquàm noctu non baptizatur ampliùs, & Baptiſmo Sacrorum Ordinum collatio ſubſtituta eſt, cùm Ordinationis diebus duodecim habebantur Lectiones, Sabbato Sancto aſſignatæ ſunt, quæ, ùt dixi, juxta primam inſtitutionem, ad inſtructionem Catechumenorum, & ad Baptiſmum referuntur. De harum Lectionum numero, Johannes Beleth in explicatione Divinorum Officiorum *cap.* 106. hæc ſcribit: *Tandem verò viginti quatuor in quibusdam Eccleſiis leguntur Lectiones. Ac Romæ quidem hoc pacto fieri ſolet, ut duodecim recitentur Græcè, & totidem Latinè. In nonnullis autem Eccleſiis leguntur tandem duodecim, & in nonnullis dumtaxat ſeptem, &c. In minimis tamen Eccleſiis non habentur niſi ſex, ob ſenarium numerum, qui quodammodo perfectus eſt.* Et Durandus *lib.* 6. *Rational. cap.* 81. ait: *Lectiones autem in quibusdam Eccleſiis leguntur quatuor, in quibusdam ſex, in quibusdam duodecim, & in quibusdam quatuordecim.* Quatuor Lectiones, & non plures, recenſent Amalarius *cap.* 19. Alcuinus, Hugo à S. Victore, Rupertus, Codex Eccleſiæ Turonenſis, ante Annos 800. ſcriptus. Rituale Sancti Martini Carnotenſis, Liber Sacramentorum Monaſterii S. Petri, Annorum circiter 700. Ordinarium Lugdunenſe, Pontificale Argentinum, Miſſale Arelatenſe, Pariſienſe, & nonnulla alia pariter Miſſalia, Ordinaria, & Ritualia, allegata à mox cit.

Marte-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Martene. Sacramentarium S. Gregorii octo tantùm deſignat; Gelaſianum verò à Cardinali Thomaſio editum, decem exhibet; Comes Hieronymi duodecim, & Ordo Romanus Canonici Benedicti pariter innuit duodecim Lectiones eſſe legendas Latine, & duodecim Græcè; alia ſpectantia ad ſacram eruditionem prædictarum Lectionum tradit cit. Martene, & Grancolas *lib. 2. ſui Comment. Hiſtor. cap. 67.*

Sed reſumendo ſermonem ſpectantem ad praxim noſtrorum Rituum, collocatur Miſſale in cornu Epiſtolæ pro Celebrante; aſportatur legile, in quo cantatum eſt Præconium, cum ſuo Miſſali (interim omnibus in Choro ſedentibus) & collocatur aliud legile denudatum in medio Chori, vel Presbyterii, cum Miſſali cooperto velo violaceo, & ducitur (ſurgentibus omnibus Clericis tantùm) à Ceremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, vel Cantor, Cotta indutus, ad ſupradictum legile, quò cùm pervenerit cum Ceremoniario, vel alio aſſiſtente à ſiniſtris, cum ipſo facit genuflexionem Cruci unico genu, tum ambo ſalutant primùm à parte, ubi eſt dignior de Clero, deinde ab altera parte (quo facto ſedent Clerici) & mox Lector propiùs accedit ad Legile, manibusque extenſis poſitis ſuper Librum, cantat in tono feriali, Romano more primam Prophetiam; curet tamen, ne in cantando ſit tædio audientibus; nam Prophetiæ voce quidem ſonora, atque intelligibili, non tamen moroſè, ſed expeditè cantantur, ùt admonet Caſtaldus in Praxi Cerem. *lib. 3. ſect. 8. cap. 3. num. 8.* & in fine Prophetiæ parùm vocem inflectat.

XXX. Rubric. num. 13. pag. 205. & Gavant. ibid. col. 1. lit. x *Sine Titulo, &c.*) Dum verò cantantur Prophetiæ, Celebrans Planeta indutus eas legit ad Altare in cornu Epiſtolæ ſubmiſſa voce, ſtante Diacono à dexteris ejus, & Subdiacono à dexteris Diaconi, primus autem Ceremoniarius ſtabit tunc prope angulum poſteriorem Altaris verſùs ipſum Celebrantem, ùt in Introitu Miſſæ. Ad Orationes verò ſtabunt Miniſtri Sacri unus poſt alium, ùt in Miſſa de more fieri ſolet ad Orationes. Bauldry *ſuprà n. 20.* Biſſus *lit. P. num. 143. §. 2.* Gavantus *ſuprà num. 13.*

Finita Prophetia, Lector genuflectit cum Ceremoniario apud Legile verſùs Librum utroque genu: cùm mox dicendum ſit à Diacono: *Flectamus genua* (ſi tamen poſt Prophetiam ſequatur Tractus, tunc non genuflectunt utroque genu, ſed unico genu Cruci, & factis debitis reverentiis iis, qui in Choro exiſtunt, ſtantibus interim Clericis, diſcedant, & Ceremoniarius eum ad locum ſuum ducit) dicto verò: *Levate*, ſurgunt ambo, cum debitis reverentiis, ùt *ſuprà*; & Cantorem Prophetiæ ad locum ſuum reducit Ceremoniarius, qui ſtatim ad eum, qui ſecundam Prophetiam lecturus eſt, accedet, & eum ducit ad Legile, pro cantanda alia Prophetia, & omnia fiant ùt de primo diximus. Bauldry *ſuprà num. 14. uſque ad num. 16.* Biſſus *ſuprà*, Vinitor *ſuprà num. 8.*

Cantantur deinde eodem modo aliæ Prophetiæ in Cathedralibus, & Collegiatis (pro aliis enim Eccleſiis, ubi non ſunt Canonici, dicemus infrà) quarum primas quatuor cantabunt Cantores, vel Acolythi, ſeu Clerici, ùt *ſuprà*; Alias quatuor Beneficiati, ſeu Manſionarii; ultimas quatuor Canonici, vel alii, proùt commoditas, vel numerus Clericorum ſuadebit. Ceremon. Epiſcop. *lib. 2. cap. 28. §. 5.*

Cantatis igitur quatuor primis Prophetiis à Clericis, Ceremoniarius accedens ad Beneficiatum, vel Manſionarium juniorem, qui lecturus eſt Prophetiam, factaque ei mediocri inclinatione, & ab eo eadem inclinatione mediocri reſalutatus, ducit ad Legile (ſurgentibus nunc omnibus Beneficiatis, cum Manſionariis, eorum æqualibus, & reliquis inferioribus. Cerem. Epiſc. *lib. 1. cap. 18 §. 6.*) ibique factis ſolitis reverentiis, ùt *ſuprà*, cum Ceremoniario, ſedent omnes qui

aſſurrexerunt, & ſupradictus Beneficiatus, ſeu Manſionarius, cantat quintam Prophetiam, qua cantata, obſervatis etiam hic iis omnibus ſupranotatis Ceremoniis, reducens Ceremoniarius eum ad ſuum Subſellium, ibi eum relinquit, & diſcedit poſteà, facta tamen priùs per Ceremoniarium mediocri inclinatione, ùt *ſuprà*, cui & Beneficiatus correſpondet parem ei faciendo inclinationem, quæ omnia pariter obſervantur in ducendis, & reducendis reliquis Beneficiatis ad octavam uſque Prophetiam.

Poſt hanc autem octavam Prophetiam, idem Ceremoniarius accedens ad juniorem Canonicum, eidemque profundam facit inclinationem (nam Dignitatibus, & Canonicis reverentia eſt exhibenda, à Beneficiatis quidem, ſicùt à Ceremoniario, & aliis Clericis, profunda inclinatione; minùs tamen profundè, præſente Epiſcopo; à Canonicis verò aliis ſuis Canonicis Collegialibus reverentia mediocri inclinatione eſt exhibenda, ùt colligitur ex Bauldry *part. 1. cap. 9. n. 7. &* 14.) quem Ceremoniarium tunc Canonicus ſimplici inclinatione reſalutat, quæ conſiſtit in ſola Capitis inflexione, atque in humeris tantiſper inclinatis (ſurgentibus omnibus de Choro) eumque præfatus Ceremoniarius ducit ad Legile, quò cùm dictus Canonicus pervenerit, habens Ceremoniarium à ſiniſtris, facit cum eodem nudo capite profundam tantùm Cruci Altaris inclinationem; & Chorum, ùt ſuprà dictum eſt, cum eodem Ceremoniario ſalutat, deinde nonam cantat, ùt *ſuprà*, Prophetiam, interim omnibus de Choro ſedentibus.

Cantata ſupradicta Prophetia, & factis reverentiis, ùt *ſuprà*, Ceremoniarius eundem Canonicum ad ſuum Subſellium reducit (cui omnes de Choro itidem aſſurgunt) & factis ad invicem reverentiis, ſuprà expoſitis, præfatus Ceremoniarius ab eodem diſcedit, & ita ſe gerit in ducendis, & reducendis reliquis tribus Canonicis uſque ad ultimam Prophetiam.

Hic eſt Ordo, qui hodie ſervatur in cantandis dictis Prophetiis; antiquitus tamen cantabantur in Ambone, aut in medio Chori ad Aquilam, ſeu Pulpitum, & incipiebantur à Dignioribus, deſcendendo ad inferiores, ita ut primam Lectionem cantaret, v. g. Decanus, ſecundam, qui ipſum in Dignitate ſequebatur, & ſic de cæteris, ùt refert Martene *loc. cit.* §. 14.

XXXI. Rubr. num. 13. pag. 205. & Gavant. ibid. col. 2. lit. y *Catechizent Catechumenos, &c.*) Sacerdotes parati Cottis, & Stolis violaceis (aut unus Sacerdos ſic paratus) catechizat baptizandos, ſi qui ſint (niſi hoc anteà fuerit factum. Ex Biſſo *ſuprà num. 6.*) & præparant eos ad Baptiſmum ante Atrium, aut in Porticu Eccleſiæ, vel ad ſummum in Eccleſiæ aditu, quod eſt conformiter ad Rituale Romanum, ſive ſint parvuli, ſive ſint adulti, dicunturque, & ſervantur omnia, quæ ibidem præcipiuntur, uſque ad ingreſſum Eccleſiæ; quibus peractis, & facta Benedictione Fontis, ùt *infrà*, in Eccleſiam introducuntur, ùt præſcribitur in Rituali Romano; ſi plures ſint baptizandi, Orationes dicuntur in Plurali; ſed actiones, videlicet inſufflationes, ſigna Crucis, & ſalis guſtatio, & alia hujusmodi, fiant in ſingulari. Bauldry *part. 4. cap. 11. art. 3. n. 22.*

XXXII. Gavant. pag. 205. col. 2. n. 18. *Si ſedere voluerit Celebrans, &c.*) Poſt lectam à Celebrante unam Prophetiam, donec compleatur à Cantore; facta priùs ibidem in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris Sacris ſimplici inclinatione Cruci Altaris, per breviorem viam, cum præfatis Miniſtris, præcedente ſecundo Ceremoniario de more, nudo Capite ibit Celebrans ad ſcamnum nudum, vel panno violaceo tectum, ùt innuimus *ſuprà*, ubi ipſe, & Miniſtri ſedebunt tecto Capite. Gavantus, Corſettus *ſuprà n. 11.* A Portu *ſuprà Rubr. 9. in Adnot. n. 6.* & circa finem Tractus Prophetiæ iterum accedet cum Miniſtris nudo capite ad Altare, præcedente Ceremoniario per viam longiorem, ùt in Miſſa ſolemni

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lemni, ſive per breviorem viam, quod magis placet, præſertim ſi citò abſolvetur à Lectore Prophetia, vel Tractus à Choro (aliter ſi in hujusmodi contingentia revertere deberet ad Altare per longiorem viam, deberet aſſurgere ſtatim ac incepit ſedere; A Portu *ſuprà*) ſicùt etiam, ne ſit incommodum ita ſæpe per gradus anteriores redire; nulla tamen tunc ab ipſo Celebrante reverentia, & à Miniſtris Sacris fieri debet genuflexio Cruci, neque reverentia Choro, cùm non aſcendunt ad medium Altaris, & ſi fieri poteſt, ſcamnum ſupradictum ſit proximum infimo Altaris gradui à parte Epiſtolæ. Bauldry *ſuprà n.* 20. Idem Celebrans Orationes aſſignatas poſt Prophetiam cantabit manibus extenſis in tono Orationis Miſſæ, ad quas Chorus ſtabit nudo Capite versùs Altare; Diaconus, & Subdiaconus de more poſt Celebrantem, & Diaconus, dicto à Celebrante *Oremus*, ubi occurret genuflectere, cantabit: *Flectamus genua*, omnibus præter Celebrantem genuflectentibus, Subdiaconus verò ſurgens dicet: *Levate*, omnibus etiam ſurgentibus.

XXXIII. Gavant. pag. 205. col. 2. num. 19. *Ordo legendi Prophetias, &c.*) Ceremoniarius, vel Acolythus, qui fortè eodem Ceremoniario deficiente, Lectores Prophetiarum comitatur, nullam cantare debet Prophetiam, ſi tamen fortè aliqua facturus eſt, Miniſter alter eum comitari debet. Bauldry *ſuprà n.* 15. Ordinem, qui ſervari debet in cantandis Prophetiis, jam ſuprà innuimus; Si tamen neceſſitas cogat, unum plurimas Prophetias cantare (ùt ſæpe accidit in Eccleſiis, ubi exiguus eſt Clericorum numerus) quod tamen videtur faciendum non continuatim, ſed cum interruptione quorumdam, & ii ita ad id eligantur, ut qui fortiori voce pollent, longiores ipſi Prophetias decantent. Bauldry *ſupra num.* 18. Dum cantatur ultima Prophetia, unus ex Ceremoniariis curabit, ut Acolythi deferant tres Cuſſinos, & poſt diſceſſum è Choro ad Fontem (ubi talis fons tenetur) unum diſponat in ſecundo gradu à parte Evangelii, alterum in ſecundo gradu à parte Epiſtolæ, tertium in medio tertii gradus, ſi plures habeat Altare gradus (vel etiam hunc diſponat in ſecundo gradu, ùt in alio diſpoſuit) vel in medio Suppedanei, ſi habeantur cum Suppedaneo tres gradus tantùm: A Portu *ſupra n.* 8.

## Pro Ritibus perſolvendis à Benedictione Fontis, uſque ad initium Litaniarum, & Miſſæ.

XXXIV. Rubric. n. 20. pag. 205. *His expletis, ſi Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, &c.*) Ubi habetur Fons Baptiſmalis, ſervari debet hic Ritus pro illius Benedictione. Ante Fontem, intra ejus Cancellos, præparari debet legile, & ſuper illud Miſſale, niſi deſignetur Acolythus, qui coram Celebrante librum teneat. Juxta Fontem verò à latere ponentur duo Vaſa vacua, unum magnum, implendum aqua benedicta, priuſquàm Sacrum Oleum, & Chriſma in dictum Fontem infundantur, aliud erit Vas conſuetum cum Aſperſorio, pro aſperſione facienda; deinde præparetur etiam Bacile cum Bombacio, & mica panis, necnon Mantile, ad extergendas manus Celebrantis, cùm opus fuerit. Finitis omnibus Prophetiis, per aliquem Acolythum removetur è medio Chori legile, & reportatur ad locum ſuum, & intereà accenduntur Cerei ex Candelabris ſupra Credentiam.

XXXV. Gavant. pag. 206. col. 1. lit. z *Portabitur Cereus ante Crucem, &c.*) Celebrans, ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, deponit Planetam, adjuvantibus Miniſtris Sacris, vel Ceremoniario, & Acolytho; ex Nicolao de Bralion *part. 3. n. 1. cap. 15.* in quo, ùt pluries diximus, ſervanda



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſt conſuetudo Eccleſiarum; deinde deponit Celebrans etiam Manipulum, ſicùt faciunt Miniſtri Sacri, & accipit Pluviale violaceum ibidem per aliquem Acolythum delatum, deinde Acolythus de Cruce accipit Crucem proceſſionalem; Ceroferarii, factis debitis reverentiis, accipiunt candelabra cum candelis accenſis, & alius Acolythus Cereum Paſchalem, poſteà procedunt in medio Presbyterii, nunquam tamen genuflectentes, neque ſe inclinant Cruci; notandum igitur hìc eſt, quòd præfatam Crucem deferre non debet Subdiaconus Miſſæ, ùt colligi poteſt ex Rubrica attentè conſiderata, & clariùs ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 28 §. 7. ubi dicitur, quòd Celebrans, poſt alios de Clero, procedit medius inter Diaconum, & Subdiaconum. Miniſter ergo Cotta indutus, eam deferre debet, nam ſi neceſſarius eſſet alius Subdiaconus, id præſcriberetur in Rubricis hoc loco, ſicùt præſertim reperitur in fine Feriæ V. in Cœna Domini. Nicolaus de Bralion *ſuprà c.* 14. *num.* 4.

Procedit igitur omnium primus Acolythus, Cereum ambabus manibus deferens; poſteà Cruciferarius cum Cruce, inter duos Ceroferarios medius, deinde Clerus, bini ſimul, aperto capite, junioribus præcedentibus, facta ab iis genuflexione unico genu Cruci Altaris; ultimò ſequitur Celebrans, tecto capite, manibus junctis (facta tamen priùs nudo capite reverentia Cruci) medius inter Diaconum, & Subdiaconum, ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 28. §. 7. qui Cruci genuflexionem faciunt unico genu, & elevantes fimbrias anteriores Pluvialis Celebrantis, detecto capite accedunt ad Fontem. Biſſus *lit. F. n.* 134. §. 4.

Advertendum tamen, quòd ubi non eſt Fons Baptiſmalis, non eſt facienda Benedictio aquæ. Hoc autem colligitur ex Decreto dato in noſtro Indice ſub *n.* 516. edito die 13. Julii 1697. *in una Januen.*

XXXVI. Rubric. num. 20, pag. 206, & Gavant, ibid. col. 2, lit. a *Tractus, Sicùt Cervus, &c.*) Dum procedunt ad Fontem ùt ſuprà, in via cantatur Tractus: *Sicùt Cervus deſiderat, &c.* ùt in Miſſali, Cantoribus incipientibus, quem Chorus proſequitur. Baldry *ſuprà art.* 4. *num.* 3. Biſſus *ſuprà*, Vinitor *part.* 6. *tit.* 16. *num.* 1.

Cùm pervenerint ad Fontem; Clerus vel ſe locat hinc inde in duos Choros, vel quaſi in gyro pro loci ſitu; in variis enim Eccleſiis varius eſt Fontis Baptiſmalis ſitus, & idcirco certa, & determinata regula nequit aſſignari; ſpectat igitur ad prudentem Ceremoniarium, omnia cum debito ordine diſponere. Ex Biſſo *ſuprà* §. 5.

Cruciferarius autem, ſemper medius inter Ceroferarios, ſiſtit ſe prope Fontem, ſeu ante Cancellos, ita tamen, quòd hi faciem Celebrantis reſpiciant, ibique ſtent cum Acolytho Cerei, & Ceroferario, tanquam immobiles. Horatius Chriſtiani *ſect.* 5. *de Sabbato Sancto cap.* 5. *de Benedict. Fontis Baptiſmalis n.* 5. Celebrans verò, medius inter Diaconum à dexteris, & Subdiaconum à ſiniſtris, ex Ceremoniali Epiſc. *ſuprà*, aliquantulùm poſt eum, antequàm ad benedictionem Fontis procedat, depoſito Birreto, cantabit in tono Feriali, manibus junctis (ſuſtinente Librum aliquo Acolytho, vel poſito Libro ſuper Legile, & ad Orationes Miniſtri Sacri elevent ſemper fimbrias Pluvialis. Ex Cerem. Epiſc. *lib.* 1 *cap.* 8. §. 3.) *Dominus vobiſcum*, deinde præmiſſo *Oremus*, inclinato Capite Cruci, ſimplici inclinatione de more, dicit Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, Reſpice &c.* ùt in Miſſali. Biſſus *ſuprà* §. 6. Hæc autem Oratio, ſi Fons Baptiſmalis ſit in Eccleſia, ſeu Cappella ſeparata, dicatur in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, ſeu Cappellæ, ſi autem fuerit in Eccleſia ubi celebratur, dicatur ante Cancellos Baptiſterii. Horatius Chriſtiani *ſuprà.*

XXXVII. Gavant. pag. 206. col. 1. ad Rubr. num. 21. *De Fontis uſu antiquo, & de conſecratione ejuſdem, &c.*) Veterem eſſe Eccleſiæ

cleſiæ conſuetudinem, ut aqua eorum, qui baptizandi ſunt, ſollemni Ritu conſecretur, colligitur ex S. Dionyſio *Lib. de Eccleſ. Hierarch. cap.* 2. ubi loquendo de Fonte Baptiſmali, ait: *cujus aquam poſtquàm Sanctis invocationibus ſanctificavit.* Sanctus Baſilius pariter *Lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium c.* 26. *Benedicimus*, inquit, *aquam Baptiſmatis*; & hunc Ritum recenſet inter traditiones Apoſtolicas. Eadem veritas comprobatur etiam auctoritate S. Cypriani, qui *Epiſt.* 70. ad Januarium ait: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam priùs à Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Et Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* 3. dicit: *Sic aqua munda, ad invocationem Spiritus Sancti, & Chriſti, virtutem accipiens, Sanctitatem conſequitur.* Aliæ SS. PP. Auctoritates, quibus præfati Ritus antiquitas oſtenditur, legi poſſunt apud Menardum *in ſuis notis, & Obſervationibus ad Librum Sacrament. S. Gregorii Papæ pag.* 95. præſertim verò apud Joſephum Vicecomitem *in lib.* 1. *de Antiquis Baptiſmi Ritibus & Ceremoniis cap.* 14. à quo etiam *cap.* 15. pereruditè traditur, quibus Ceremoniis Aqua Baptiſmalis conſecraretur, & qua forma, quo tempore, quaque hora ſequebatur talis conſecratio; *cap.* verò 4. docet, antiquum Eccleſiæ morem fuiſſe baptizandi in Fluminibus &c. & *cap.* 5. Baptiſteria Sancti Dionyſii tempore fuiſſe inſtituta, eorumque uſum ſtabilem in Eccleſia fuiſſe.

XXXVIII. Gavant. pag. 206. col. 1. n. 22. *Porrò ſex facit Sacerdos, &c.*) Reſumendo nunc ſermonem Rituum, quos peragit Sacerdos in Fontis Baptiſmalis conſecratione, poſtquàm Celebrans prædictus ad Fontem Baptiſmalem pervenerit, ſiſtit ſe, facie verſa ad Occidentem, ſi nihil impediat, ex Bauldry *ſuprà n.* 3. medius inter Diaconum, & Subdiaconum, ùt *ſuprà*; & tunc prædicti Ceroferarii, & Ceremoniarii vertunt ſe contra Celebrantem, Memoriale Rituum *ſuprà §.* 5. *num.* 11. Acolythus autem Cerei, prope ipſum Diaconum, cum altero ferente Mappulam à ſiniſtris hujus. Bauldry *ſuprà.*

XXXIX. Gavant. eod. n. 22. *Orat &c.*) Deinde Celebrans, depoſito birreto, ſtans dicit manibus junctis in tono Feriali (Miniſtris Sacris fimbrias Pluvialis interim elevantibus ùt *ſuprà*) *Dominus vobiſcum*, & alteram Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, &c.* Memoriale Rit. *ſuprà n.* 12. qua finita, cùm in concluſione dixerit illa verba: *Spiritus Sancti Deus*, elevans vocem, cantando adhuc manibus junctis, proſequitur in tono Præfationis: *Per omnia ſecula ſeculorum*, & alia, ùt in Miſſali.

XL. Gavant. eod. num. 22. *Manu tangit aquam, & format Cruces, &c.*) Idem Celebrans poſt verba: *Gratiam de Spiritu Sancto*, dividit Aquam manu dextera in modum Crucis, & immediatè manum tergit: Poſt verba: *Non inficiendo corrumpat*, tangit aquam manu, & tergit: Poſt verba: *Indulgentiam conſequantur*, facit tres Cruces ſupra Fontem manu dextera. Antiqua eſt autem Eccleſiæ conſuetudo, ut aqua Baptiſmalis per ſignum Crucis benedicatur, ùt conſtat ex Sermone S. Auguſtini 181. de tempore. *Hoc enim ſigno Crucis* (ait S. Pater) *conſecratur Corpus Dominicum, ſanctificatur Fons Baptiſmatis*; & in Johannem *cap.* 118. *quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur &c.* Poſt verba: *ſuper te ferebatur*, dividit aquam dextera manu, & effundit versùs quatuor partes Mundi, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum, juxta Memor. Rit. *ſuprà n.* 4. hoc modo.

1

3 4

2

XLI. Gavant. eodem n. 22. *Mutat vocem, ſufflat, &c.*) Poſt verba: *In nomine Patris &c.* mutat vocem in modum Lectionis: Poſt verba: *Tu benignus aſpira*, halat ter in aquam in modum Crucis dicens: *Tu has ſimplices aquas, &c.* uſque ad illa verba: *Purificandis mentibus efficaces.*

XLII.

XLII. Gavant. eodem n. 22. *Demittit, & elevat cereum, &c.*) Poſt verba prædicta: *Purificandis mentibus efficaces*, immittit aliquantulùm Cereum in aquam, dicens in tono Præfationis: *Deſcendat in hanc plenitudinem, &c.* & extrahit: Immittit ſecundò profundiùs, & eodem tono aliquantò altiori repetit: *Deſcendat in hanc &c.* & pariter extrahit &c. Immittit tertiò uſque in fundum, & altiori voce repetit: *Deſcendat*, ùt *ſuprà*, & non extrahit; Ter ſufflet immediatè in aquam in formam tridentalem juxta figuram in Miſſali, & proſequitur dicendo: *Totamque hujus Aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectum;* & tunc extrahitur Cereus de aqua, atque proſequendo in tono Præfationis, &c. *Hic omnium &c.* tandem legendo concludit: *Per Dominum noſtrum &c.* & adſtantes reſpondent: *Amen.*

Completa benedictione Fontis, ſed antequàm Celebrans infundat olea in aquam, accipitur per aliquem Acolythum de ipſa aqua benedicta ex Fonte in Vaſe conſueto, & miniſtrante Diacono de more Aſperſorium; Celebrans aſpergit ſe, & circumſtantes cum dicta aqua benedicta, nihil dicens. Bauldry *ſuprà num.* 7. Et facta aſperſione prædicta, Celebrans reddit Aſperſorium Diacono (quod accipit cum debitis oſculis) & hic Acolytho. Horatius Chriſtiani *ſuprà n.* 16. & Memoriale Rituum *ſuprà n.* 14. Interim Parochus, vel aliquis Sacerdos, Cotta, & Stola violacea, & non alba, indutus, aſſociatus ab uno Acolytho Vas ferente, aſpergit de ipſa aqua benedicta reliquos de Clero, ac Populum per Eccleſiam. Memoriale Rituum *ſuprà n.* 16. qui autem aſperguntur, ſtabunt capite profundè inclinato, & cum reverenti devotione; ex Biſſo *ſuprà* §. 12. & Bauldry *ſuprà.*

Interim Sacriſta, vel alius infundit in aliud Vas (pariter antequàm Celebrans in aquam infundat ſacra olea) amplum, ad hoc præparatum, partem illius aquæ, eamque ſervet ad aſperſionem locorum, domorum, & aliarum rerum, & præſertim in ſequentem diem pro aſperſione Populi ad Miſſam. Bauldry, & Biſſus *ſuprà.*

XLIII. Gavant. eodem n. 22. *Infundit oleum, & Chriſma, & commiſcet.*) Celebrans, poſt factam aſperſionem, infundit in Baptiſterium, nempe in aquam baptiſmatis jam benedictam, oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Infuſio Chriſmatis, &c.* & in fine reſpondetur: *Amen:* poſteà accipit ambas ampullas dicti Olei Catechumenorum, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo dicit: *Commixtio Chriſmatis &c.* & in fine reſpondetur *Amen;* mox depoſitis ampullis, manu ſua dextera miſcet in aqua, ſpargens oleum, & Chriſma per totum Fontem, quo facto, abſterget manum bambacio, deinde lavat manus more ſolito cum mica panis. Fundi Chriſma in Fontem Baptiſmalem, eſt mos antiquus, & hoc colligitur ex S. Gregorio Turonenſi *lib.* 1. *de Miraculis cap.* 24. ubi ait: *Tunc cum Exorciſmo ſanctificatum conſperſum deſuper Chriſma, omnis Populus cum devotione accipit:* Et *lib.* 1. *Hiſtoriæ cap.* 31 ubi dicit: *Baptiſterium componitur, Balſama diffunduntur &c.*

Chriſma infunditur in aquam baptiſmalem in modum Crucis, ex more antiquo, quem videre eſt apud Dionyſium *cap.* 2. & 4. *Eccleſ. Hierarch.* idque faciunt etiam Græci, & Orientales, tribus vicibus, ùt conſtat ex eodem Dionyſio *cit. cap.* 2. *Eccleſ. Hierarch.* ubi legitur: *Cujus aquas poſtquàm Sacris invocationibus ſanctificavit, illasque tribus Sanctiſſimi unguenti infuſionibus perfecit &c.* Idem liquet ex Euchologio Græcorum in ſequentia S. Baptiſmi, in qua habetur: *Tres facit cum oleo Cruces in aquas;* Ubi oleum ſumitur pro unguento, vel Chriſmate. Ita enim aliquando à Patribus uſurpatur, ùt colligitur ex variis locis Prudentii, & S. Auguſtini, quos citat Menardus *ſuprà cit. pag.* 98. Idem Ritus apparet in Libro Severi Patriar-

chæ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

chæ Alexandrini, de Ritibus Baptiſmi, idemque etiam facere conſueverunt Æthiopes, ùt colligitur ex Ordine Baptiſmi Eccleſiæ Æthiopicæ.

Finita Fontis Benedictione, & lotis manibus, juxta Ceremonial. Epiſcop. *lib. 2. cap.* 27. §. 18. ſi aderunt Catechumeni, baptizentur more ſolito: per octo dies antecedentes in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus Infans baptizetur, ut de ipſis hac die ſollemniter Baptiſmus celebretur. Horatius Chriſtiani *ſuprà cap. 6. de ſollemni Parvulorum Baptiſmo, n. 1.* Ad baptizandos autem rectè, & rite dictos Catechumenos, Celebrans aſcendere debet ad fores Eccleſiæ, ibique eos recipiens, poſteà comitatur, cum Patrinis, & Matrinis, ad Fontem Baptiſmalem, & paulò ante Baptiſmum, depoſitis Paramentis violaceis, accipit Stolam, & etiam Pluviale albi coloris. Caſtaldus *lib. 3. ſect. 8. cap.* §. *n. 7.* & reliqua peragit, ùt in Rituali Romano. Finita vero Baptiſmatis adminiſtratione, deponit Celebrans Paramenta alba, & iterum accipit ſupradicta Paramenta violacea, & poteſt habere ſermonem brevem, ſi velit, & tempus permittat, de effectu Baptiſmi.

Poſt Benedictionem Fontis, & poſt collatum Baptiſma, præſertim Catechumenis, ſi qui fuerint baptizandi (hoc enim eſt determinatum tempus pro baptizandis adultis. Biſſus *lit. B. num.* 17. §. 50.) Celebrans, & omnes alii, redeunt ad Altare, eodem ordine, quo acceſſerunt ad Fontem; Interim verò, dum ſcilicet ad Altare procedunt, duo Cantores incipiunt cantare Litanias, & Chorus reſpondet, repetendo illud idem, quod Cantores dixerunt, ut ſic Litaniæ dicantur Ritu duplici. Talis enim eſt ſenſus Rubricæ Miſſalis, quòd nempe Litaniæ incipiantur, cùm Celebrans, & alii de Fonte ad Altare procedunt, & ita tradunt Bauldry *ſuprà art. 5. n.* 1, Biſſus *lit. S. num. 6.* §. 13. Aliqui tamen DD. præſertim Gerlacus Vinitor *ſuprà tit.* 17. *n.* 2. nolunt Litanias incipi ad locum Fontis, ſed in Choro, juxta Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 27. §. 19. Clara tamen eſt Rubrica Miſſalis præſcribens, ut incipiantur ad Fontem, ùt ſuprà dictum eſt, & talem eſſe frequentiorem uſum Eccleſiarum Parochialium, procul dubio exiſtimo, & convenientius eſt, ut qui ad Fontem cantando acceſſerunt, cantando etiam revertantur. Alius ergo uſus ob particularem quandam rationem Cathedralibus relinqui poteſt, pro quibus principaliter eſt Ceremon. Epiſcop. ſicùt ſentit, & docet Nicolaus de Bralion *part. 3. cap.* 14. *num.* 8. Interim Sacriſta, aut alius, præparat (ſi adhuc non ſint parati, & diſpoſiti, ùt ſuprà diximus) hinc inde ſuper ſecundum gradum Altaris tres Cuſſinos ſupradictos, ſupponendos Capiti Celebrantis, & Miniſtrorum. Bauldry *ſuprà.*

Cùm autem ad Altare pervenerint, Celebrans, & Miniſtri, retrahunt ſe versùs cornu Epiſtolæ (non enim convenit, quòd Celebrans & Miniſtri ante medium Altaris Paramenta accipiant, & deponant) ibique depoſitis Pluviali, & Planetis plicatis, ſtatim revertuntur ante Altare, ùt ex Nicolao de Bralion *part. 3. cap. 1. n.* 15. & genuflexi in plano ante infimum Altaris gradum procumbunt, ſuperponentes capita ſua prædictis cuſſinis, in ſecundo gradu Altaris poſitis. Bauldry *ſuprà*, & Biſſus *ſuprà* §. 14.

Interim duo Cantores, genuflexi ante Scabellum in medio Chori, Litanias ex Libro ante eos poſito, Cottis induti, proſequuntur, ſi ad Fontem, ùt ſupradictum eſt, eas inceperint; ſin minùs, tunc eas inchoant, & proſequuntur; cæteri de Choro genuflectunt ſuis in locis (ſed non procumbunt) & repetunt, ùt diximus, ea omnia, quæ dicuntur à prædictis Cantoribus.

## Pro Ritibus ſervandis à principio Litaniarum, ſeu Miſſæ, uſque ad finem.

XLIV. Gavant. pag. 207. col. 1. lit. b *Deponunt tamen Planetas plicatas, &c.*) Ubi non eſt Fons Baptiſmalis, finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, aliquis Acolythus deſignatus amovebit legile cum libro; Ceroferarii tres cuſſinos ſuper ſecundum gradum æquali diſtantia collocabunt. Interim Celebrans deponet Planetam violaceam in cornu Epiſtolæ, juvantibus Ceremoniario, & Acolythis, ſive Miniſtris Sacris, prout mox diximus, juxta conſuetudinem Eccleſiarum, qui pariter Miniſtri ſtatim ſuas Planetas plicatas deponent, & tradent Ceroferariis, ad Sacriſtiam cum Planeta Celebrantis deferendas, retenta Stola, & Manipulis; deinde cum iisdem accedet Celebrans ad medium Altaris, ubi inclinabit ſe Cruci, deſcendet ante infimum gradum, iisdem Miniſtris comitantibus, & genuflectentibus, tum ſimul cum illis, hinc inde diſtantibus ab illo, ſe proſternet. Tunc verò, & non priùs, Cantores genuflexi incipient Litanias. Acolythi verò è Sacriſtia reverſi, genuflectunt in plano, hinc inde, ſicùt & cæteri, ſed non procumbunt. Bauldry *cit. loc. art. 5. de Sabbato Sancto* §. 4. & Biſſus *lit. S. num. 6.* §. 15. Diximus ſtatim ab initio, debere Celebrantem & Miniſtros deponere Planetas plicatas, quia hæc eſt praxis ferè communis omnium Eccleſiarum, & opinio omnium Rubriciſtarum, quamvis enim hìc dicatur à noſtro Gavanto, quòd juxta Ceremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 27.* §. 20. id facere debeant tantùm, cùm dicendum eſt (ſeu paulò antè) *Peccatores*, nihilominùs attentè conſideranti patebit, quòd prædictus uſus conveniens eſt ſolùm Cathedralibus Eccleſiis, Epiſcopo Celebrante, nam *cap. 28.* ſeq. ejusdem Ceremonialis, Epiſcopo non Celebrante, ſed præſente, vel abſente, §. 9. apertè habetur, quòd Diaconus & Subdiaconus in albis eſſe debent, ſtatim antequàm Litaniæ inchoentur.

XLV. Rubr. n. 30. pag. 206. & Gavant. pag. 207. col. 1. lit. c *Cantantur Litaniæ, &c.*) Quo loco Litaniæ ſint inchoandæ, jam diximus ſuprà, & quomodò cantari debeant. Hìc addimùs, quòd Acolythi aliqui, & Ceremoniarius ſecundus, citiùs ſurgunt, nempe cùm in Litaniis dicitur: *Propitius eſto, &c.* ut amoveant de Credentia, & de Altari, ea quæ non ſunt ampliùs uſui, & obſervent, ſi aliquid deſit pro Miſſa ſollemni celebranda, ea præparent, ex. gr. Thuribulum, Ignem, & cætera requiſita. Debent etiam parare ſcamnum Celebrantis, ſi anteà nudum erat. Ex Bauldry *ſuprà n. 4.* & ex Biſſo *ſuprà* §. 15.

XLVI. Rubr. n. 30. pag. 206. & Gavant. pag. 207. col. 1. lit. d *Ad verſ. Peccatores, &c.*) Cùm in Litaniis perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, Cantores reliqua cantent lentiùs, ſi opus eſt, ut ea, quæ ſequuntur, tempore congruo fiant, & ne mora, aut ſilentium inter Litanias, & Miſſam interponatur, Celebrans verò, & Miniſtri, admonente Ceremoniario, ſurgunt ad præfatum ℣. & facta à Celebrante Cruci Altaris profunda reverentia, & à Miniſtris Sacris (ſicuti à Ceremoniario, & aliis Miniſtris, qui inſervire debent) genuflexione eidem Cruci unico genu, & Choro ab utraque parte reverentia de more, ſumptiſque birretis à primo Ceremoniario ſibi porrectis, tegunt caput, quo tecto, eo modo, quo ſunt, nempe in albis, manibus junctis ante pectus, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, junctis manibus, & nudo capite, cum Ceroferariis ſine candelabris, deinde ſecundo Ceremoniario (& ii etiam erunt manibus junctis, & nudo capite) Miniſtri verò Sacri unus poſt alium, ultimò Celebrans, accedunt ad Sacriſtiam, ſi vicina

ſit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit, alioquin ad locum viciniorem Altari, ſive poſt illud, ſive ad latus ejusdem, ſi idem Altare ſit prope murum; ibique depoſitis Paramentis violaceis, ſumunt Paramenta alba pro Miſſa, adjuvantibus Ceremoniario, & Acolythis. Nicolaus de Bralion *ſuprà.*

XLVII. Rubr. n. 30. pag. 207. & Gavant. ibid. col. 2. lit. e *Accenduntur luminaria, &c.)* Dum Celebrans, & Miniſtri Sacri ſumunt reſpectivè ſupradicta Paramenta alba pro Miſſa celebranda, Acolythi, vel Sacriſta removent cuſſinos à gradibus Altaris, & ſuper eos tapetem feſtivalem extendunt; accendunt candelas ejusdem, necnon candelas in candelabris ab ipſis deferendis (quæ candelabra, ſi Celebrans cum Miniſtris paratur in Sacriſtia, erunt etiam in eadem Sacriſtia, ut poſſint Ceroferarii cum Celebrante, & Miniſtris, de Sacriſtia ad Altare procedere, ùt infrà dicemus; ſin verò Paramenta ſumant retro Altare, vel ſi ipſum Altare ſit prope murum, in alio loco viciniori, tunc Ceroferariorum candelabra accenduntur ſuper Credentiam) removetur etiam eodem tempore à Sacriſta, vel ab alio, ab Altari majori pallium violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & extenditur velum Tabernaculi in parte anteriori, vel ablato Conopeo violaceo, album detegent, ſive aptabunt. Rurſus interim detegentur Imagines, ſive Icones per Eccleſiam, ſi fieri poteſt. Ex Bauldry *ſuprà num.* 6. ex Biſſo *ſuprà* §. 17. & ex Cærem. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 10. §. 5. *n.* 3. Si autem hoc tempore detegi non poſſent prædictæ Imagines per Eccleſiam, diſcooperiantur, dum fit benedictio Fontis, vel ubi non eſt Fons Baptiſmalis, dum cantantur ultimæ Prophetiæ; cùm enim de tempore præciſo, quo id faciendum eſt, nihil ab Eccleſia ſtatutum ſit, certè convenientius videtur, quòd id fiat ante Miſſam hujus diei, & quando luctu Quadrageſimali & Paſſionis completo, in Litaniis omnes Sancti ſollemniter ſunt invocandi. Ita Nicolaus de Bralion *ſuprà n.* 7. licèt tamen in aliquibus Eccleſiis detegi etiam ſoleant ad intonationem Hymni Angelici, quod etiam placet.

XLVIII. Rubric. pag. 207. n. 31. *Interim Sacerdos cum Miniſtris in Paramentis albis, &c.)* Celebrans, & Miniſtri Sacri, ſumptis Paramentis albis pretioſis ſibi reſpectivè convenientibus, & poſito, ac benedicto à ſupradicto Celebrante Incenſo in Thuribulo de more, factaque ab omnibus, nudo capite, profunda reverentia Cruci, vel Imagini, quæ eſt in Sacriſtia, ſi ibi Paramenta Sacra ſumpſerunt, procedunt, ùt mos eſt, ad Altare, pro Miſſa ſollemni celebranda, ordine ſolito; nimirum præcedit primus omnium Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, deinde ſequuntur Ceroferarii cum candelabris, poſt hos ſequitur Ceremoniarius ſolus, omnes nudo capite; ſequitur deinde Subdiaconus ſolus, & poſt eum Diaconus; ultimo loco Celebrans, qui tres poſtremi incedunt capite cooperto, & manibus junctis; hic tamen ordo tenendus eſt, dummodò Celebrans & Miniſtri Sacri Paramenta alba ſumpſerint in Sacriſtia, nam ſi ea ſumpſerint retro Altare, vel in alio loco eidem Altari viciniori, tunc accedunt ad Altare Ceroferarii, non deferentes candelabra. Ex Biſſo *lit. O. n.* 121. *& lit. S.* §. *6. n.* 8. Juxta tamen morem noſtrum, & aliarum Eccleſiarum exeunt è Choro, qui eſt retro Altare, Ceroferarii cum candelabris accenſis. Meminiſſe fas eſt, quòd in Eccleſiis Cathedralibus in hoc Sabbato ab Epiſcopis conferuntur ordines, tum majores, tum minores, de qua origine ordinandi Mininiſtros in hac Feria fusè diſſeruimus ſuprà in noſtris Obſervationibus *tit.* 2. *n.* 8.

XLIX. Rubr. n. 30. pag. 207. & Gavant. ibid. col. 2. lit. f *In fine Litaniarum, &c.)* Cum pauſa convenienti ſollenniter cantatur *Kyrie eleiſon*, ut detur tempus Celebranti faciendi Confeſſionem, & poſteà incenſandi Altare, ac dicendi etiam *Kyrie* cum Miniſtris Sacris in cornu Epiſtolæ more ſolito,

 ante-

antequàm ipſe Chorus ceſſet à cantu. Caſtaldus *ſuprà cap. 5. n. 5.* Bauldry *ſuprà n.* 8.

L. Rubr. n. 31. pag. 207. & Gavant. ib. col. 1. lit. g *Gloria in excelſis, &c.*) Finita Confeſſione, & incenſato Altari more ſolito, non dicitur Introitus, nam hæc Miſſa eo caret, quia Introitus eſt veluti introductio ad publicas preces; unde cantabatur ad occupandos adſtantes, donec Sacerdos veniret ad Altare, & univerſus Populus foret adunatus; cùm autem veniat Populus in ſpeciem Proceſſionis, unà cum Celebrante à Fonte Baptiſmali (vel ubi non eſt Fons, à Proceſſione *Lumen Chriſti*) & ad Altare procedat, non eſt opus Introitus. Rurſus cùm decantatum ſit *Kyrie* in Litaniis, mos jam olim fuit, ut Miſſa hæc ab intonatione *Gloria in excelſis* inchoaretur; dicto igitur à Celebrante novies *Kyrie*, ùt ſuprà, in cornu Epiſtolæ, cum Miniſtris ſubmiſſa voce, juxta conſuetudinem pergit ad medium Altaris, ibique de more incipit intonare ſollemniter: *Gloria in excelſis*, & juxta ſolitum peraguntur reliqua, ùt in aliis Miſſis. Hippolytus à Portu *ſuprà artic. 4. Rubr. 11. n. 5.*

LI. Rubric. n. 31. pag. 207. & Gavant. ibid. col. 1. lit. h *Pulſantur Campanæ, &c.*) Intonato Hymno *Gloria in excelſis*, & non priùs, pulſantur omnes omnino Campanæ, quæ ſunt in Eccleſia, & Cappellis, & tintinnabula, quæ inſerviunt ad elevationem Sacramenti in Miſſis Privatis; præterea pulſantur & Organa, ubi habentur, ſed Chorus non proſequitur Hymnum, niſi poſtquàm deſierit omnino ſonitus Campanularum, Lohner *part. 4. num.* 12. Caſtaldus *ſuprà num. 6.* & Organorum exiſtentium intra fines Eccleſiæ, alioquin confunderentur voces cantantium in Choro, cum ſono prædictarum Campanarum. Caſtaldus *ſuprà num. 6.* Lohner *loc. ſuprà cit.* Bauldry *ſuprà n.* 11. Hippolytus à Portu *ſuprà n. 6.*

LII. Gavant. pag. 207. col. 1. lit. h *Sed adverte; ne majores Campanæ &c.*) Majores tamen Campanæ exiſtentes in Turri Campanaria, non debent pulſari, niſi poſtquàm pulſatæ fuerint Campanæ Eccleſiæ matricis, ſcilicet principalis in eo loco, etiamſi eſſet tantùm Parochialis, quod verificatur reſpectu Eccleſiarum, ſive Regularium, ſive Confratrum, eaque omnia certa ſunt, etiam ex Decretis à S. R. C. editis, quæ mox à nobis allegabuntur; hinc fit, ut hoc ſollemne ſignum in Campanili detur, aliquando longè poſt Hymnum *Gloria in excelſis* in Eccleſia decantatum.

Decretum allegatum à Gavanto *hac lit. h.* de pulſatione talium Campanarum, confirmatum etiam fuit per aliud Decretum, quod datur in noſtro Indice ſub *n. 568.* in quo ſtatuitur, primam pulſationem Campanarum in Sabbato Sancto, non eſſe de juribus merè Parochialibus, ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem, juxta Conſtitutionem Leonis X.

Prædicta Decreta obſervari debent, etiamſi Eccleſia aliqua Collegiata habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem, pro qua re, apud Gavantum in Manuali Epiſc. *v. Campana in addit. num.* 2. allegatur Decretum à S. R. C. editum ſub die 23. Februarii 1619. quod tamen in Regeſtis Sacræ Congregationis, ſaltem ſub tali data, non reperitur; non obſtantibus tamen prædictis Decretis, ubi Religioſi ex immemorabili conſuetudine, ſemper, & continuò, conſueverunt ad libitum in dicto Sabbato Sancto pulſare Campanas, nulla habita ratione, an prius fuerint pulſatæ in Cathedrali, vel Matrice, hujuſmodi immemorabilis conſuetudo eſt retinenda, ùt pluribus relatis Rotæ Deciſionibus, firmat Tamburinus *de Jure Abbatum tom. 1. diſput. 15. quæſt. 7. ſub. n.* 28.

Spectat etiam ad hanc materiam Decretum, quod aſſeritur editum à S. R. C ſub die 8. Junii 1641. & affertur à Paſcuccio in *Compendio ad Conſult. Can.* Jacobi Pignatelli *part. 2. tit. de Regularibus* in quo habetur — Ad effectum pulſationis Campanarum in Sabbato Sancto, ſufficit probare Eccleſiam eſſe Parochialem, Antiquiorem, Digniorem, &

Majo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Majorem, ex quibus concluditur eſſe Matricem -- ſed neque hoc Decretum potuit reperiri in Regeſtis S. C.

LIII. Rubric. n. 32. pag. 207. *Sacerdos dicit Dominus vobiſcum, &c.*) Ad finem Hymni, ſurgentibus Clericis, & deinde Miniſtris Sacris, ſurgit & Celebrans è ſuo ſcamno, & vadit ad medium Altaris per longiorem viam, cum debitis reverentiis Choro, & Altari, & peragit omnia, ùt in aliis Miſſis, & cantat Orationem, proùt in Miſſali, Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 7. ſed eſt hic obſervandum, quòd ad Orationem Miſſæ Chorus non genuflectit. Biſſus *lit. G. num.* 29. §. 10.

LIV. Gavant. pag. 208 col. 1. n. 34. *Alleluja cantatur in cornu Epiſtolæ, &c.*) Cantata Epiſtola à Subdiacono, ipſe Subdiaconus oſculatur de more manum Celebrantis, Gavantus *hic*, & accipit ab eo benedictionem; deinde & non priùs, contra nonnullos, ipſe Celebrans incipit gravi voce cantando, ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris Sacris, ùt ad Introitum: *Alleluja*: omnibus in Eccleſia ſtantibus: ex Gavanto; quo ſemel cantato à Celebrante, ùt in Miſſali notatur, Chorus in eodem tono, & voce illud repetit: deinde Celebrans elevando vocem gradatim (qui ideò advertere debet, ut priùs voce demiſſiori incipiat, ut ſecundò, ac tertiò illam abſque indecentia elevare poſſit) ſecundò, & tertiò repetit in cantu *Alleluja*, & idem repetit Chorus poſt quamlibet vicem. Hippolytus à Portu *Rubric.* 12. *in adnot. num.* 3.

LV. Gavant. pag. 208. col. 1. eodem n. 34. *Præcedit Alleluja Tractum, &c.*) Decantato tertiò *Alleluja*, Chorus proſequitur ℣. *Confitemini, &c.* quo finito, cantat Tractum. Ita etiam Celebrans, dicto tertiò *Alleluja*, legit ſubmiſſa voce prædictum ℣. *Confitemini, &c.* & Tractum, ùt in Miſſali, ſcilicet *Laudate Dominum, &c.* Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. §. *Cantata Epiſtola*; Corſettus *de Sabbato Sancto, tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 21. & alii communiter.

LVI. Rubric. n. 35. pag. 208. *Ad Evangelium non portantur luminaria.*) Sed Ceroferarii ſtant manibus junctis à lateribus Subdiaconi, & ſignant ſe cum Diacono, cùm non teneant candelabra. Bauldry *ſuprà num.* 14. à Portu *ſup. Rubr.* 13. *in adnot. n.* 3. Incenſum tamen, ùt aliàs, impoſitum priùs in Thuribulo, & benedictum de more, defertur, & Liber Evangeliorum incenſatur de more.

LVII. Rubric. n. 36. pag. 208. & Gavant. ibid. col. 1. lit. l *Non dicitur Offertorium, quia Mulieres, &c.*) In Miſſa hujus diei non dicitur deprecatio illa quæ Offertorium communiter appellatur. Hujus omiſſionis rationem myſticam, ex Alcuino deſumptam, affert noſter Gavantus, nimirum, quia Mulieres ſub ſilentio ibant cum aromatibus ad Sepulchrum; Walafridus Strabo *de Rebus Eccleſ. cap.* 22. poſtquàm cum Alcuino prædictam rationem myſticam retulit, dicendo, agens de Sabbato Sancto Paſchæ: *Non cantatur offerenda ..... ad memoriam reducitur Sacrificium, ſeu ſilentium Mulierum: Ipſæ enim tantummodò unguenta detulerunt;* Proſequitur deinde, & aſſignando aliam rationem literalem, cur hac die non dicatur Offertorium, ait: *Cùm verè credamus, priſcis temporibus PP. Sanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paſchæ obſervamus.* Hæc præfatus Strabo; Bermo verò Abbas Augienſis *cap.* 1. *de Rebus ad Miſſam ſpectantibus*, adoptando eadem ferme verba Strabonis, adſtruit: *Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis à prioris Populi conſuetudine &c. .... fateri poſſunt, cùm veraciter credi poſſit, priores Sanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paſchæ ſolemus obſervare.* Mens igitur laudatorum Auctorum eſt, antiquitus, dum offerebantur dona, & fiebant oblationes à Populo, nihil recitari ſolere à Cantoribus, & hanc veterem diſciplinam conſervatam fuiſſe in Miſſa Sabbati Sancti Paſchæ. Horum opinioni adhæret etiam noſter P.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Franciſcus Berlendi in ſua erudita diſſertatione de oblationibus §. 4.

Prædictæ ſententiæ ego quoque accedo, poſtquàm penè mihi perſuaſeram, in Miſſa hujus diei ideò prætermitti Offertorium, quia cum Gavanto *hoc tit. lit. O.* credebam, quòd in hac Miſſa nemo communicaret, & hinc quaſi inferebam, neque in hac Miſſa antiquitus factas fuiſſe oblationes à Populo, quibus prætermiſſis, rationabiliter inferri poterat, quòd pariter prætermittebatur Antiphona, quæ Offertorium appellatur; hæc ſiquidem inſtituta fuit, ut cantaretur à Choro, dum à Populo porrigebantur dona, & fiebant oblationes. Rurſus Mos antiquus erat, ut qui communicandi jus non haberent, offerre pariter prohiberentur, idque conſtat ex Concilii Illiberitani *can.* 28. in quo habetur: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere:* Ex quo colligitur, quòd omnes, qui communicabant, panem, & vinum offerebant, ex quibus Euchariſtia conficeretur, & ita ex ſuis oblatis reficerentur, ùt tradit etiam Card. Bona *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. unde cum jure communicandi annexum erat jus offerendi; quæ confirmantur etiam auctoritate S. Eligii Epiſc. Noviomenſis, qui obiit anno Chriſti 665. & in ſua Homilia ait: *Hæc dicit Apoſtolus, quia Corinthii, qui per prædicationem ejus ad fidem venerant, ſolebant in hac die offerre ad Eccleſiam panem, & vinum, & dabatur Sacerdoti ad conſecrandum: expletiſque myſteriis, unuſquiſque quod dederat, accipiebat.* Quibus omnibus poſitis, quaſi arguebam, & quidem cum fundamento, quòd ſi in Miſſa hujus Sabbati nemo Corpus Chriſti Domini de manu Celebrantis accipiebat, ùt cenſet Gavantus, nemo pariter panem & vinum ad Eccleſiam deferebat, & ad Altare offerebat, & idcirco in hac Miſſa Antiphona, quæ *Offertorium* dicitur, omitteretur. Quæ quidem opinio confirmari poterat ex iis, quæ laudatus Pater Berlendi adſtruit *cit.* §. *num.* 4. nimirum, quòd antiquitus in Miſſis Defunctorum, quia privatæ omnino erant, nulla fiebat oblatio, ſicùt pariter nulla interveniebat Communio, niſi ipſiusmet Celebrantis, id quod comprobat auctoritate S. Willelmi *lib.* 1. *ſuarum Conſtitutionum Hirſaugienſium*, ubi legitur: *Si Miſſam Defunctorum cantat, nemo, niſi ipſe ſolus, communicat. Sed ſi Vivorum Miſſa eſt, ſic quoque tenendo, dat pacem Converſo &c.* Quæ quidem Conſtitutiones reperiuntur in *Veteri Diſciplina Monaſtica* P. Herrgott; & prædicta verò verba leguntur *pag.* 457. Idem etiam comprobari poterat auctoritate eruditiſſimi Gabrielis Albaſpinæi Aurelianenſis Epiſcopi, qui *lib.* 1. *ſuarum obſervat. cap.* 17. ait: *Ideò in mortuorum Sacris oſculum non perſolutum eſſe, quòd olim privata eſſent illa Sacra, non autem ſollemnia, hoc eſt, non eſſent inſtituta, ut eis publicè Fideles omnes communicarent, perinde, atque in Dominicis, Feſtiſque diebus fieret. Id autem apparet ex Can.* 4. *Concilii* 2. *Vaſenſis, ubi diſcrimen ponitur inter ſollemnia, mortuorumque Sacra. Itaque cùm in his Sacris non communicaretur, nullum etiam oſculum dabatur, quod quidem Symbolum quoddam, & argumentum erat communionis Fidelium, eoque tantùm nomine permittebatur, ut ad Communionem Fideles præpararentur, & ad mutuam benevolentiam excitarentur.* Hæc præfatus Auctor; ex quibus omnibus validum deſumi poterat argumentum in favorem ſupradictæ opinionis, cui libenter adhærerem, ſi ſubſiſteret illud aſſumptum Gavanti, quòd in Miſſa hujus Sabbati, utpote nocturna, nullus alius à Celebrante communicabat, ſed ſolùm in die ſequenti, quo cùm Catechumeni, tum alii, Sacramenti Euchariſtici participes fiebant.

Verùm priſca evolvendo monumenta Liturgica, relata à Martene infrà citando, Ordinem Romanum primum inter evulgatos à Johanne Mabillon, præſertim verò Sacramentarium Gelaſianum, cogor omnino recedere ab expoſita Gavanti opinione, & ſu-

ſtinere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſtinere cum Domino Grancolaſ. in *Breviarium Romanum lib. 7. cap.* 21. cum Petro Moretto in ſua *Erudita Diſceptatione Epiſtolari de Ritu variandi chorale indumentum &c. num.* 14. & cum aliis, cogor, inquam, aſſerere, quòd in hac Miſſa omnes communicabant, non ſolùm Neonati, ſed reliqui quoque Fideles, cæterarum Synaxeon more; idque patet ex Collectis hujus Miſſæ deſcriptis in allegato Sacramentario Gelaſiano *lib. 1. cap.* 45. in Oratione ſiquidem, quæ *Poſtcommunio* dicitur, hæc præciſa verba leguntur: *Præſta quæſumus &c. ut Divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis innovemur, & moribus*: Ex quibus evincitur, Euchariſtico pane omnes refectos fuiſſe, non verò ſolum Sacerdotem. Rurſus quòd in eadem Miſſa factæ fuerint oblationes, etiam pro Catechumenis recenter baptizatis, colligitur ex verbis, quæ habentur in præcedentibus Orationibus. Prima enim è ſecretis Gelaſianis ait: *Suſcipe quæſumus, Domine, & plebis tuæ, & tuorum hoſtias renatorum: ut & Confeſſione tui nominis &c.* Altera verò Secreta incipit his verbis: *Suſcipe, Domine, preces Populi tui cum oblationibus hoſtiarum &c.* Ex quibus liquet, in prædicta Miſſa profectò factas fuiſſe Oblationes, & Catechumenorum, & aliorum Fidelium; quapropter iterum dico, nullo modo ſuſtineri poſſe, ideò in hac Miſſa prætermitti Antiphonam, quæ dicitur *Offertorium*, quia in eadem nullæ fiebant Populi Oblationes, in quibus offerendis recitabatur à Choro prædicta Antiphona.

Aliam igitur rationem aſſignare debemus, propter quam nunc, juxta Ritum Rom. Eccleſiæ, non recitatur, neque Antiphona, quæ *Offertorium*, neque alia, quæ *Communio* dicitur. Unde præter rationem, quam adducunt ſuperiùs allegati Auctores, Strabo, & Berno Augienſis, dici etiam poſſet, & fortaſſe probabiliùs, quòd prædictæ Oblationes pro Catechumenis (ipſi enim, teſte Ambroſio in *Prologo ad expoſitionem Pſalmi* 118. neque hac die, neque in tota Baptiſmi ſui Octava offerebant) fiebant ab eorumdem Suſceptoribus, quorum magnus erat numerus, quia pro uno Catechumeno baptizando non unus tantùm, ſed duo, vel tres, immò plures etiam Suſceptores deſtinabantur, ùt oſtendit Martene *lib. 1. de Antiquis Ecleſ. Ritib. cap. 1. art. 16. n. 12.* & iſti conſtituebant probabiliter, ſi non totam, maximam ſaltem partem illius plebis, de qua fit mentio in prædictis Collectis Gelaſianis; probabile autem eſt, prædictos ſuſceptores hac die detuliſſe ſuas oblationes, antequàm inchoaretur Miſſa, nam cùm ante Miſſam Baptiſma conferretur, iidem occupati erant in exuendis, & induendis ſuis Catechumenis, cæteriſque Muniis exequendis; quapropter non poterant apud ſe Oblationes retinere, ut illas tempore conſueto ad Altare deferrent; proinde neceſſum erat, ut delatio talium oblationum ſequeretur ante Miſſam; & hinc probabiliter factum eſt, quòd Antiphona ad offerendum non recitabatur à Choro. Supradicta magis confirmari poſſunt ex iis, quæ leguntur *in cit. Ordine Romano num.* 46. ubi habetur -- *Illud autem de Parvulis providendum eſt, ut poſtquàm baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequàm communicent Sacramenta Corporis Chriſti: & omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad Miſſas procedant, & parentes eorum offerant pro ipſis, & communicent omnes* -- En igitur, quòd omnes communicabant, quòd parentes pro Parvulis offerebant; unde manifeſtum eſt, quòd pro Catechumenis Oblationes fiebant à ſuis Suſceptoribus.

Quoniam verò ex cit. Textu Ordinis Romani parvuli, poſtquàm baptizati erant, nullum ſumebant cibum, nec ſugebant lac ab uberibus, antequàm Euchariſtico Cibo reficerentur, opinandi locus datur, quòd in hodierna Miſſa omitteretur Offertorium ed evitandam ejuſdem Miſſæ prolixitatem, quia prædicti parvuli difficillimè temperare ſe poterant ab iteratis, & moleſtis vagitibus emittendis, ſi longo temporis tractu jejuni perſeveraſ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſeveraſſent: & equidem ad eos citò etiam corporaliter reficiendos, ſtatim ùt Sanguis Chriſti cum Cochleari ſumptus è Calice in eorum os infuſus eſſet, illis porrigebatur lac, & mel. Idem agebatur cum Neophytis, ut ipſi tanquàm infantes deſignarentur lacte, & melle nutriendi, juxta illa verba S. Petri: *Quaſi modò geniti infantes ſine dolo lac concupiſcite.* Quòd brevis eſſet hæc Miſſa, ad prædicta incommoda præcavenda, colligitur etiam ex iis, quæ tradit Theophanes Nicænus *Epiſt.* 3. *ad Sacerdotes*, in qua ait, quòd ſtatim poſt Baptiſmum dabatur omnibus Communio. Rurſus quia Johannes Moſchus *in Prato Spirituali cap.* 19. ait, antiquam fuiſſe conſuetudinem in Eccleſia, ut pueri ante Sacrarium aſſiſterent, & primi poſt Clericos communicarent; colligitur, ideò invectam fuiſſe hanc ſollicitudinem communicandi innocentes pueros, & infantes, ne jejuni longo tempore permanerent.

Dixi, quòd Antiphona Offertorii probabiliter omittebatur, ne in longum nimis hæc Miſſa protraheretur; habemus enim in Ordine Romano II. inter evulgatos à Mabillon *pag.* 46. hæc præciſa verba -- *Tranſit deinde Sacerdos ad ſuſcipiendas Oblationes. Interim Cantores cantant Offertorium cum Verſibus, & Populus dat oblationes ſuas, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum Fanonibus candidis, primò maſculi, deinde fœminæ.* Ex quibus colligitur, Offertorii verſus multos ſimul fuiſſe conſtitutos, qui cantabantur à Choro, & quorum cantus toto illo tempore durabat, quo Populus ſua dona offerebat; quos ideò Hadrianus Papa, inquit Demochares *tom.* 4. *cap.* 15. voluit geminatos cantari, & geminari, & neutrum omitti. Eos ipſos tamen nunc videmus ſimplices eſſe, nec ullum ex illis repeti, niſi in Miſſa Defunctorum, ùt notavit etiam noſter Gavantus in ſuis doctiſſimis Commentariis *ad tit.* 18. *partis* 4. *ſub n.* 3. Denique ex iis, quæ tradit P. Berlendi in ſua *cit. Diſſertat. de Oblationibus* §. 4. *num.* 6. variæ adhibebantur formulæ, juxta diverſitatem Eccleſiarum, & Liturgiarum, in recipiendis, & offerendis Oblationibus, quæ porrigebantur à Populo; unde ſemper firmum remanet, quòd multum temporis impendebatur in exercenda hac functione Oblationum; & idcirco non ſine fundamento opinamur, in hodierna Miſſa tales Ritus prætermiſſos fuiſſe prolixitatis vitandæ gratiâ, ob rationes ſuprà adductas, ſed omnis iſta actio ſub ſilentio complebatur, ſicut fiebat antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus.

In eadem Miſſa non dicitur *Agnus Dei*, quia hæc nova eſt adjectio; hæc enim deprecatio inſtituta fuit à Sergio Papa, qui ſedit anno 688. ùt tradunt Scriptores à nobis citati, cùm ex profeſſo egimus de hac deprecatione in parte prima hujus Theſauri.

Quod ſpectat ad Antiphonam, quæ Communio dicitur, liquet antiquitus fuiſſe cantatam in hac Miſſa, dum fiebat Populi Communio, quia in Sacramentario Gelaſiano, ut *ſuprà* innuimus, recitabatur à Celebrante Oratio *Poſt Communionem*; unde infertur, præcedenter fuiſſe à Choro recitatam Antiphonam illam, quæ *Communio* prænotatur; hæc enim correlativa erant, nimirum Antiphona, quæ *Communio*, & Oratio, quæ *Poſtcommunio* dicitur; quod notat etiam Ordo Romanus Hittorpii *pag.* 55. aſſerens, juxta Romanos dictam fuiſſe in hac Miſſa Orationem *ad Complendum.* In præſentiarum autem ideò omittitur & *Communio*, nec non Oratio *Poſtcommunio* inſcripta, quia eorum loco, ùt notat etiam Grancolas. *loc. cit.* & ante ipſum Gavantus, nec non Durandus, ſuffectæ ſunt Veſperæ, quæ gratiarum actio potiùs dicendæ ſunt, quàm Officium Veſperarum: hanc rationem jam aſſignaverat prædictus Ordo Romanus Hittorpii *loc. cit.*

Denique quoad oſculum pacis, juxta prædictum Grancolas. antiquitus in hac Miſſa non dabatur, quia Romæ reſervabatur ad principium Matutini Paſchatis, ubi tunc Po-

puli

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

puli vonveniebant ante Eccleſiam, & antequàm inchoaretur Officium, ſeſe invicem amplexantes in pacis ſignum, dicebant *Surrexit Dominus;* Et hoc habetur in eodem Ordine Romano ab Hittorpio edito *pag.* 55. in quo legitur -- In ipſa nocte, matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniant, & mutua Charitate ſe invicem oſculantes, dicant: *Surrexir Dominus.* Juxta tamen Ritum Mozarabum, & Ambroſianum, pax publicè datur in hac Miſſa, & recitatur Poſtcommunio, ſicuti etiam in veteri Ritu Gallicano.

LVIII. Gavant. pag. 208. col. 2. lit. l *Subdiaconus defert ad Altare, &c.*) Subdiaconus, poſt redditum librum Evangeliorum ſecundo Ceremoniario, vadit ad medium plani poſt Diaconum, dum Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, & deinde *Oremus*, & quando Diaconus accedit ad Altare, cantato à Celebrante *Oremus*, Subdiaconus, cum debitis reverentiis Choro, & Altari, vadit ad Credentiam, ex qua, præpoſito ſibi velo humerali de more, ſumit Calicem, inſuper Burſam Corporalium, & ſubſequente Acolytho cum ampullis, ea portat ad Altare: à Portu *ſuprà Rubr.* 14. *in adnot. n.* 2. quem Calicem collocat inter medium Altare, à cornu Epiſtolæ; Diaconus verò, ſtans ad dexterum latus Celebrantis, accipit Burſam, & vadit ad medium, ubi erat Celebrans, qui pergens aliquantulùm versùs cornu dexterum Altaris, cedit ei locum, ut extrahat, & extendat Corporale, ac reponat Burſam ad locum ſuum de more; quo facto, Diaconus recedit, & Celebrans revertitur ad medium, ubi accipit de manu Diaconi Patenam, & alia facit de more. Turrinus *ſuprà* §. *Cantato Oremus.*

LIX. Rubric. num. 38. pag. 208. & Gavant. ibid. col. 1. lit. m *Pacis oſculum non datur, &c.*) Quamvis non detur oſculum Pacis in hac Miſſa, ùt præſcribit Rubrica, Subdiaconus tamen tranſit ad dexteram Celebrantis, & diſcooperit Calicem, quando opus erit, de more: à Portu *ſuprà Rubr.* 14. *in adnot. num.* 1.

LX. Rubric. n. 39 pag. 208. & Gavant. ib. col. 1. lit. p *Pro Veſperis, &c.*) Facta à Celebrante ablutione poſt ſumptionem Sacramenti, Subdiaconus accommodat (deferente aliquo Acolytho, cum debitis reverentiis) velum Calicis ad Altare, & reportat Calicem ad Credentiam de more; interim verò, dum Celebrans ſcilicet ſumit ablutionem, Cantor, ſeu alius, comite ſecundo Ceremoniario, vel alio, accedit cum debitis reverentiis ad Digniorem de Choro, eique de more præintonat Antiphonam: *Alleluja*, pro Veſperis, quam ſtatim Dignior abſque ſigno Crucis intonat, & Chorus eam bis repetit, ùt in Miſſali, & poſt Antiphonam cantatur alternatim ab utroque Choro Pſalmus *Laudate Dominum omnes Gentes, &c.* & poſt Pſalmum iterum repetitur ter *Alleluja*; Capitulum, Hymnus, & ℣℣. non dicuntur; omittuntur etiam diebus ſequentibus. Poſteà Celebrans intonat Antiphonam ad *Magnificat*, ùt infrà; Bauldry, Biſſus, infrà citandi, Vinitor *ſupràn.* 12. Præfatus autem Celebrans, facta ablutione, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi adhuc retenta Planeta, dicit loco Antiphonæ, quæ appellatur *Poſtcommunio*, ſubmiſſa voce, ter *Alleluja*, ſubjungens Pſalmum: *Laudate Dominum omnes Gentes*, cum Miniſtris ſtantibus in cornu Epiſtolæ, ùt ad Intrqitum Miſſæ; deinde idem Celebrans, finito cantu in Choro, ſtans adhuc cum Miniſtris in prædicto cornu Epiſtolæ, intonat in cantu Antiphonam ad *Magnificat*, nempe: *Veſpere autem Sabbati*, ùt in Miſſali, quam Antiphonam poſteà ipſe Celebrans proſequitur ſubmiſſa voce cum Miniſtris Sacris, Choro eandem Antiphonam proſequente in cantu. Bauldry *ſuprà n.* 17. Biſſus *ſuprà* §. 4. Gerlacus Vinitor *ſuprà*, Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 5. *uſque ad n.* 9. *incluſivè.*

LXI. Rubr. n. 40. pag. 209. *Deinde cantatur Magnificat, &c.*) Cantata Antiphona à



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Choro, intonatur *Magnificat* ſollemniter à Cantoribus, Choro alternatim proſequente. Interim verò, dum ſcilicet à Cantoribus inchoatur *Magnificat*, Celebrans, ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris, ſe ſignat à fronte ad pectus de more (& omnes pariter ſignant ſe) & ſtatim cum iisdem accedit ad medium Altaris, ubi facta ſolita ſimplici inclinatione Cruci, imponit, & benedicit Incenſum in Thuribulo, miniſterio Diaconi, & Thuriferarii. Bauldry *ſuprà n.* 18. Biſſus *ſuprà*, Gerlacus Vinitor *ſuprà*, Halden *part.* 1. *tit.* 20. §. 3. *de Sabbato Sancto* §. *Porro.*

LXII. Rubric. num. 40. pag. 209. & Gavant. ibid. col. 1. lit. q *Ut alias, &c.*) Impoſito, & benedicto de more Thure, Celebrans incenſat Altare, ùt ſit initio Miſſæ, Sacris Miniſtris hinc inde ſtantibus, & eum adjuvantibus, ùt de more, elevando poſteriorem Planetæ partem, &c. in cujus incenſationis fine, ipſe Celebrans incenſatur à Diacono in cornu Epiſtolæ, ſtante Subdiacono à ſiniſtris ejus, ùt in Introitu Miſſæ; deinde Diaconus vadit ad incenſandum eos, qui ſunt in Choro, more conſueto, ùt ad oblata, comite Ceremoniario; quo facto, vadit versùs Altare (ſemper tamen cũm debitis reverentiis eidem Altari, & Choro) ubi ſtans in plano in cornu Epiſtolæ, cum Thuriferario à dexteris ejus, ſed paululùm retrò, incenſat Subdiaconum, ſtantem à dexteris Celebrantis, qui Subdiaconus vertit faciem Diacono, cavens tamen ne directè terga vertat Celebranti. Celebrans verò, poſtquàm fuerit à Diacono incenſatus, & ſtatim ac Diaconus ſe contulit ad incenſandum Chorum, adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ cum Subdiacono, ùt ad Introitum Miſſæ, proſequitur tunc, & non priùs, alternatim cum eodem Subdiacono, ſubmiſſa voce: *Magnificat*, uſque ad finem, & poſt *Gloria Patri, &c.* repetit cum ipſo Subdiacono etiam Antiphonam, ibique ſtat, quouſque in Choro ſit repetita Antiphona poſt *Magnificat*, & poſteà accedit ad medium Altaris, ùt infrà. Biſſus *ſuprà lit. M. n.* 25. §. 4. Subdiacono ùt ſuprà incenſato, Diaconus reddit Thuribulum Thuriferario, qui ſtatim incenſat prædictum Diaconum ſtantem à dexteris Celebrantis in cornu Epiſtolæ in ſecundo gradu Altaris, facie ad Thuriferarium verſa. Tum Diaconus, & Subdiaconus ſtant cum Celebrante in cornu Epiſtolæ, ùt ad Introitum Miſſæ, uſque dum in Choro ſit repetita Antiphona poſt *Magnificat.* Thuriferarius verò, incenſato Diacono, factis ſemper debitis reverentiis, incenſat Acolythum, & Populum, & poſteà facta genuflexione Altari, & reverentia Choro (quando eſt ante Altare) vadit in Sacriſtiam, ubi deponit Thuribulum, & Naviculam, & redit cum reverentiis, ùt par eſt, ad Altare. Biſſus *ſuprà* §. 1. Bauldry *ſuprà n.* 18. *&* 19.

Mox diximus, dum cantatur *Magnificat*, à Diacono incenſandum eſſe Chorum eo modo, quo incenſatur idem Chorus poſt oblata, & poſt incenſatum Celebrantem; diximus autem ſuprà *part.* 2. *tit.* 7. *n.* 74. quòd Diaconus, incenſato tunc Choro, præcedente Thuriferario, redit ad Altare per eandem viam, qua venit in Chorum, nimirum à latere Epiſtolæ, & ibi facta genuflexione, ſtans in eadem parte Epiſtolæ, Subdiaconum incenſat; hic idem Ritus debet ſervari etiam in præſenti caſu incenſationis ad Canticum *Magnificat.* Quoniam verò aliqui, nimirum Caſtaldus in noſtro Ceremoniali *lib.* 1. *cap.* 29. *n.* 14. Flumara in Ceremoniali Clericor Regul. Minor. *part.* 2. *cap.* 7. Ceremoniale Clericorum Regularium S. Pauli *lib.* 1. *cap.* 1. præſcribunt, quòd incenſato Choro, & præſtita à Diacono, & à ſuo comite, reverentia ad utramque Chori partem, & facta etiam genuflexione Cruci, vel Sacramento, idem Diaconus pergit in Presbyterium per latus Evangelii, ubi facta Altari juxta cornu Evangelii genuflexione, incenſat Subdiaconum, ſtantem facie verſa ad eundem Diaconum, præmiſſis debitis mutuis inclinationi-

tionibus, idcirco iterum ſuper hoc Ritu ſermonem inſtituimus, ut validiori diſcurſu firmetur noſtra contraria opinio ſuperiùs tradita, nimirum quòd Diaconus tunc, nempe in Miſſa, & modò in præſenti caſu, debeat egredi non per oſtiolum à latere Evangelii, ſed à latere Epiſtolæ, per quod ingreſſus eſt ad incenſandum Chorum. Nos igitur verſamur in hac opinione, quòd Subdiaconus debeat incenſari à latere Epiſtolæ, ſive Chorus ſit ante Altare (ùt concedunt in tali caſu etiam Bauldry *part. 3. cap. 11. art. 7. num.* 19. necnon Biſſus *lit. D. num. 123. §. 34.*) ſive Chorus ſit retro Altare, in quo tamen caſu prædicti Biſſus & Bauldry cenſent, Subdiaconum incenſandum eſſe à Diacono à latere Evangelii, & idcirco etiam juxta ipſos debet Diaconus egredi ab eodem latere Evangelii: ſed admittere non poſſum hanc Ritus variationem in Subdiaconi incenſatione, & iterum ſuſtineo, ſemper Subdiaconum incenſandum eſſe à latere Epiſtolæ, quo firmato, magis congruum mihi videtur, quòd completa Chori incenſatione, debeat ab eodem latere Diaconus egredi è Choro. In hac ſententia verſantur etiam doctiſſimi Monachi S. Mauri; in ſuo etenim Ceremoniali *lib. 2. c. 4. num.* 25. ſermone habito de Diacono incenſante Chorum, ajunt -- *Incenſatione Chori peracta, profundè ſe inclinabit versùs ipſum Chorum in ſuprema parte circa medium, & reverſus ad Altare, genuflectet ubi priùs ante diſceſſum, ſtatimque à latere Epiſtolæ, thurificabit Subdiaconum duplici ductu* -- Certum autem eſt, ibi ſermonem eſſe de Choro exiſtente retro Altare, ùt ex eorum conſuetudine, necnon ex contextu verborum manifeſtè id colligitur. Si autem juxta ipſos debet Diaconus ſtare à latere Epiſtolæ, dum Subdiaconum thurificat, quis inficiari poterit, magis congruum eſſe, Diaconum egredi ab eodem latere, quàm à latere Evangelii? aliàs egrediendo ab hoc latere, deberet perficere totum gyrum Presbyterii, & genuflectere in medio, non verò in eodem loco, ubi priùs ante diſceſſum à Presbyterio. Omnes illi, qui cenſent, Subdiaconum eſſe incenſandum à latere Evangelii, ideò moventur ad hoc aſſerendum, quia firmiter tenent, eos, qui à Choro diſcedunt, & ad Cappellam pergunt, ſemper debere egredi à latere Evangelii; ex quo autem Diaconus, ſervando hanc regulam, debeat ab eodem latere egredi, ne totum gyrum Presbyterii perficiat, congruum judicant, illum ſe à latere Evangelii ſiſtere, & in eo ſitu Subdiaconum, ad ejusdem Diaconi faciem vertentem, thurificare; nos verò è contra magis invariabilem judicamus diſpoſitionem illam, qua præſcribitur, Subdiaconum ſemper incenſari debere à latere Epiſtolæ, & facie verſa ad idem latus, ad quod verſus incenſatus fuit Celebrans, ſicùt ob eandem rationem ad idem latus converſus debet incenſari Diaconus à Thuriferario; & idcirco ſuadetur in hoc caſu, minùs incongruum eſſe, variari regulam illam, quòd diſcedentes è Choro debeant egredi à latere Evangelii: & reverà Acolythi in Miſſa Sollemni, celebrante aliquo in Dignitate conſtituto, quando deferunt bacile, & bucale argenteum, necnon mappulam, ad lavandas, & tergendas manus Celebrantis, quia id præſtare debent à latere Epiſtolæ, ab eodem latere exeunt à Choro, prædicta deferentes, non verò à latere Evangelii, faciendo totum gyrum Presbyterii; cùm igitur Diaconus debeat pariter incenſare Subdiaconum à latere Epiſtolæ, ab eodem latere egredi magis congruum videtur, quàm à latere Evangelii.

Supereſt hoc ſolummodò advertendum, quòd juxta Ceremoniale prædictorum Clericorum S. Pauli, Diaconus, poſt incenſatum Celebrantem, quia non diſcedit à medio Cappellæ, ſed à latere Epiſtolæ, nullam debet facere genuflexionem, è contrà verò juxta Ceremoniale Clericor. Minor. & Monachorum S. Mauri, præſcribitur talis genuflexio, quam nos quoque approbavimus; in hoc unuſquiſque ſequi poteſt conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ.

LXIII. Gavant. pag. 209. col. 1. n. 42. *Ad Orationem ultimam, &c.*) Circa finem Antiphonæ, quæ repetitur à Choro poſt *Magnificat*, Miniſtri Sacri locant ſe unus poſt alium retro Celebrantem in recta linea, & hoc modo procedent ad medium Altaris cum eodem Celebrante; qui finita Antiphona à Choro, & oſculato Altari, ad Populum conversus dicit: *Dominus vobiſcum*, & proſequitur Miſſam more ſolito uſque ad finem, ùt *ſuprà*, hoc tamen notato, quòd Diaconus dicit: *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*, ùt in Miſſali. Bauldry *ſuprà n.* 20. Biſſus *ſuprà* §. 8. Gerlacus Vinitor *ſuprà num.* 13.

Tandem finita Miſſa, factis debitis reverentiis Cruci Altaris, & Choro, & acceptis birretis de more, redeunt in Sacriſtiam, ubi facta Cruci, vel Imagini debita reverentia, & poſtquàm Sacras Veſtes exuerint, mutua ſibi gaudia Paſchalia annunciant, factis ſibi invicem mutuis reverentiis, & quaſi amplexibus, & idem fit ab omnibus de Choro, & deinde omnes læti in Domino recedunt. Bauldry, Gerlacus Vinitor *ſuprà*, Hippolytus à Portu *ſuprà n.* 16. Halden *ſuprà*.

Poſt Miſſam aliquis Sacerdos, paratus Superpelliceo, Stola, & Velo humerali albi coloris, cum Clericis, faces deferentibus, reportat Pyxidem cum Sanctiſſimo Sacramento ex Oratorio ſecreto ad Tabernaculum ordinarium, ſeu ſolitum. Bauldry *ſuprà num.* 21. Gerlacus Vinitor *ſuprà num.* 14. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. *de Sabb. Sanct.* §. *Reportetur.*

LXIV. Gavant. pag. 209. col. 1. n. 43. *Peractâ Miſſâ quæritur, an aliæ Miſſæ celebrari queant, &c.*) Hoc dubium diſcutitur etiam à Caſtaldo *lib.* 3. *ſect.* 8. & à Biſſo *Lit. S. n.* 7. §. 1. & 2. ubi fatetur, ſe non poſſe refellere ſententiam affirmativam, quia ſcit, nonnullos doctos, & timoratæ conſcientiæ viros, eam in praxi aliquando reduxiſſe; tum etiam, quia multi DD. & quidem ferè in omnibus maximè venerati, eam apertiſſimè tuentur; Verùm nullo modo tenenda eſt prædicta ſententia affirmativa, quia nonnulla emanarunt à Sac. Congregatione, & Summis Pontificibus Decreta, quæ expreſsè prohibent in hac Feria Celebrationem cujuscumque Miſſæ Privatæ, in quacumque Eccleſia, & Oratorio, & non concedunt niſi Celebrationem unius Miſſæ Sollemnis, & Conventualis; Id patet in Decreto edito à S. R. C. die 11. Februarii 1690. approbante PP. Alexandro VIII. die 11. Martii ejusdem Anni, & dato in noſtro Indice ſub n. 495. In alio pariter Decreto edito die 10 Januarii 1693. in una *Galliarum*, quod exhibetur in noſtro Indice ſub n. 504. Denique idem colligitur ex alio Decreto edito die 13. Julii 1697. in una *Januen.* & dato in noſtro Indice ſub n. 515.

LXV. Gavant. pag. 209. col. 1. eodem n. 43. *Quod accidere poteſt, quando Feſtum Annunciationis incidit in Sabbatum Sanctum, &c.*) Prædicto loco Gavantus prius videtur concedere, quòd ſi in Sabbatum Sanctum incidat Feſtum Annunciationis, poſſit à Superioribus concedi facultas celebrandi aliquas Miſſas, ſed non niſi poſt inchoatum ſaltem ſollemne Sacrificium; *n.* tamen 45. tenet, etiam in tali caſu non eſſe celebrandam, niſi unicam Miſſam Sollemnem. Verùm etiam pro talis contingentia facti ſatis proviſum eſt ab Apoſtolica Sede per ſua Decreta, quid faciendum ſit, ſi occurrat prædictum Feſtum in Sabbato Sancto, nimirum eſſe transferendum ejus Officium, una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ad operibus ſervilibus, ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis, quod quidem Decretum editum fuit à S. R. C. die 11. Martii 1690. & eſt illud idem, quod ſuprà innuimus, datum in noſtro Indice ſub *n.* 495. de quo Decreto pariter Sermonem fecimus ſuprà agentes de Ritibus ſervandis in Feria VI. Paraſceves, & iterum ſermonem faciemus de eodem in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Gavanti Commentaria in Rubricas Breviarii Romani. Solùm hic advertimus iterum, quòd ſi Feſtum Annun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annunciationis in dicto caſu, ob Feſtum altioris Ritus occurrens in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis, deberet protrahi, quoad recitationem Officii, non ideò protrahenda eſſet obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus in illa Feria, ſicuti de facto fit, quando accidit tale Feſtum Annunciationis in Feria V. in Cœna Domini, tunc enim, ùt diximus, licèt transferatur Officium, & Miſſa, non tamen protrahitur Feſtum, ſed hoc ſervatur in illa Feria, obſervando præceptum audiendi Sacrum, & abſtinendi ab operibus ſervilibus. Deinde advertendum eſt, quòd licèt modò Feſtum Annunciationis, quando id incidit in Paraſceven, aut Sabbatum Sanctum, ex vi prædicti Decreti, tam in foro, quàm in Choro transferatur, non tamen permittit eadem S. C. ſed potiùs prohibet alia quoque Feſta, ſi quæ accidant in aliqua Diœceſi, ſimiliter in foro transferri, quando die ſuo celebrari Officium, ac Miſſa non poſſunt.

LXVI. Gavant. pag. 209. col. 2. num. 47. *In Octavis Paſchæ diſtribui ſolitus fuit Cerus, &c.*) In utraque Cerei Paſchalis benedictione ab Enodio relata, de qua ſuprà mentionem fecimus, ait ipſe, ab eodem Cereo benedicto decerptas fuiſſe à Fidelibus aliquas particulas contra procellas; Hinc nonnulli arbitrantur Agnos Cereos, qui vulgò Agnus Dei appellantur, originem trahere, de quibus Amalarius *lib.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 16. ait: *Libellus Romanus narrat, eodem die* (ſcilicet Sabbato Sancto) *benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eoſque reſervari uſque ad octavas Paſchæ.* Idem ſcribit Alcuinus, & idem præſcribitur in Ordine Romano, quibus adſtipulatur Durandus *in lib.* 6. *cap.* 79. ubi ſic ait: *Hac die Acolythi Romanæ Eccleſiæ faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paſchalis Anni præcedentis, admixto Chriſmate, qui in Sabbato in Albis in Eccleſiis per Dominum Papam diſtribuuntur.*

LXVII. Gavant. pag. 209. col. 2. num. 48. *Romæ varia eſt conſuetudo, &c.*) Ultra dies à Gavanto deſcriptos, in quibus accendi debet Cereus Paſchalis; placet etiam, immò videtur conveniens uſus accendendi dictum Cereum in Feſtis Apoſtolorum, Patroni, ac Titularis, & Dedicationis Eccleſiæ, & in omnibus Feſtis Sanctorum de præcepto; Immò & in diebus Feſtis Sanctorum, non de præcepto, ſed ſollemniter in Choro celebratis. Item accendi poteſt Cereus in Miſſa non ſollemni, ſed Parochiali die Dominico, & in omnibus Feſtis Sanctorum. Item in Miſſis Votivis ſollemnibus pro re gravi, dummodò non adhibeatur color violaceus, unde non eſt accendendus in Miſſis majorum, minorumque Litaniarum, & in aliis ſimilibus, & à fortiori accendi non debet in Miſſis Defunctorum, licèt cantatis.

Advertendum tamen eſt, quòd in die Sancto Paſchæ accenditur dictus Cereus ad totum Matutinum Sollemne, & Laudes, item in Miſſa, ad Veſperas, & Completorium. Duobus verò ſequentibus diebus Dominicis, & Feſtis Sanctorum accenditur ad Laudes, Miſſam ſollemnem, & Veſperas. Ex Caſtaldo *lib.* 3. *ſect.* 9. *cap.* 8. *n.* 3. *&* 4. Bauldry *ſuprà n.* 24. Memorial. Rituum *ſuprà n.* 17. *de Veſp. Sabb. Sanct. à num.* 1. *ad* 6. *uſque incluſivè.*

LXVIII. Gavant pag. 210. col. 2. num. 49. *Poſtremò à primis Veſperis Aſcenſionis uſque ad finem Evangelii, &c.*) In die Aſcenſionis accenditur ad primas Veſperas, Laudes, & Miſſam ſollemnem uſque ad Evangelium, quo dicto ſtatim extinguitur, & completa Miſſa ſollemni, ſeu Parochiali, removetur à Candelabro, & reportatur in Sacriſtiam, & non ampliùs accenditur, niſi ad Sabbatum Pentecoſtes in benedictione Fontis. Caſtaldus *ſuprà*, & Memoriale Rituum *Majoris Hebdomadæ ſuprà n.* 6.

LXIX. Gavant. pag. 210. col. 2. n. 50. *Candelæ tres, &c.*) Poſt Miſſam, extinctis Cereis Altaris, & Cereo Paſchali, extinguuntur etiam tres ſupradictæ Candelæ in cuſpide Arundinis poſitæ, quæ ampliùs non accenduntur,

duntur, & ideò Arundo ipſa amovetur omnino. Bauldry *ſuprà num.* 21. Memoriale Rituum *ſuprà num.* 33. A Portu *ſuprà num.* 16. §. *Arundinis Candelæ.*

Supereſt nunc, ut exhibeamus ſequentia Decreta, quorum primum eſt -- Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſollemnes, in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis, uſque ad Aſcenſionem; In aliis ſervanda eſt conſuetudo Locorum. S. R. C. 19. Maji 1607. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 68.

Secundum verò eſt -- Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ non ſunt de juribus merè Parochialibus, ùt declaravit S. R. C. die 10. Decembris 1703. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 566.

## De Ritibus peragendis in eodem Sabbato Sancto in Minoribus Eccleſiis.

### De præparandis pro omnibus functionibus in hac die perſolvendis. §. I.

Extra Portam principalem Eccleſiæ præparetur Menſa, cum Mantili albo, & ſuper eam legile parvum, ſeu Cuſſinus, cum Miſſali; Pelvicula, ſeu Patera, cum quinque globulis Incenſi; Thuribulum, & Navicula cum Thure; Vas aquæ benedictæ, cum Aſperſorio; Manipulus, Stola Diaconalis, & Dalmatica albi coloris; Laterna, cum candelula, & lignis ſulphuratis. Item prope dictam Menſam tripes, cum foculo, in quo accendi debent Carbones pro novo igne; Forcipes ferreæ, Arundo ornata, cum tribus candelis in ſummitate.

In Eccleſia paretur Altare majus cum Cruce, & Candelabris feſtivis; Duplex in eo pallium, album ſubtus, & violaceum deſuper; Pes ligneus, vel baſis marmorea in latere Evangelii, pro firmanda Arundine in eodem latere; legile velo albo contectum pro Præconio cantando. Cereus benedicendus aptus in Candelabro magno à latere pariter Evangelii, ùt *ſuprà*; Lampades compoſitæ.

In Abaco ejusdem Altaris præparetur Menſa mantili albo compoſita, Miſſale pro Præconio, & Miſſa, Calix cum ornamentis albi coloris, Pelvicula, cum urceolis Vini, & Aquæ, & cum Manutergio.

In Sacriſtia præparentur quatuor Superpellicea pro Clericis. Amictus, Alba, Cingulum, Stola, & Pluviale coloris violacei; Item Manipulus, & Planeta violacea, nec non Manipulus, Stola, & Planeta coloris albi. Velum pro humeris albi coloris, & Cerei pro aſportatione Pyxidis; & Crux Proceſſionalis.

In Baptiſterio ſi adſit, præparentur ea, quæ diximus *ſuprà.*

### De principio Officii uſque ad benedictionem Cerei. §. II.

Extra Eccleſiam excutitur à Sacriſta, vel ab alio, novus ignis è ſilice, & accenduntur Carbones in foculo, & hora competenti quatuor Clerici accipiunt Superpellicea in Sacriſtia, & diſponunt omnia ſuis locis. Dato ſigno cum Crotalo, Celebrans, lotis manibus, accipit Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, & Pluviale coloris violacei, & deinde procedit ad Portam principalem Eccleſiæ hoc ordine.

Primus Clericus manibus junctis, tertius Clericus cum Cruce proceſſionali, Celebrans inter duos Clericos.

Extra portam Clericus cum Cruce ſiſtit in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi verſa ad Celebrantem. Celebrans ante Menſam, collocatam inter ipſum, & Crucem, ibidem ſtans, ex Miſſali poſito ſuper legile, legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana Incenſi, quæ dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, & ponit in Thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione, & oſculis, incenſum in Thuribulo, deinde aſpergit ignem, & grana, & eadem poſteà thurificat; idem Celebrans, poſt redditum Thuribulum Thuriferario, deponit Pluviale, & Stolam coloris violacei, & accipit Manipulum, Stolamque Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris; interim ſecundus Clericus cum aliquo ligno ſulphurato accendit candelam de novo igne, & recondit in laterna, & alius Clericus accipit pateram cum granis Incenſi: Celebrans iterum ponit Incenſum in Thuribulo, cum benedictione, & oſculis, poſteà accipit Arudinem, & proceditur ad benedictionem Cerei ordine ſequenti.

Primò, Clericus cum granis Incenſi à dexteris, & Thuriferarius à ſiniſtris. Secundò, tertius Clericus cum Cruce; Celebrans cum Arundine, & alius Clericus cum laterna à ſiniſtris ejus; Clerici cum granis, Thuribulo, & Cruce ingrediuntur Eccleſiam, & ſiſtunt, quando Celebrans ingreſſus fuerit januam Eccleſiæ. Celebrans ingreſſus Eccleſiam inclinat Arundinem, & accenſa ex candela laternæ, ſive ex ligno ſulphurato una ex tribus candelis Arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantùm Clerico Cruciferario, & ſic genuflexus clara voce dicit: *Lumen Chriſti:* tum ſurgentibus omnibus, & Clerici, ſeu Sodales alicujus Confraternitatis, ſi adſint, reſpondeant: *Deo gratias*; & alia vice facit ùt ſuprà, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice: *Lumen Chriſti*, ùt ſuprà.

## De Benedictione Cerei. §. III.

His omnibus peractis, & data Arundine alicui Acolytho, ſeu alicui Sodali, Celebrans genuflexus (accepto priùs libro de manu alicujus Acolythi, ſeu Sodalis, ùt ſuprà) ante Altare in infimo gradu, prætermiſſo *Mundator meum*, dicit tantùm: *Jube Domine benedicere*, & ipſemet ſubdens dicit: *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, ut dignè, & competenter annunciem ſuum Paſchale Præconium.* Deinde ſurgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine. Primò, Thuriferarius habens à dexteris quartum Clericum cum granis Incenſi; Secundò, tertius Clericus cum Cruce, habens à ſiniſtris ſecundum Clericum cum Arundine; Tertiò, Celebrans cum Miſſali.

Cùm pervenerint ad legile ſupradicti, apud illud ſe diſponunt in recta linea, ùt ſuprà, & vertent faciem, ſicùt Celebrans, juxta noſtram ſententiam, non ad partem Aquilonarem, ſed ad Meridionalem, & latera ſiniſtra ad Altare, ùt facilius Populus audire poſſit Præconium Paſchale.

Celebrans, poſito Miſſali ſuper legili, illud apertum incenſat, ùt ſuprà diximus, & poſteà clara, & hilari voce incipit Præconium: *Exultet, &c.* Ad verba: *Curvat imperia*, infigit grana Incenſi prout *ſuprà*, & ad alia verba: *Rutilans ignis*, accendit Cereum ex una candelarum Arundinis: ad verba: *Apis Mater eduxit*, quieſcit, donec quartus Clericus ex Cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito Præconio, Celebrans claudit Miſſale, ſecundus Clericus firmat Arundinem in ſua baſi; tertius deponit Crucem à latere Epiſtolæ, vel eam defert in Sacriſtiam; deinde præcedentibus Thuriferario cum Clerico de granis à ſiniſtris, ac ſecundo, & tertio Clerico, facta

factâ genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacriſtiam; ibique depoſitis Paramentis Albis, accipit Manipulum, Stolam, & Planetam coloris violacei.

## De Prophetiis. §. IV.

Celebrans ita paratus, præcedentibus Clericis, procedit ad Altare, & facta Cruci genuflexione, aſcendit, oſculaturque illud in medio, deinde accedens in cornu Epiſtolæ, ſuper Miſſali ab aliquo Acolytho ibi aſportato, alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, & Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua*, cui Clericus ſurgens reſpondet: *Levate.*

Si tamen erit numerus ſufficiens Acolythorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, & tunc Celebrans eas ſubmiſſa voce legit; ita etiam ſi erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans, ùt diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans deſcendit in planum, & facta genuflexione Cruci, procedit ad ſcabellum, ſive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Manipulum.

Si Eccleſia habuerit Fontem Baptiſmalem, Celebrans accipiet Pluviale violaceum; ſi autem Fontem non habet, accedit ſine Caſula ante Altare pro Litaniis, ut infrà.

## De Benedictione Fontis. §. V.

Si benedicendus ſit Fons Baptiſmalis, primus Clericus amovet Cereum accenſum è Candelabro, & accedit ante Altare. Tertius Clericus accipit Crucem, & ſimiliter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem ſedentem ſuper aliquo ſcabello, qui ſurgens incipit alta voce Tractum: *Sicut Cervus, &c.* quem lentè proſequitur cum ſuis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Proceſſio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altari, hoc ordine. Primò Clericus cum Cereo; Secundò Clericus cum Cruce; Tertiò Celebrans, medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Cùm ad Fontem pervenerit, peragit omnia, ùt *ſuprà*, extollendo, & deprimendo vocem, etiamſi non cantet, ùt in Miſſali, & ipſemet aſperget Populum de aqua, quam benedixit, ſuo tempore, & baptizat in Paramentis albis, ſi aliqui ſint, quos catechizaverit ante Officium, & in Eccleſiam introduxerit eodem modo, quo ſuprà diximus.

## De Litaniis, & Miſſa, cum Veſperis, &c. §. VI.

Completa Fontis benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & depoſito Pluviali, procumbit ad Altare ùt ſuprà, ſi aliquis cantet, vel legat Litanias; ſi verò ipſemet recitat, tunc non proſtratus, ſed genuflexus manet, & eo caſu non dicit in fine *Kyrie eleiſon*, ſed diſcedit ad veſtiendum ſe pro Miſſa celebranda in Paramentis albis, & interim removetur Pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & accenduntur candelæ. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho Calix ſuper Altare, & præparatur Miſſale ſuper cuſſino albo; deinde Celebrans indutus Paramentis albis, revertitur ad Altare (Clerico præcedente) ante cujus gradus facit Confeſſionem de more cum Pſalmo *Judica me Deus, &c.* ſi adſint aliqui Clerici Cantores, ſive Laici, qui ſciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleiſon* (licèt reliquum Officium ſine cantu celebratum fuerit) ſin autem non adſit Chorus, ipſe Celebrans juxta morem, facta Confeſſione, aſcendit ad Altare, & in ejus medio poſt Orationem

*Auſu*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Auſer à nobis*, dicit immediatè *Kyrie eleiſon*, ùt aliàs, cùm non legatur Introitus. Si hæc Miſſa, ùt dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamſi celebretur ea ſine Miniſtris Sacris, non obſtante ſequenti Decreto -- In Miſſa Conventuali dierum ſollemnium, quæ abſque cantu & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio, ùt reſpondit S. R. C. die 22. Januarii 1701. in una *Camaldulenſium ad* 11. *dubium* -- Ex dicto enim Decreto, colligitur, quòd ad faciendam hanc thurificationem ſufficiat, ſi Miſſa celebretur cum cantu, etiamſi ſine Miniſtris. Finita autem tali incenſatione, tunc dicet *Kyrie* in cornu Epiſtolæ, & deinde rediens ad medium Altaris, cantat, vel dicit *Gloria in excelſis*, & pulſantur Campanæ, ùt ſuprà diximus.

Poſt Epiſtolam, Celebrans dicit ter *Alleluja*, elevando gradatim vocem, & Clerici poſt quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & Celebrans proſequitur ℣. & Tractum. Reliqua omittit, vel dicit proùt in Miſſali. Loco Antiphonæ, *Communio*, dicuntur Veſperæ, ùt in Miſſali, videlicèt, Celebrans in cornu Epiſtolæ dicit Antiphonam *Alleluja*, *&c.* & cum Clericis proſequetur Pſalmum *Laudate*, *&c.* & in fine repetitur *Alleluja*; deinde ſubdet Antiphonam: *Veſpere autem Sabbati*, *&c.* cum cantico *Magnificat*.

Si Miſſa ſit in cantu, ùt *ſuprà*, incenſare poterit oblata, & Altare, quod etiam incenſabit ad prædictum Canticum *Magnificat*.

Finita Miſſa, Celebrans, præcedente Miniſtro, deferente Miſſale, redit in Sacriſtiam de more.

Minutiores Ritus & Ceremonias hic omiſimus, quia Celebrans reſpectivè ſervare poterit alia, quæ ſuprà diximus de hac ſacra functione, ſervatis ſervandis pro Eccleſiis Minoribus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos, paratus Cotta, & Stola alba, ac Velo humerali, reponit Sanctiſſimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo ſolito, à quo ampliùs non removetur, niſi neceſſitas ad id cogat. Ex Memorial. Rit. *pro Eccleſ. Minor.* ex Bauldry *part. 4. cap. 11. art. 6.* & ex Turrino *part. 3. ſect. 2. cap. 3. §. In Minor. Eccleſiis.*

Terminatis Commentariis, & Obſervationibus in Rubricas, quæ in Miſſis, & Officiis Quadrageſimalibus exactè obſervantur ab Eccleſia Latina, ſupereſt nunc, ut te moneamus, benevole Lector, ideò nos de Ritibus, qui toto Quadrageſimali tempore in Eccleſia Græca peraguntur, pauca tradidiſſe, quia de iis Gavantus noſter, cujus veſtigiis inſiſtimus, nullam ferè mentionem fecit. Quisquis tamen de Ritibus Quadrageſimalibus prædictæ veteris Eccleſiæ Græcæ inſtrui perfectè deſiderat, legere poterit ejus Officium Quadrageſimale recèns recognitum, & caſtigatum ad fidem præſtantiſſimi Codicis Barberini, quod in latinum ſermonem convertit, & doctiſſimis etiam Diatribis illuſtravit, linguis Orientalibus, & omnigena eruditione ornatiſſimus Angelus Maria Quirini S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus. De Ritibus verò ſervari ſolitis ab Eccleſia Græca in Vigiliis noctis præcedentis, necnon in tota die Dominicæ Paſſionis, ſeu Feria VI. in Paraſceve majoris Hebdomadæ, opuſculum edidit noſter piiſſimus pariter, & doctiſſimus Cardinalis Thomaſius ſub titulo: *Officium Dominicæ Paſſionis*, *&c.* quod latino ſermone donavit, illud deſumendo ex diverſis Græcorum libris, ſcilicet *Typico S. Sabæ*, *Triodio*, *Euchologio*, *Evangeliſtario*, *Horologio*, *Anthologio*, græcè edito in alma Urbe ſub Clemente VIII. & *Horologio* Monaſterii Cryptæ Ferratæ in Agro Tuſculano græcè pariter typis expreſſo Anno 1677.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

## Tit. XI. De Die Sancto Paſchæ, uſque ad Feſtum Trinitatis.

## Pro die Paſchæ Reſurrectionis, ejuſque Octava.

I. Gavant. pag. 210. col. 1. num. 1. *Celebratur ſemper in Dominica, ex auctoritate S. Petri, &c.*) Hildemarus in ſuo Commentario Regulæ S. Benedicti, cit. ab Edmundo Martene in ſuo pariter Commentario, *in Cap.* 8. dictæ Regulæ, aſſeruit, *quòd Paſcha antiquitus in Eccleſia quartadecima Luna celebrabatur, quocunque die occurreret, quem Ritum SS. PP. in Nicæna Synodo prohibuerunt, conſtituentes non ſolùm Lunam Paſchalem, & Menſem inquirere, ſed etiam in die Reſurrectionis Dominicæ obſervare:* hæc Hildemarus, qui tamen hallucinatur (ùt optimè obſervat Martene) in eo, quòd adſtruit, Luna quartadecima, quacumque accidiſſet die, antiquam Eccleſiam celebraſſe Paſcha. Nam multò ante Synodum Nicænam aliter decreverat Victor Romanus Pontifex, ùt mox *infrà* videbimus, coacto Romæ Concilio adversùs Aſianos, qui à communi Eccleſiæ conſuetudine diſceſſerant.

II. Gavant. eodem num. 1. *Item ex Decreto Pii, &c.*) Veriſſimum eſt, quòd S. Pio Pontifici I. qui anno Domini 141. Eccleſiam Chriſtianam regendi onus ſuſcepit, tribuitur Decretum de celebrando Paſchate die Dominico; ſed Epiſtolam Decretalem Pii, ex qua id conjicitur, veluti ſuppoſititiam, viri eruditi rejiciunt. Prætereà, quamvis Decretum illud à Pio editum eſſe, legatur in Chronico Euſebii his verbis: *Sancitum eſt à Pio, ut Reſurrectio Dominica, die Dominico celebretur, quod à pluribus poſteà Pontificibus confirmatum eſt;* Arnaldus tamen Pontacus in notis teſtatur, illa verba non reperiri in MSS. Codicibus Chronici Euſebiani, ideoque cenſet ex eo penitus abradi debere; cùm præſertim ex ipſomet Euſebio ſuprà à nobis citato perſpicuum ſit, morem celebrandi Paſcha die Dominico ab ipſis Apoſtolis emanaſſe; Quare Joſephus Scaliger in nova editione Chronici Euſebii, ex eo verba illa expunxit.

III. Gavant. cod. num. 1. *Et ex Decreto Victoris, &c.*) Certiſſimum eſt Victorem Pontificem Romanæ Eccleſiæ ſecundo labente Seculo, congregaſſe in Urbe Synodum, in qua ſancitum eſt, non decima quarta Luna primi menſis, ſed Dominica poſt Lunam decimam quartam occurrente, Paſcha eſſe celebrandum, juxta Sanctorum Petri & Pauli traditionem, ùt ſcribit Euſebius *lib.* 5. *cap.* 23. idque ſub pœna excommunicationis, reclamantibus licèt Aſianis, maximè Polycrate Epheſino Epiſcopo. Quòd prædictæ Romanæ Synodo adfuerint quatuordecim Epiſcopi, tradit Auctor Libelli Synodici, quos inter viri doctiſſimi Baronius, Binius, Labbæus numerant Theophilum Cæſarienſem, quamvis id à Pagio, Tillemontio, aliiſque negetur. Verum tamen eſt, quòd idem Theophilus, fretus auctoritate Victoris Romani Pontificis, Concilium Cæſareæ in Palæſtina eadem de cauſa coegit, cujus fragmentum extat apud Bedam de Æquinoctio vernali. Rationes, quibus permotus fuit Victor ad ſanciendum tale Decretum, fuere, ne communicemus cum Judæis Chriſti interfectoribus, celebrantibus ſuum Paſcha ſemper Luna quartadecima primi Menſis, quacunque accidat die; & ut in tota Eccleſia ſit una ratio Paſchatis celebrandi, & pauci Orientales Judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribuſque Orientalibus Populis, & Epiſcopis aliter ſentientibus, ſe conformarent. Prædictum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dictum Decretum Victoris in Synodo Arelatenſi habita Anno 314. confirmatum fuit; in Concilio Nicæno I. Oecumenico, Anno 325. æquitas prædicti Decreti pariter remanſit approbata, Victoriſque conſtitutum plenè confirmatum; & denique in *Concilio Antiocheno* Anno 341. *Can.* 1. iterum inſtauratum fuit. Thomaſſinus *in Tract. de dierum Feſtorum celebrat. libr. 2. cap.* 15. fusè pertractat hanc diſceptationem de Paſchali die, & quomodò ſe geſſerit Victor Romanus Pontifex, & quomodò prædicta Concilia ejuſdem Decreto adhæſerint. Baillet pariter *tom. 4. pag. 9. & ſeqq.* eruditè diſſerit ſuper eadem materia.

IV. Gavant. pag. 210. col. 1. n. 2. *Non tamen dicitur tertia Oratio, &c.*) Sicùt in Feriis occurrentibus poſt Dominicam Paſſionis, ſi occurrat Feſtum ſimplex, non debet dici tertia oratio *Eccleſiæ, vel pro Papa*, ùt oſtendimus in noſtris Obſervationibus ſuprà *ad Tit. VII. num. 4.* & id probavimus tum ratione, tum auctoritate plurium Decretorum S. R. C. necnon aliorum Auctorum, contra ſententiam Caroli Guyeti; de qua re ſermonem etiam habuimus in noſtris pariter Obſervationibus *ad Tit. IX. Primæ partis num. 6. & ſequentibus*; nec etiam infra hanc Octavam Paſchatis, occurrente Feſto ſimplici, debet dici tertia Oratio juxta ſententiam Guyeti, ſed duæ tantùm, omiſſa illa, quæ præſcribitur dicenda *Eccleſiæ, vel pro Papa*, poſt Orationem diei.

V. Gavant. pag. 210. col. 1. num. 3. *Sequentia Auctorem habet hactenus incognitum, &c.*) Supradictæ Sequentiæ, quæ incipit: *Victimæ Paſchali*: Auctorem eſſe Hotgerum, Ducis Sueviæ Filium, & Abbatem S. Galli, aſſerit Herrera Scriptor recentior *Lib. 2. de Origine, & progreſſu Rituum Miſſæ cap.* 12. relatus à Cardin. Bona de Rebus Liturgicis *lib. 2. cap. 6. num.* 6. Alii verò tribuunt talem Sequentiam Hermanno Contracto Teutonico, qui fuit Aſtrolabii inventor, ita Bellotte *in ſuis Obſerv. pag.* 416. & Poſſevinus in Apparatu *tom.* 2. unde verum eſt, quod ſcribit Gavantus, incertum eſſe talis ſequentiæ Auctorem.

VI. Sicùt in quacunque Miſſa Votiva Sollemni pro re gravi, non debet dici *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*, ita in eadem Miſſa Votiva, ſi celebretur hoc tempore, non dici debet. Neque etiam dici debet in tali Miſſa hoc tempore celebrata *Graduale* (quamvis præfatum Graduale dicatur in Miſſa de hac Octava, cùm ſit proprius Ritus Paſchalis) ſed tantùm duo *Alleluja, &c.* Bauldry *part. 4. cap. 12. num.* 7. Corſettus de die Sancto Paſchæ *Tract.* 1. *part. 2. cap.* 9. Gavantus *part. 4. tit. 17. n.* 12. Halden *part. 1. tit.* 21. *de Feſto Sancto Paſchæ, ejuſque Octava*, qui etiam notat, quòd in dictis Miſſis dicenda eſt *Præfatio Paſchalis*, niſi habeat propriam, item *Communicantes*, & *Hanc igitur, &c.* ùt in Miſſa de die recurrente.

## De Ritibus ſervandis ab Octava Paſchæ, uſque ad Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis.

VII. Gavant. pag. 211. col. 1. n. 6. *Dominica in Albis meminit, &c.*) Dominica in Albis (hoc eſt prima poſt Paſcha) eſt Dominica major primæ Claſſis, adeoque privilegiata contra quodcunque Feſtum in ea occurrens, quod proinde eſt transferendum in diem aliam proximè non impeditam, juxta Rubricam Generalem *de Tranſlatione Feſtorum.* In Eccleſiis tamen, in quibus hodie, vel occurrit Titulus, ſeu Feſtum titulare Eccleſiæ, & ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, eſt hodie concurſus Populi, poſſunt hac Dominica cantari duæ Miſſæ, una de die, altera de Feſto, aut

ſaltem fieri commemoratio de Feſto, de quo hodie non licet celebrare Officium, ùt habetur reſpectivè in eadem Rubrica. Vocatur autem hæc Dominica in Albis, quia hodie, teſte S. Auguſtino ſerm. 1. in Octav. Paſchæ, *Neophytorum habitus commutatur*; Ubi tamen monet: *id ita faciendum, ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.*

De Feria II. poſt Dominicam in Albis, aliqua occurrunt dicenda, poſt Decreta edita Anno 1650. die 11. Febr. & 11. Martii, nimirum -- Si Feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis B. M. V. occurrat in Feria VI. Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur unà cum præcepto audiendi Miſſam &c. ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis, etiam quocunque alio Feſto impeditam; Ita ut eadem Feria, prædicto caſu eveniente, pro Sede propria, & fixa, memorato Feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita, intelligatur, & in illa, eo prorſus modo, & forma, præfatum Feſtum, quoad Officium, & Miſſam, celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur -- Quibus Decretis poſitis, & declaratis etiam ab Innocentio XII. die 14. Junii 1692. ùt apparet in ejus Bullario, deducitur primò, quòd ſi Annunciationis Feſtum, ob Feſtum aliud altioris Ritus non translatum, ſed in hac ipſa Feria II. occurrens, aliquando alibi ſit transferendum, ùt etiam aliàs diximus, non tamen propterea transfertur obligatio audiendi Miſſam hac die, & vacandi ab operibus ſervilibus.

Deducitur ſecundò, quòd prædicta Feria II. quia vigore dictorum Decretorum intelligitur pro Sede propria, & fixa, & in ea prorſus agendum, ùt die 25. Martii; Erit idcirco genuflectendum ad *Incarnatus eſt* in Miſſa ſollemni (quando cantatur dictus Verſiculus) à Choro, ùt præſcribit Ceremoniale Epiſc. *lib. 2. cap. 8. num. 53.*

Deducitur tertiò, quòd in prædicta Feria II. poſt Dominicam in Albis, abſtinendum erit à Celebratione in Oratoriis privatis, prout abſtinendum eſt die 25. Martii, nam Annunciatio eſt unus ex diebus exceptis in Decreto evulgato die 17. Novembris 1607. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 74.

Toto tempore Paſchali, in Miſſis tam Feſtivis, quàm Votivis, additur in fine Introitus ante Pſalmum duplex *Alleluja.* Unum item ad finem Offertorii, & unum ad Communionem, niſi jam antecedenter in illis reperiatur. Tunc enim juxta Rubricas nullum aliud eſt addendum ibi jam poſitis, aut poſito. Poſt Epiſtolam verò non dicitur Graduale tempore Paſchali, ſed tantùm dicuntur duo ℣℣. cum quatuor *Alleluja*, duo ſcilicet ante primum ℣, tertium poſt primum ℣, & quartum poſt ſecundum ℣, quæ omnia declarantur in Rubrica præfixa Feſto Annunciationis B. M. V. & poſt Commune plurimorum Martyrum tempore Paſchali. Ab hac Feria II. poſt Octavam Paſchæ, uſque ad Aſcenſionem, poſt Orationem diei (niſi ſit Feſtum duplex) dicitur ſecundo loco Oratio contra Perſecutores Eccleſiæ, vel pro Papa, prout notatur in Rubrica Miſſalis Romani, poſt Dominicam in Albis.

VIII. Gavant. pag. 211. col. 1. n. 7. *Occurrunt in hoc tempore Paſchali Litaniæ Majores, & Minores, ſeu Rogationes, &c.*) Quamvis Græca vox *Litania* ſignificet omnem ſeriam, & ardentem precationem, ut notat Card. Bona *cap.* 18. *Divinæ Pſalmodiæ* §. 4. nihilominùs uſu receptum eſt, ut Litaniæ nomen uſurpetur pro certa quadam Eccleſiaſticæ ſupplicationis ſpecie, qua Dei miſericordiam, Sanctorumque patrocinium invocamus, quorum uſum etiam primis Eccleſiæ Seculis, in Libello primo de Litaniis eruditiſſimè comprobat Nicolaus Serrarius tot antiquorum PP. ſententiis, tot veteris Hiſtoriæ exemplis, & tot validis rationum momentis, ut nec ejus diligentiæ quidquam

addi

addi poſſit, nec ſectarii novatores tam inſignia antiquitatis teſtimonia ulla valeant exceptione ſubmovere, ut ait Cardin. Bona *loc. cit.*

Litania etiam interdum pro ſolo *Kyrie eleiſon* uſurpatur, ùt conſtat ex Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiis.

Quoniam verò multoties ſolent Litaniæ hujuſmodi, vel aliæ preces proceſſionaliter decantari, ipſa multitudo cantantium, & procedentium, Litania appellatur ab Ordine Romano, & ab aliis; ſic Abbas Johannes in Prato Spirituali *cap.* 210. narrans cujuſdam Epiſcopi humilitatem, pertranſeunte, inquit, Litania, id eſt Proceſſione, &c. Ita etiam Litania ſeptiformis, quam D. Gregorius PP. inſtituit, ob ingruentem inguinariam peſtilentiam, ſignificat ſeptenariam Proceſſionem, quam ipſe deſcribit in Sermone, quem ad Populum Romanum habuit, & qui exhibetur *lib.* 11. *ſui Regiſtri epiſt.* 2. ubi S. Pontifex ait -- Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B. Johannis Baptiſtæ. Litania Virorum ab Eccleſia B. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Eccleſia Martyrum Johannis, & Pauli. Litania Ancillarum Dei ab Eccleſia BB. Martyrum Coſmæ, & Damiani. Litania Fœminarum conjugatarum ab Eccleſia B. primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Eccleſia B. Martyris Vitalis. Litania Pauperum, & Infantium ab Eccleſia B. Martyris Cæciliæ -- En igitur nomen *Litania* hic ſignificare Proceſſionem, & concurſum Populi procedentis ad aliquam Eccleſiam. Prædictam Litaniam, quam S. Pontifex, ſtatim ac ad Apoſtolicam Cathedram evectus fuit, ad iram Dei placandam, graſſante lue, indixit in Baſilica S. Sabinæ, ſub die 4. Kalend. Septembris indictione nona; Septiformis vocatur ab eodem Pontifice, quia ſupplicatio illa ſollemnis, in ſeptem præcipuis Urbis Eccleſiis facta eſt, vel potiùs, quia Proceſſiones illæ ex variis perſonarum cœtibus compoſitæ à ſeptem prædictis deſignatis Eccleſiis egredi debebant, & ad Eccleſiam Sanctæ Genitricis Domini, omnes convenire, ùt liquet ex eodem Sermone S. Gregorii. Ex quo S. Gregorius, tantæ cladis expiandæ gratia, prædictas ſupplicationes publicas per ſeptem Eccleſias univerſo Clero, ac Populo Romano in ſeptem Claſſes diſpertito, indixit, Ordo Romanus, Walafridus, Micrologus, Rupertus, Honorius, Durandus, necnon recentiſſimi PP. Benedictini Gregorianorum operum illuſtratores *in Appendice ad Epiſtolam ejuſdem Pontificis tom.* 2. *pag.* 1284. præfatum Pontificem aſſerunt inſtitutorem fuiſſe Litaniarum majorum, quas die 25. Aprilis quotannis tota Occidentalis Eccleſia celebrat. Verùm præfati Auctores, & alii, qui in eandem ſententiam abierunt, non conſiderarunt id, quod S. Pontifex prædictus adſtruit in alia Litania majori, quam pariter indixit tredecim poſt Annis à prædicta ſeptiformi jam inſtituta, nempe Anno 603. De hac igitur alia Litania majori inſtituta Anno 603. ſermo habetur *in epiſt.* 1. *lib.* 2. *ſui Regiſtri*, ubi legitur: *Sollemnitas annua devotionis, Filii chariſſimi, admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare*; ex quibus verbis rectè obſervat Guſſanvillæus in notis ad hanc Epiſtolam, Litaniam, quæ major appellatur à D. Gregorio, ipſo valdè antiquiorem fuiſſe, cùm ibi tanquam de re jam inſtituta, annuam illarum Litaniarum celebritatem indicet illis verbis: *Sollemnitas annua devotionis, &c.* Hæc autem Litania non eſt confundenda cum illa, de qua mox ſuprà, & quæ ſeptiformis ab eodem Papa appellata fuit, nam iſta non fuit ſequentibus Annis celebrata. Secunda igitur hæc Litania, de qua nunc eſt Sermo, non erat ſeptiformis, quia, non à ſeptem Eccleſiis, ſed ab unica tantùm Eccleſia, nempe B. Laurentii Martyris, quæ appellatur Lucinæ, egrediebatur, & ad Baſilicam S. Petri terminabat,

nabat, ùt colligitur ex Concione ipſius S. Gregorii contenta in præfata Epiſtola, in qua hæc leguntur -- Conſiderare etenim nos convenit, dilectiſſimi, quòd variis, continuisque calamitatibus, pro noſtris culpis, atque offenſionibus affligamur, & qualiter cœleſtis pietatis nobis ſubinde medicina ſubveniat. Sexta igitur Feria veniente à titulo B. Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes, ad B. Petrum Apoſtolorum Principem, Domino ſupplicantes, cum hymnis, & canticis ſpiritualibus properemus, ut ibidem ſacra myſteria celebrantes, tam de antiquioribus, quàm de præſentibus beneficiis pietati ejus, in quantum poſſumus, referre gratiam mereamur -- Ex quibus Gregorii verbis iterum patet, jam tunc Proceſſionem hanc fuiſſe ordinariam; unde non ab ipſo inſtituta fuit, ſed tantummodò ab eo fuit indictum, ut talis Proceſſio ad S. Petri Baſilicam terminaret, & hinc eſt, quòd Eminentiſſimus Baronius in notis Martyrologii 25. Aprilis ait: Dictas Litanias Gregorium non ſimpliciter inſtituiſſe, ſed tantùm præſcripſiſſe terminum dictæ Proceſſionis ad S. Petrum. Laudati PP. Benedictini *loc. cit.* ex eo, quòd hanc Litaniam terminari S. Pontifex jubeat ad S. Petrum, exiſtimant, Epiſtolam hanc eſſe ſuppoſititiam, putantes eam pugnare cum dictis in Sermone de mortalitate, in quo ſtatio indicitur ad Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis. Verùm ſi animadvertiſſent, Sanctum Gregorium in illis duobus locis non de una ac eadem Litania agere, eam profectò opinionem exuiſſent. Inter igitur primam & ſecundam ex dictis Litaniis, hoc intervenit diſcrimen, quòd prima pro ingruente calamitate, & ad ſubmovendum peſtilentiæ inguinariæ flagellum, primùm indicta fuit Anno 590. & in Menſe Auguſti die 29. ac per triduum, ùt aliqui tenent, fuit celebrata, de qua re agunt Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *Hiſtoriæ cap.* 1. Paulus Diaconus *lib.* 3. *de Feſtis Longobardorum cap.* 1. & Johannes Diaconus *in Vita S. Gregorii lib.* 1. *cap.* 34. *& ſeqq.* Secunda verò jam erat ante Gregorii ævum inſtituta, & jam facta anniverſaria, ùt patet ex illius verbis, & deinceps ſaltem verno tempore, & diei 25. Aprilis adhæſit addicta, ùt colligitur ex Sacramentario ejuſdem Gregorii à Pamelio edito, ubi talis Litania major ſic adnotatur -- *VII. Kalendas Maji*, id eſt 25. die Menſis Aprilis, *Litania major ad S. Laurentium in Lucina.*

Ex hucuſque dictis patet, hanc Litaniam non ideò majorem fuiſſe appellatam, quià D. Gregorio Magno fuerit inſtituta, cùm ex ipſomet Sancto Pontifice habeatur, quòd jam anteà ab omnibus Litania major appellaretur; hoc nomen igitur ſortita eſt hæc Litania, ſeu Proceſſio, vel quia ex toto Clero, tam Seculari, quàm Regulari, & ex magno Populi concurſu componebatur, vel potiùs ob longitudinem itineris, quia, ùt colligitur ex mox allegato Sacramentario Gregoriano à Pamelio edito, *ſeptimo Kalendas Maji*, id eſt 25. Menſis Aprilis egrediebatur hæc Proceſſio ab Eccleſia *S. Laurentii in Lucina*, ubi recitata ſuper Populum Collecta, quæ incipit: *Mentem familiæ tuæ, &c.* procedebat ex Porta Flaminia ad Eccleſiam S. Valentini, in qua recitabatur alia Collecta, quæ incipit: *Deus, qui culpas, &c.* deinde proſequebatur ſuum iter uſque ad Pontem *Olbi*, ſeu *Molbi*, quem Pamelius eundem eſſe Pontem exiſtimat, qui olim *Molvius* dicebatur, è quo Maxentius Imperator cum toto exercitu præcipitatus, periit. Hic Pons à Latinis dicitur *Milvius*, ab Italis *Ponte Molle*, & in antiquiſſimo Codice Illuſtriſſimi Paſſionei *Pons Molvius* appellatur; quò cùm pervenerat dicta Proceſſio, dicebatur altera Collecta, quæ in laudato Sacramentario inſcribitur *ad Pontem*, & incipit his verbis: *Parce Domine, &c.*

De

De ſupradicta Eccleſia S. Valentini, quæ in via Flaminia reperiebatur, & quæ nunc deleta eſt, mentio fit à Floravante Martinello in ſua *Roma Sacra pag.* 405. ubi ait, Benedictum Secundum eam adornaſſe, & Panvinium eandem appellaſſe *Abbatia juxta Pontem Milvium*, in qua ejuſdem S. Valentini Corpus requievit. Opinatur idem Martinellus, quòd hujus Eccleſiæ reliquum reperiatur nunc in Vinea Fratrum S. Auguſtini; videri poteſt etiam Boſius *lib.* 3. *cap.* 65.

Reſumendo ſermonem itineris facti à prædicta Proceſſione majori; hæc à Ponte Molvio poſt recitatam ibi Collectam, pergebat uſque ad Crucem, ùt habetur tam in Sacramentario Pamelii, quàm in MS. Codice præſtantiſſimi Paſſionei, poſt à ad S. Petrum terminabat, in cujus atrio recitabatur altera Collecta, quæ incipit: *Adeſto Domine, &c.* & in Eccleſia Miſſa celebrabatur.

Ad ſuprà memoratam Crucem pariter recitabatur Collecta, quæ incipit: *Deus, qui culpas noſtras, &c.* ùt liquet ex Sacramentario Pamelii. Olim Crucis Oratorium, ſeu Cappella reperiebatur prope Eccleſiam D. Petri; vulgatus Anaſtaſius Bibliothecarius de hoc certos nos reddit in Symmacho. Et in Leone III. vocat Oratorium, & Monaſterium Hieruſalem. Et in Leone IV. vocat Oratorium, & Monaſterium Hieruſalem. Et in Leone IV. vocat Monaſterium Venerabile Hieruſalem juxta Eccleſiam B. Petri. Iſta Cappella, ſeu Oratorium Anno 1611. ſublatum fuit, novi Templi ædificandi gratia, de quo pariter mentionem facit prædictus Martinellus *pag.* 353.

Ex ſuprà aſſertis liquet, quòd hujuſmodi Litaniæ non ſunt dictæ majores ob differentiam aliarum, quæ fiunt triduo ante Aſcenſionem, quæ minores appellari ſolent, nam hæc, de qua nunc loquimur, Litania *major* appellabatur, antequàm Rogationes receptæ eſſent ab Eccleſia Romana, quod ſub Leone III. factum eſt Anno 801. quo fortaſſe tempore Rogationes appellari cœperunt Litaniæ minores, ut ab hiſce majoribus, quæ VII. Kalendas Maji fixæ celebrantur, diſtinguerentur. Igitur antiquitus etiam Litaniæ Rogationum in Concilio Moguntino Anno 813. & in aliquibus MSS. Codicibus, majores dictæ ſunt, id obſervante Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap.* 27. forſan quia ſicùt iſtæ, de quibus nunc agimus, majores appellabantur, quia à principio majori ſollemnitate fuerunt inſtitutæ, & celebratæ, videlicèt majori concurſu tum Eccleſiaſticorum cum præſentia Pontificis, tum Secularium, ùt ſuprà innuimus, & majori cum apparatu; ita Litaniæ Rogationum, quando, & ubi fuerunt inſtitutæ, relatè ad alias Litanias, quæ minori concurſu celebrabantur, majores illæ quoque alicubi vocatæ fuerunt.

Cæterùm quamvis prædictas Litanias majores aliqui, immò plures affirment, fuiſſe inſtitutas, & compoſitas à D. Gregorio Magno, ab aliis tamen validè, ùt ſuprà pariter innuimus, hæc opinio refellitur, ſiquidem in pluribus Conciliis, quæ præceſſerunt D. Gregorium, ùt videre eſt apud Suarez *lib.* 3. *de Oratione vocali cap.* 9. *n.* 26. fit mentio harum Litaniarum, idque confirmat præfatus Auctor etiam Auguſtini, Baſilii, & aliorum D. Gregorio antiquiorum auctoritate. Huic opinioni adhæret etiam noſter Quarti in ſuo doctiſſimo libro *de Proceſſionibus punct.* 9. ubi ex profeſſo differit *de Proceſſione Litaniarum majorum in die S. Marci* 25. *Aprilis.* Quamvis itaque idem Sanctiſſimus Gregorius eas indixerit, & celebrari præceperit ſollemniori Ritu præ cæteris, non tamen præfatas Litanias ipſe compoſuit, ſed potiùs ſecundùm aliquos auxit, & ampliavit. De hac autem Proceſſione, ſeu Litania majori, utpote antiquiſſima, & valdè celebri, luculenter ſcripſerunt Durandus *in Ration. lib.* 6. *cap.* 102. Stephanus Durandi *de Ritib. Eccleſiæ lib.* 1. *cap.* 37. Alcuinus *cap.* 33. Serrarius ſupracit. Jacobus Eveillon, & alii ab eodem relati.

Super-

Supereſt hoc loco, quòd multo tempore antequàm talis dies 25. Aprilis D. Marco Evangeliſtæ ſacra eſſet, eidem diei Litaniæ majores affixæ fuerunt, ùt patet ex Frontonis Kalendario Romano nongentis annis vetuſtiore, in quo habetur quidem prædicta die annotatum *Litania major*, ſed nulla habetur mentio de Divi Marci Feſtivitate. Hujus Litaniæ majoris ſermo etiam habetur in Concilio Cloveshoviæ II. Anno 747. *Can.* 16. & dies ejus dicitur eſſe VII. Kalendas Majas. Rurſus in Sacramentario Gregoriano antiquiſſimo, quod ad Sereniſſimam Suecorum Reginam pertinebat, & à Ven. Card. Thomaſio fuit reviſum, & collatum cum Sacramentario à Pamelio edito, quamvis die 25. Aprilis habeatur prædicta inſcriptio VII. Kalendas Maji, ideſt 25. Menſis Aprilis, *Litania major ad S. Laurentium in Lucina, &c.* nihilominùs nulla habetur Miſſa, neque mentio de S. Marco Evangeliſta. Ita etiam in antiquo Sacramentario Gregoriano, quod cuſtoditur in Bibliotheca Vaticana ſub *num.* 1275. prædicta die 25. Aprilis prænotatur quidem *Litania ad S. Laurentium in Lucina, &c.* ſed eadem die deſideratur Miſſa, & mentio S. Marci Evangeliſtæ. E contrà verò in Sacramentario à Menardo edito habetur VII. Kalendas Maji *Miſſa*, & inſcribitur *Natalis S. Marci Evangeliſtæ*, nulla habita mentione Litaniarum. Quæ tamen Miſſa fuit adjecta vetuſtiori Sacramentario Gregoriano; nam illud à Menardo editum, non eſt purus putuſque Codex Gregorianus, cùm ſupponatur exaratus octavo Seculo. In aliis verò Codicibus MSS. ab eodem Menardo allatis *pag.* 150. nimirum Rodradi, Rhemenſi, & Ratoldi, nulla habetur pariter Miſſa de S. Marco, quemadmodùm neque Rogationes ante Aſcenſionem Domini. Prædictis omnibus conſonant ea, quæ tradit Baillet *tom.* 1. *pag. mihi* 331. ubi agens de origine cultus D. Marco præſtiti ab Eccleſia Occidentali, adſtruit, ante finem ſeptimi Seculi nullum extare veſtigium in Ritualibus, in Kalendariis, in Sacramentariis, de feſtivitate S. Marci ab Eccleſia Occidentali, præſertim Romæ celebrata, & ſi in aliqua Eccleſia particulari recolebatur talis celebritas, hæc affixa videbatur diei 23. Septembris, ùt colligitur ex antiquis Martyrologiis, quæ ſub nomine S. Hieronymi circumferuntur, & ex antiquis Kalendariis Romanis ad uſum Eccleſiarum Gallicanarum confectis, poſtquàm Carolus Magnus Romanum Ritum accepit.

In antiquo tamen Kalendario Corbejenſe apud Martene in Theſauro Anecdotorum *tom.* 3. *pag.* 1597. Litania major, ſive paſſio S. Marci appellatur dies 25. Aprilis; & in Chronico Mindenſi apud Meiban. *tom.* 1. *pag.* 572. Albertus Epiſcopus in nocte B. Marci Evangeliſtæ obiiſſe dicitur, (quod eſt in verſibus ſepulchralibus) *quando pia major canitur Litania.*

IX. Gavant. pag. 211. col. 2. n. 9. *Sitminatur Proceſſio Litaniarum, &c.*) Decretum allegatum à Gavanto *hic*, datur in noſtro Indice ſub *num.* 18. & idem omnino reperitur etiam præſcriptum in Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 32. & tunc in his Miſſis de S. Marco nulla fit commemoratio Litaniarum. Rurſus ſi hoc accidat infra Octavam Paſchatis, ita ut ratione Tituli Eccleſiæ ſit cantanda Miſſa S. Marci, non eſt dicendum: *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*, ùt notat Biſſus *lit. L. num.* 113. §. 5.

X. Gavant. pag. 211. col. 2. num. 10. *Si occurrant, &c.*) Si occurrat Feſtum in Dominica Reſurrectionis Domini, ùt contingit, quando Litera Dominicalis eſt C. Epacta autem XXV. vel XXIV. ùt accidit Anno 1734. tunc, juxta Rubricam Miſſalis Feſto Divi Marci præfixam, & inhærendo S. C. Decreto à Gavanto ſuprà citat. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 221. Proceſſio, ac Litaniæ majores unà cum Miſſa Proceſſionis, ſeu Rogationum, transferuntur in Feriam III. Paſchæ ſequentem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quentem ob congruentias à Gavanto *tom.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 16. *n.* 1. obſervatas. Feſtum autem S. Marci tunc non transfertur, niſi quoad Officium celebrandum, poſt Octavam Paſchæ; ſi verò ſupradictum Feſtum S. Marci non in ipſa Dominica Paſchatis, ſed in alia quacunque die infra ejus Octavam occurrat, ſemper die illa fit Proceſſio, & ſub ea dicitur Miſſa de Rogationibus, cum Præfatione Paſchali, ùt *ſuprà*; dicitur quoque *Communicantes*, & ita etiam *Hanc igitur*, Paſchæ proprium. In fine dictæ Miſſæ Litaniarum, dicitur *Benedicamus Domino*, cui, ùt *ſuprà*, non additur *Alleluja*, quia duplex illud *Alleluja*, eſt proprius Ritus Miſſæ Paſchalis, & ſummæ lætitiæ. In ea Miſſa ſecunda Oratio *Concede*, tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa.* Halden *ſuprà.* Rurſus in eadem Miſſa Rogationum, ſeu Litaniarum, occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis, non eſt dicendum *Credo*, proùt declaravit S. R. C. die 5. Julii 1698. in una *Collen.* ad 17. dubium, quod Decretum datur in noſtro Indice ſub *n.* 530. Ex quo Decreto ſequitur, quòd neque dicendum ſit Symbolum in dicta Miſſa Rogationum, ſi prædictum Feſtum S. Marci occurrat in qualibet Dominica; nam ſi non poteſt dici *Credo* in eadem Miſſa Rogationum ratione Octavæ Paſchatis, neque poterit dici ratione Dominicæ, quia iſta Miſſa habetur ùt pura Miſſa Ferialis, ſicuti habetur Miſſa Feriæ Quadrageſimalis, quæ occurrit in die Feſtivitatis SS. Annunciationis; neque hoc pugnare videtur cum diſpoſitione, quæ habetur in Rubrica Miſſalis *num.* 11. ubi præſcribitur; *Symbolum dicendum eſſe in omnibus Feſtis, quæ in Dominicis, & infra Octavam celebrantur, in quibus ratione Dominicæ, & Octavæ dici debet*, nam ibi Rubrica loquitur de Miſſis Feſtivis, quæ dicuntur in Dominicis, vel infra Octavas, quæ habent *Credo*, non autem de Miſſis Ferialibus, quales ſunt hujusmodi Miſſæ Rogationum, & Proceſſionum; unde & in Kalendario Romano de Anno 1728. non eſſe dicendum *Credo* in tali Miſſa, & in tali occurrentia, adnotatum fuit juxta Decret. 25. Sept. 1688. in noſtro Indice ſub *num.* 490. Igitur non eſt admittenda opinio Halden *part.* 2. *tit.* 4. §. *Si Feſtum S. Marci*, ubi cum Auctore Directorii Viennenſis ad Annum 1694. tenet, quòd quando Feſtum S. Marci, ac Litaniæ majores incidunt in Dominicam, inhærendo prædictæ Rubricæ generali, tenet inquam, quòd propter Dominicam dici debet *Credo*. Cætera ſerventur, proùt declarat Gavant. *hoc tit. n.* 10.

XI. Gavant. pag. 211. col. 2. n. 11. *Litaniæ minores, id eſt Rogationes, &c.*) Rogationes triduanæ, quæ fiunt tribus diebus præcedentibus Feſtum Aſcenſionis Domini, *Græcis ignotæ ſunt*, inquit Gretſerus *in Cod. in lib.* 3. *cap.* 9. *nec ulla habent jejunia inter Paſcha, & Pentecoſten*; ſecus verò apud Latinos, ubi receptæ ſunt illæ percelebres, quas Mamertus Epiſcopus Viennenſis inſtituit in Galliis, temporibus Valentiniani III. Imperatoris Anno circiter 452. ùt ſcribit Ado Epiſcopus pariter Viennenſis in Chron. quæ & Rogationes appellatæ ſunt; cujus piæ inſtitutionis occaſionem deſcribit in quodam ſermone Alcimus Avitus ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes, & ſucceſſor Heſychii, quem præceſſit S. Mamertus. Extat etiam de iiſdem Epiſtola Sidonii Apollinaris ad eundem S. Mamertum, alia ad Aprum, in quarum ultima: *erant*, inquit, *quidem priùs (quod ſalva Fidei pace dictum ſit) vagæ, tepentes, infrequentesque, utque ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes, quæ ſæpe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, &c. . . . . . . In his autem, quas ſuprafatus Summus Sacerdos & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur, &c.* ex quibus Sidonii Apollinaris verbis deducit Baronius, S. Mamertum Epiſcopum non tam inſtituiſſe, quàm reſtituiſſe, & in meliorem formam reduxiſſe Sacras Rogationes, contra mentem Alcuini, Amalarii, Walafridi, Micrologi, Ruperti, & aliorum, qui præ-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fatum Viennenſium Antiſtitem hujus triduanæ Proceſſionis primum Auctorem agnoſcunt, inter quos recenſentur etiam Aimoinus *lib.* 1. De Geſtis Francorum, & Burcardus *lib.* 13. *cap.* 8. ex Concilio Aurelianenſi, qui, ùt refert Menardus *in notis & obſervationibus in Sacramentarium S. Gregorii Papæ pag.* 153. & alii veteres, conſtanter aſſerunt, harum triduanarum Rogationum ante Aſcenſionem Domini Auctorem fuiſſe S. Mamertum, non verò inſtauratorem, ùt nonnullis recentioribus placet, inter quos præter Baronium, numerandi etiam ſunt Brouven in notis ad Venantium Fortunatum *lib.* 7. & Franciſcus Maria de Aſte *in ſuis eruditis notis ad Martyrologium Romanum ſub die* 11. *Maji*, ubi ad illa verba: *Viennæ S. Mamerti Epiſcopi, qui ob imminentem cladem ſollemnes ante Aſcenſionem Domini triduanas Litanias in ea Urbe inſtituit:* præfatus Adnotator ait; tò *inſtituit* videtur in *reſtituit* mutandum. Supralaudatus verò Menardus firmiter adhæret veterum Auctorum ſententiæ, permotus illis verbis, quæ allegati Sidonii Apollinaris *epiſt.* 14. *lib.* 7 habentur, nimirum: *quidquid illud eſt, quod otio, vel negotio vacas, in Urbem tamen (niſi fallimur) Rogationum contemplatione revocabere, quarum nobis ſollemnitatem primus Mamercus pariter, & Pontifex, reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento, invenit, inſtituit, invexit*, quibus verbis, concludit Menardus, nihil clarius dici poteſt; cui ſuæ aſſertioni minimè obeſſe aſſerit alia ſuprà allegata verba ejuſdem Sidonii, nimirum *quippe priùs vagæ, tepentes, infrequentesque, &c.* quia etſi ante S. Mamertum fuerint prædictæ Rogationes, aut Litaniæ, ùt vocant, erant tamen vagæ, ideſt non ſtatæ, nec certo die ſtabiles, ſeu indictæ, quas deinde ob varias calamitates, deſcriptas à SS. Avito, & Gregorio Turonenſi in Hiſtoria Francorum *lib.* 2. *cap.* 34. & aliis, pridie ante Aſcenſionem Domini celebrandas inſtituit S. Mamertus. Rurſus ſententiæ Menardi, & aliorum veterum Auctorum, nihil pariter officit textus S. Patris Auguſtini *ſerm.* 173. ùt notat Gavantus, quia etiam verbis in illis contentis refragatur omnino cit. Menardus, qui ait -- non valet, quòd dicunt, S. Auguſtinum meminiſſe hujuſmodi Rogationum, quia cit. Sermo Auguſtino attributus, non reperitur inter ejus Sermones, nec ejus ſtylum redolet, ſed eſt S. Cæſarei Arelatenſis, habeturque inter ejus Sermones -- & equidem in nova editione Pariſienſi S. Auguſtini, talis Sermo reperitur in Appendice *tom.* 5. adeoque eidem S. Patri abjudicatur, & tribuitur mox laudato S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo, & aſſertur ſub num. 173. Imò tantum abeſt, D. Auguſtinum Litaniarum, ſeu Rogationum prædictarum mentionem feciſſe, ut potiùs Rogationes Mamerti S. Auguſtini doctrinæ adverſari videantur. Hoc autem liquet ex ejuſdem S. Patris epiſt. ad Januarium, in qua abundè, & diſertè agit de vacatione à jejunio, quæ contingit inter Paſcha, & Pentecoſten, vacationemque dierum illorum quinquaginta enucleatiùs explicat, quam triduanum illud à Mamerto indictum jejunium, inter idem intra illos dies quinquaginta, prorſus labefactaret: en verba S. Auguſtini: *Qui dies quinquageſimus habet aliud Sacramentum, quod ſepties ſeptem quadraginta novem fiat, & cùm reditur ad initium, quod eſt octavus, qui & primus dies, quinquaginta complentur poſt Domini Reſurrectionem, jam in figura non laboris, ſed quietis, propter quod & jejunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum Reſurrectionis*; quare Amalarius Fortunatus in lectione S. Auguſtini apprimè verſatus *lib.* 1. *de offic. Eccleſiaſt. cap.* 37. præclarè dicit -- Sequitur una varietas inter Octavas Paſchæ, & Vigilias Pentecoſtes, hoc eſt jejunium triduanum in Vigilia Aſcenſionis Domini: miror, quomodò inolevit conſuetudo præſentis jejunii in noſtra Eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Eccleſias: cùm SS. Patres, quos memoravimus, Ambroſius,

broſius,

broſius, Hieronymus, & Auguſtinus, dicant relaxanda jejunia tempore Pentecoſtes, nec non etiam Ven. Presbyter Beda. Hæc Amal.

Ex quibus omnibus firmum profectò remanet, præfatarum Rogationum ſeu Litaniarum triduanarum ante Aſcenſionem S. Mamertum, ſeu Mamercum, ùt alii vocant, recognoſcere inſtitutorem, tum quia ferventiores ſunt aliis Litaniis, quæ ante ipſum celebrabantur, tum quia in iſtis Mamertianis Litaniis jejunabatur, orabatur, & plangebatur, tum quia iſtæ Mamertianæ Rogationes, non vagæ, ſed ſtatis his tribus diebus Aſcenſionem antecedentibus affixæ fuerunt. De his Rogationibus agit S. Cæſareus Arelatenſis *Homilia* 33. eaſque Gregorius Turonenſis vocat *orandi modum*, Sidonius verò Apollinaris eas appellat *ſupplicationes*, & S. Germanus Pariſienſis eas vocat ubique *Litanias*. Quamvis verò S. Avitus Viennenſis, S. Cæſareus Arelatenſis dicerent, Ævo ſuo Rogationes ferè ubique Terrarum fuiſſe receptas, videlicèt circa finem quinti Seculi, intelligendi tamen ſunt de Galliarum tantùm Eccleſiis, & finitimarum Provinciarum. Et equidem Concilium I. Aurelianenſe, allegatum à Gavanto *ſuprà*, Anno 511. *Can.* 26. Rogationes expreſsè decrevit ſervandas eſſe cum jejunio: *Rogationes, ideſt Litanias, ante Aſcenſionem Domini, ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari cum triduano jejunio.* Concilium verò Turonenſe II. Anno 567. celebratum *Can.* 17. à Paſcha ad Pentecoſten prandia permittit Monachis, exceptis Rogationibus. Romæ autem hujuſmodi Rogationes ante Pontificatum Leonis III. minimè receptæ fuerunt; in libro enim de Vitis Pontificum Romanorum, qui nomine Luitprandi Diaconi circumfertur, & Auctorem Monachum Germanum habuiſſe creditur *cap.* 98. Leo III. dicitur conſtituiſſe, ut tres dies ante Dominicam Aſcenſionem Litaniæ celebrarentur. Id etiam de tali Pontifice teſtatur Anaſtaſius in ejus Vita, & poſt eum Ordericus Vitalis *lib.* 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & recentiſſimè Franciſcus Pagi in Vita præfati Pontificis. Ex quo autem ab Eccleſia Romana, multo tempore poſt Litanias die 25. Aprilis celebrari ſolitas, iſtæ Rogationes receptæ fuere, hinc factum eſt, quòd cùm illæ jam Litaniæ majores appellarentur, etiam Ævo Gregoriano, iſtæ Mamertianæ, in comparatione illarum, minores ſtatim appellatæ fuerint, & adhuc hoc nomine in Miſſali Romano vocentur. Cæterùm etiam iſtæ ſuo tempore, & in Gallia, ùt adnotavimus ſuprà, agentes de prædicta Litania pro die 25. Aprilis inſtituta, majores utique dicebantur, nimirum relatè ad alias Litanias, ſeu Proceſſiones, quæ minùs ſollemniter in Eccleſiis Gallicanis probabiliter aliis Anni diebus celebrabantur. In Hiſpania autem tardiùs etiam, quàm Romæ, Rogationum ſupplicationes receptas fuiſſe, facilè colligi poteſt, ait Martene de Diſciplina Eccleſiaſtica *cap.* 26. *num.* 2. ex Iſidori *libris de Divinis Officiis*, in quibus nulla fit earum mentio; atque hinc forſitan Belethus eas aſſerit non celebrari niſi in Gallia Ciſalpina; verùm prætereundum non eſt, quòd Concilium Gerundenſe habitum Anno 517. commendat eas in Hiſpania, ſed aſſignat hujuſmodi Rogationibus Feriam V. VI. & Sabbatum poſt Pentecoſten.

Tres prædicti Rogationum dies in Gallia primitus etiam Feſtivi fuere, ùt liquet ex Concilio I. Aurelianenſi, & ex Capitularibus Caroli Magni, nec non ex *cap. Pronunciandum*, quod Burchardus, Ivo Carnotenſis, & Gratianus perperàm adtribunt Concilio Lugdunenſi, quod eſt incognitum, ùt aſſerit Grancolas *Commentar. Hiſtor. in Breviar. Roman. lib.* 2. *cap.* 74. Inhibitiones autem abſtinendi hoc triduo ab operibus ſervilibus, poſtmodùm fuere reſtrictæ tantùm ad Proceſſiones, & Officium, quibus completis, permiſſum fuit precationi & abſtinentiæ manuum opera conjunge-

jungere, potiùs quàm otio, & voluptatibus operam dare.

Rurſus in Rogationibus jejunium pariter à prima earum inſtitutione, ùt innuimus, præſcriptum fuit, idque confirmatum etiam à Concilio Aurelianenſi I. & Turonenſi II. ſuprà allegatis; ſed etiam hoc jejunii præceptum in Gallia redactum eſt tantùm ad abſtinentiam à carnibus, quæ Diſciplina adhuc ibidem viget. Romæ autem prædicti dies, & nunquam fuere Feſtivi, & nunquam in eiſdem impoſita fuit lex jejunandi, neque lex abſtinendi à carnibus.

Ritus, qui obſervandi ſunt in hujuſmodi Litaniis recitandis, & etiam in aliis Majoribus die 25. Aprilis, deſcribentur à Nobis in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Commentarium Gavanti in Rubricas Breviarii Romani, quæ ad dictas Litanias ſpectabunt, tanquam partes Divini Officii.

XII. Gavant. pag. 212. col. 1. num. 12. *Miſſa Proceſſionum tres habet Orationes, &c.)* Feria II. Rogationum eſt Feria major, unde licèt non excludat Feſtum novem Lectionum in ea occurrens, etiam translatum, fieri tamen commemoratio debet de ea Feria in Laudibus, ac Miſſa, ante commemorationem Feſti ſimplicis, ſi etiam de eo facienda ſit Commemoratio, attamen poſt Commemorationem de die infra Octavam, ſi aliqua tunc occurrat. Rurſus in Miſſa ultimum ejus Feriæ legitur Evangelium, in quocunque Feſto, etiam primæ Claſſis, in ea occurrente.

In Eccleſiis verò Cathedralibus, & Collegiatis, occurrente in hac Feria aliquo Feſto duplici, vel ſemiduplici, dicuntur duæ Miſſæ Conventuales, una poſt Tertiam, de Feſto ſine Commemoratione Feriæ; altera poſt Nonam, vel completa Proceſſione Litaniarum, de II. Feria Rogationum ſine Commemoratione illius Feſti. In prima dicitur *Gloria* cum *Credo*, vel ſine, pro qualitate Feſti, aut diei; In poſteriore autem, nec *Gloria* dicitur, nec *Credo*; In utraque autem dicitur Præfatio Paſchalis (niſi fortè Feſtiva habeat aliam ſibi propriam) & in fine utriuſque Evangelium S. Johannis. Color ad priorem Miſſam adhibetur Feſto conveniens, poſterior verò Miſſa dicitur in Paramentis violaceis. Si autem in hoc triduo Feſtum non occurrat, Altarium Minorum Paramenta erunt Officio conformia, nempe coloris albi; Altaris autem Majoris poſt Horas Canonicas, & Celebrantium in quocunque Altari de Feria occurrenti, conformia erunt Miſſæ Rogationum. Congregationes, Religiones, & Nationes, ſeu Eccleſiæ, quibus à Sede Apoſtolica indultum eſt, ut ſemel vel pluries ſingulis hebdomadis, aut Menſibus, dicant Officium, & Miſſam v. gr. de Sanctiſſimo Sacramento, aut certo aliquo Sancto, diebus nullo Feſto novem Lectionum impeditis, non poſſunt uti hoc ſuo privilegio in Feria II. Rogationum, quantumvis nullum in eam incidat Feſtum duplex, vel ſemiduplex. Id autem conſtat ex Decreto S. R. C. edito 20. Martii 1706. quod datur in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii.

XIII. Gavant. pag. 212. col. 1. n. 13. *In Feria III. Rogationum, &c.)* Si in hac Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſolummodò ſimplex, tunc fit Officium de eo ſine Commemoratione de Feria currente, ſed tantùm de Cruce, & tempore Paſchali, at verò Miſſa dici tunc poteſt, vel de Feſto cum Commemoratione Rogationum, vel de Rogationibus cum Commemoratione Feſti, ùt dicitur in Rubrica propria, & cum tertia Oratione *Concede.* Paramenta Altarium Minorum, in tali occurrentia Feſti ſimplicis cum hac Feria Rogationum, erunt quoad colorem conformia Officio, at verò Altaris Majoris (ſaltem ſub Miſſa Sollemni, ſeu Conventuali) erunt coloris violacei; Celebrantium verò ad quodcunque Altare conformia erunt Miſſæ, quam celebrant,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

adeoque violacei coloris, ſi dicatur Miſſa de Rogationibus, ſecus autem, ſi dicatur Miſſa de Sancto. Notat hìc Bauldry, in hujuſmodi Feſti ſimplicis occurrentia cum Feria III. Rogationum, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, eſſe dicendas duas Miſſas Conventuales, unam de Sancto, alteram de Rogationibus. Verùm S. R. C. declàravit, in tali caſu non eſſe cantandam, niſi unam Miſſam Conventualem de Feria, ùt liquet ex Decreto ab ipſa emanato ſub die 5. Julii 1698. *in Collen.* & dato in noſtro Indice ſub *num.* 521. Unica igitur Miſſa Conventualis in tali occurrentia eſt cantanda, nimirum Miſſa Proceſſionalis, ſeu Litaniarum &c. cum Commemoratione de Feſto ſimplici, & tertia Oratione *Concede*; Si denique in hac Feria III. Rogationum nullum omnino occurrat Feſtum (hoc eſt, nec trium, nec novem Lectionum) neque etiam dies Octava alicujus Feſti, nec dies infra aliquam Octavam, tunc Officium dicetur de ea, & Miſſa pariter dicetur de Rogationibus ſine *Gloria*, & *Credo*, ac ſine Commemoratione hodierni Officii ferialis, quod eſt peculiare in hac die. Unde ſecunda Oratio tunc non eſt de Feria occurrente (habente in Officio Orationem Dominicæ præcedentis) ſed erit *Concede*: 3. verò *Eccleſiæ, vel pro Papa*; ùt ait Gavantus *hoc num.* 13. licèt (ùt ibidem notat) Rubrica Miſſalis hic in modo loquendi ſit obſcurior, dum dicit: *Feria III. Rogationum, ſi Feſtum non occurrat, dicatur Miſſa de Rogationibus ſine Gloria in Excelſis, licèt in Officio dictum ſit Te Deum, & Oratio Dominicæ*, quæ ultima verba non ſunt referenda, ùt notat Halden *part.* 1. *tit.* 27. *pag. mihi* 153. ad verba mediatè præcedentia, quaſi ſenſus ſit, *dicatur Miſſa de Rogationibus, & in ea Oratio Dominicæ*, ſed ad verba immediatè antecedentia: *licèt &c.* ita ut ſenſus ſit, dicatur Miſſa de Rogationibus ſine *Gloria in Excelſis* (licèt in Officio dictum ſit: *Te Deum Laudamus*) eaque cum ſuis Orationibus, licèt item in Officio non ſit dicta Oratio hujus Miſſæ, ſed dicta ſit Oratio Dominicæ præcedentis.

XIV. Gavant. pag. 212. col. 2. n. 14. *In Vigilia Aſcenſionis, &c.*) Feria IV. in Rogationibus occurrit Vigilia (ſine jejunio) Aſcenſionis Domini. Si hac die occurrat Feſtum primæ Claſſis, v. g. Titularis Eccleſiæ, vel Patroni Principalis loci, tunc nec in Officio, nec in Miſſa fit aliquid de hac Vigilia; ex quo autem in Miſſis, etiam privatis, nulla in hoc caſu debeat fier Commemoratio de Vigilia, hinc Biſſus *Lit. V. num.* 54. deducit, quòd in eo caſu cantari ſolùm debeat Miſſa de Feſto Patroni poſt Tertiam, & alia de Rogationibus poſt Nonam, omiſſa alia de Vigilia, de qua etiam in Miſſis privatis, juxta Bauldry ſententiam *part.* 4. *cap.* 13. *num.* 1. & juxta Halden *part.* 1. *tit.* 27. *pag.* 154. nulla fit Commemoratio, uti neque de Feſto ſimplici ſi quod fortè occurrat, de dicto Feſto primæ Claſſis. Si autem occurrat Feſtum novem Lectionum (ſeu duplex, ſeu ſemiduplex) aut alicubi hodie dies Octava alicujus Feſti, vel dies infra Octavam, tunc Officium fit de eo, cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ, ejuſque Commemoratione ad Laudes. Miſſæ quoque privatæ, ſi hodie occurrat Feſtum novem Lectionum, aut dies Octava alicujus Feſti, dicuntur de Feſto, aut de die Octava in hac Vigilia occurrente, cum Commemoratione primò Vigiliæ, deinde Feſti ſimplicis (ſi quod occurrat) ac demum etiam Rogationum, quæ in Officio nullam habent Commemorationem, ſed tantùm in Miſſa diei, in qua *Gloria*, & Præfatio Paſchalis (niſi propriam habeat Feſtum illud occurrens) ac ultimum Evangelium de Vigilia. At verò in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſi hodie occurrat Feſtum novem Lectionum (quod non ſit primæ Claſſis) aut dies Octava, dicuntur in hac Vigilia tres Miſſæ: I. de Feſto poſt Tertiam, cum colore tali Feſto conve-

nienti; II. de Vigilia poſt Sextam, in Paramentis coloris albi; III. de Rogationibus poſt Nonam, in Paramentis violacei coloris; & in qualibet illarum ( cum exceptione tamen mox ſubjungenda ) Oratio ſecunda eſt *Concede*, 3. *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, Præfatio Paſchalis, ac in fine cujuſque Miſſæ Evangelium S. Johannis. Gavant. *hoc n.* 14. *& tit.* 15. *huj.* 4. *part. n.* 9. ubi obſervat, Miſſam hujus Vigiliæ ideò dici poſt Sextam, quia eſt Vigilia, in qua non jejunatur. At verò, ſi hac, aut alia Feria Rogationum occurrat alicubi dies tantùm aliqua infra Octavam, tunc Officium quidem fit de illa infra Octavam, Miſſa autem ( excepta Miſſa Litaniarum, ſeu illa quæ dicitur in Paramentis violacei coloris in Statione, ſeu termino Proceſſionis Rogationum ) in Eccleſiis quoque Cathedralibus, ac Collegiatis, dicitur de Vigilia Aſcenſionis cum Commemoratione Octavæ, & tertia Oratio *Concede*, atque ad eam perinde adhibetur color albus; nequaquam autem tunc etiam in hujuſmodi Eccleſiis dicenda inſuper eſt alia Miſſa Conventualis de Octava, quia Miſſalis Rubrica Generalis III. id tantùm ſtatuit de die *Octava*, non autem de die infra *Octavam*, quando Officium fit de Octava, ùt S. R. C. declaravit apud Arnaud, *tract* 1. *part.* 1. *tit.* 3. *num.* 1. & rationem dat Gavantus *in citatam Rubricam*. Hæc omnia conſonant cum his, quæ diximus in noſtris Additionibus *ad tit.* 3. *part.* 1. *num.* 2. *& n.* 4.

Si denique Feria IV. Rogationum, & in Vigilia Aſcenſionis occurrat ſolùm Feſtum aliquod ſimplex, tunc de eo nihil aliud fit, niſi Commemoratio in Laudibus, ac in Miſſa. Tandem hac Feria IV. Rogationum, ſeu in Vigilia Aſcenſionis, in ſuprà memorati diei infra Octavam, aut Feſti ſimplicis cum Feſto ſemiduplici occurrentia, in Miſſis privatis de Feſto ſecunda Oratio erit de die infra Octavam, tertia de Vigilia, quarta de Feſto ſimplici, & ultima de Rogationibus, quia, ùt notat Gavantus, Feſtum ſimplex præcedit Feriam III. & IV. Rogationum, quà tales, etiam in Miſſa, quarum neutra in Officio aliquam habet, juxta eundem, Commemorationem. In Miſſa autem Conventuali de Feſto, ſecunda Oratio tunc erit de die infra Octavam, tertia ſeu ultima de Feſto ſimplici, ſi tale ſimul occurrat; Si verò tantùm vel dies infra Octavam, vel tantùm Feſtum ſimplex occurrat, tunc tertia Oratio erit *Concede*, juxta Rubricam generalem VII. Miſſalis, & Gavant. *ibidem lit.* h.

XV. Gavant. pag. 212. col. 2. n. 15. *In Aſcenſione Domini, &c.* ) Feſtum Aſcenſionis Domini recenſendum eſt inter eas Solemnitates, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ fuerunt, ùt docet S. Auguſtinus *Epiſt.* 54. *novæ editionis*; Hujus Feſti mentionem faciunt pariter Conſtitutiones Apoſtolicæ *lib.* 5. *cap* 18. Verùm iſta Feſtivitas non habebatur antiquitus inter illas ſollemniores, quæ ubique uniformi Ritu recolebantur, quales erant Nativitas Domini, Paſcha, & Pentecoſtes, de quibus Concilium Agathenſe anno 516. *Can.* 63. & Concilium Aurelianenſe anno 511. *Can.* 25. ſed inter minùs præcipuas, & ſecundi Ordinis, in qua Claſſe numerabantur, Epiphania, Aſcenſio, & Feſtum S. Johannis Baptiſtæ. Alia ſpectantia ad eruditionem hujus Feſti, nec non ad Ritus antiquos, qui in eo obſervabantur, tradit Edmundus Martene *de Antiqua Eccleſ. Diſcipl. cap.* 28. Grancolas *Comment. Hiſt. in Brev. Rom. lib.* 2. *cap.* 75. Baillet *tom.* 4. *pag. mihi* 103. *& ſeqq.*

XVI. Gavant. pag. 212. col. 2. num. 17. *Vigilia Pentecoſtes, &c.* ) In Vigilia Pentecoſtes urgere præceptum ſervandi jejunium, certiſſimum eſt apud omnes; ſolùm dubitatur de antiquitate, & origine talis jejunii; nam liquet ex Tertulliano *de Corona Militis cap.* 3. Sancto Hieronymo *Epiſt. ad Lucinum*, S. Auguſtino *Epiſt. ad Caſulanum*, quòd antiquitus non jejunabatur per integros quinquaginta dies poſt Paſcha. Sed

poſt-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſtquàm in Gallia mos invaluit jejunandi in Rogationibus, iſtius quoque Vigiliæ jejunium ſervatum fuit. Id tradit etiam S. Ambroſius, cujus tamen textus à Gavanto *ſuprà*, tanquam non genuinus reputatur. Ordo Romanus ab Hittorpio editus, ait, quòd in hoc pervigilio Pentecoſtes jejunatur ſicùt in Paſchate, & fit Officium ſicuti in Sabbato Sancto: *Sabbato in Vigiliis Pentecoſtes omnes jejunium faciunt, & omne Divinum Officium, vel Ordinem, tam Lectionis, quàm Baptiſmum, ſicuti in Sabbato Sancto Vigiliarum Paſchæ.* Glaber verò *lib. 3. cap. 3.* ait, quòd anno circiter mille, habita ſunt Concilia in Gallia, & in Italia, in quibus libera jejunandi, vel non jejunandi facultas data eſt ab Aſcenſione, uſque ad Pentecoſten, excepta hujus Feſti Vigilia, in qua jejunium præſcribebatur: *excepto Sabbato Pentecoſtes*; Capitularia Caroli Magni *lib. 6. cap.* 190. jejunium hac die præſcribunt his verbis: *Adnuncient Presbyteri eodem modo, ſicùt veſperaſcente Sabbato Sanctum Paſcha celebratur, & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ùt Sabbato Paſchæ, & jejunium, & Miſſam, & Baptiſmum, &c.* S. Bonifacius Moguntinus præcipit pariter in ſuis Statutis *Statut.* 34. ut Sabbato Pentecoſtes, ſicùt Sabbato S. Paſchæ, omnes jejunent, & ad Eccleſiam hora Nona conveniant. In Sacramentario pariter Gelaſiano à Thomaſio edito, in Vigilia de Pentecoſte Duplex habetur Miſſa, in quarum ſecunda expreſſa fit mentio de jejunio, quæ quidem Miſſa forſan poſt Nonam dicebatur, ùt ipſe Thomaſius in ſuis notis ad Capitulare Evangeliorum *pag.* 173. animadvertit; altera verò Miſſa ibi aſſignata cum ſuo particulari Evangelio dicebatur fortè in Vigiliis noctis poſt Baptiſmum, ad quem refertur. Denique in Sacramentario Leonino recentiſſimè evulgato à clariſſimo Viro Joſepho Blanchino, Congregationis Oratorii in Urbe Presbytero, inter Orationes, quæ habentur pridie Pentecoſtes, una ſic habet: *Supplices tuam Domine Clementiam deprecamur, ut qui prævenis ſemper mala merita noſtra miſerendo, tibi placita fieri piis actibus, & jejuniis ſalubribus expiando. Per, &c.* in qua Oratione tò *Fieri* vertit Blanchinus in v. *Faciat.* In ſubſequenti Oratione pariter habentur verba indicantia ciborum parſimoniam; quæ quidem Orationes pariter leguntur in Miſſali Anglicano ætatem ſeptimi Seculi redolente, & à celeberrimo Scultingio in ſua Eccleſiaſt. Biblioth. evulgato; unde rationabiliter inferre poſſumus, ævo Gelaſiano, & Leonino fuiſſe præſcriptum jejunium in prædicta Pentecoſtes Vigilia. Ex quibus omnibus mirari ſubit Paſchalis Queſnelii oſcitantiam, qui *diſſert.* 6. de jejunio Sabbati in Eccleſia Romana audet aſſerere, ante Seculum duodecimum, jejunium Vigiliæ Pentecoſtes, non fuiſſe in Eccleſia ſervatum.

XVII. Gavant. pag. 213. col. 1. num. 19. *Qui & in privatis Miſſis hujus diei, &c.*) Miſſæ privatæ (omiſſis Prophetiis, earumque Orationibus, ac Litaniis) dicto de more Pſalmo *Judica*, ac facta Confeſſione, abſolutè incipiuntur ab Introitu Miſſæ hodiernæ, (*Cùm ſanctificatus fuero*) qui extat in fine hodiernæ Miſſæ; dicitur in ea *Gloria*, ſine *Credo*; Oratio unica (diverſa ab Oratione Officii) ùt ibi, ſine commemoratione Feſti ſimplicis, ſi quod hodie occurrat, tam in Miſſis privatis, quàm in Miſſa ſollemni, ùt infrà notatur, etiamſi de eo facta ſit commemoratio in Laudibus, & Veſperis heſternis, atque etiam dicta ſit de eo nona Lectio in Officio. Rubrica gener. Miſſalis *tit.* 7. *num.* 1. Neque dicitur in Miſſa hujus Vigiliæ Oratio indicta ab Epiſcopo; reliqua verò ùt in Miſſali.

Ad Miſſam cantatam Chorus non genuflectit ad Orationem. Ab hac die, & per totam ſequentem hebdomadam, non dicuntur Miſſæ Votivæ privatæ, nec de *Requiem*; ſed permittitur ſollemnis præſente Cadavere, poſt primum triduum hujus ſollemnitatis.

XVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XVIII. Gavant. pag. 213. col. 2. n. 22. *Penteco∫tes, de qua S. Clemens, &c.*) De Hiſtoria hujus celeberrimæ Feſtivitatis, eruditè diſcurrit ſuo more Baillet *tom.* 4 *pag. mihi* 126. *& ſeqq.* videri etiam poſſunt Martene *loc. ſupracit.* nempe *cap.* 28. in quo pariter agit de Feſto, & Octava Pentecoſtes, necnon Grancolas *lib.* pariter *ſupracit. cap.* 77. ubi notat, quòd Proſa, quæ dicitur ad Miſſam hujus diei, eſt noviter introducta - *Veni Sancte Spiritus, &c.* noviter Romæ introducta eſt, licèt antiquiſſima ſit quatuor Proſarum, quæ noviſſimis temporibus conſervatæ ſunt, nempe: *Victimæ Paſchali, &c.* in Paſchate; *Lauda Sion, &c.* in Feſto Corporis Chriſti; & *Dies iræ, &c.* in Officio Defunctorum - Sunt qui putant hanc Proſam: *Veni Sancte, &c.* adſcribendam eſſe Roberto Galliæ Regi, qui XI. regnabat Seculo; alii eam tribuunt Hermanno Contracto Germaniæ Monacho, qui obiit Anno 1054. ſed probabilius eſt, prædictam Sequentiam ab Innocentio III. fuiſſe compoſitam, & ab eodem Miſſali inſertam, cùm in ejus operibus reperiatur.

XIX. Gavant. pag. 214. col. 1. num. 25. *Non dicatur, Flectamus genua, &c.*) Ad Miſſam, quæ dicitur in his quatuor Temporibus, ſicuti non dicitur *Flectamus genua, &c.* ratione ſcilicet temporis adhuc Paſchalis; ita nec Chorus genuflectit ad Orationes. Si occurrat Feſtum ſimplex, tunc de eo fit commemoratio etiam in Miſſa, ſed juxta Gavanti ſententiam eſt omittenda tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, ùt etiam rationibus & Decretis S. R. C. datis ad *tit.* 7. ſub *n.* 4. in noſtris Additionibus oſtenſum eſt.

Si infra hanc Octavam poſt primum ejus triduum dicenda ſit Miſſa Votiva ſollemnis pro re gravi, & dicatur de Spiritu Sancto, dicenda eſt ea, quæ competit diei occurrenti, & non alia. Arnaudus *Epit. Gavanti num.* 1. §. 1. *tit.* 4. *in fine*, & idem *part.* 4. *tit.* 16. *n* 2. monet. Si aliqua infra hanc Octavam die (poſt primum ejus triduum) cantanda ſit Miſſa de Feſto S. Titularis transferendo (ùt in Rubrica gener. 6. Miſſalis) aut Miſſa Votiva ſollemnis pro re gravi, dicenda eſt illa, quæ tempori Paſchali convenit, eò quòd hoc tempus terminatur tantùm Sabbato ante Trinitatem poſt Nonam; ita etiam Halden *part.* 1. *tit.* 29. *de Dom. & Feſt. Pent.* §. *Miſſa hac, & ſeqq. Feriis.* Notandum præterea occurrit, quòd ſi prælaudatum Feſtum, quod transfertur, occurreret in die aliqua temporum Pentecoſtes, tunc ambæ dictæ Miſſæ cantari debent poſt Nonam, priùs tamen illa de tempore; ſecunda verò de Feſto translato; & non obſtat, quòd ante ſecundam Miſſam non præcedat aliqua Hora Canonica, ſicùt regulariter præcedere debet immediatè ante Miſſam Conventualem, vel aliam Miſſam cantatam, ex Decreto Urbani II. Hic enim eſt caſus unicus, & privilegiatus ob concurſum Populi. Biſſus *lit. T. n.* 73. § 12. Idem dicendum, ſi cantanda eſſet in dictis temporibus ſupradicta Miſſa Votiva ſollemnis pro re gravi.

Si Feria VI. horum quatuor Temporum dicenda ſit ex mandato Superioris in Miſſa Oratio: *Deus refugium, &c.* correſpondens huic *Poſtcommunio*, mutanda eſt cum *Poſtcommunione* Orationis proximæ ſequentis *pro quacunque tribulatione*, ne coincidat cum *Poſtcommunione* hodiernæ Miſſæ Feriæ VI. quatuor Temporum Pentecoſtes. Halden *ſup.* §. *Fer. VI.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XII. De Feſto Trinitatis, Corporis Chriſti, & Domin. poſt Pentecoſten.

I. Gavant, pag. 214. col. 1. n. 1. *Feſtum SS. Trinitatis, &c.*) Quamvis Feſtus Trinitatis dies paucis ab hinc Seculis in Eccleſiam introductus fuerit, nihilominùs ſi rem ipſam attentè conſideremus, cæteris Feſtis vetuſtate antecellit, propterea quòd in Dominicis omni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

omnibus, nec non in Feſtis Sanctorum, id quod principaliter à Chriſtianis colitur, eſt SS. Trinitatis myſterium, unde feſtos quoſvis Chriſtianorum dies jure vocare poſſumus Trinitatis ſollemnia; & hæc eſt præcipua ratio, ob quam Feſtum ſpeciale Sanctiſſimæ Trinitatis tardiùs in Eccleſia Romana inſtituerunt Summi Pontifices. Ab undecimo Seculo celebrabatur hæc Feſtivitas in quibusdam Eccleſiis, teſte Micrologo *cap.* 60. qui hanc ſollemnitatem colentes coarguit; adjudicat verò Stephano cuidam Leodienſi preces Canonicas Trinitatis (necnon Hiſtoriam inventionis S. Stephani) quas tamen Eccleſiam Romanam reſpuiſſe aſſerit, & alia ibi contexit. En verba Micrologi -- Quidam Officium de S. Trinitate in Octava Pentecoſtes inſtituunt, licèt non ſit Allelujatum, quod & per totam ſubſequentem hebdomadam obſervandum putant, quod non eſt authenticum; nam quidam Leodienſis Stephanus idem Officium, ſicùt & Hiſtoriam de inventione S. Stephani compoſuiſſe aſſeritur, quæ utraque ab Apoſtolica Sede reſpuuntur, unde piæ memoriæ Alexander Papa de hac re inquiſitus, reſpondit juxta Romanum Ordinem, nullum diem ſpecialiter adſcribi ſollemnitati SS. Trinitatis, ſicùt nec S. Unitatis: præcipuè cùm in omni Dominica, immò quotidie utriuſque memoria celebretur -- Hæc Micrologus, qui alia pariter ubnectit. Ex quo aliqui in Octava Pentecoſtes, alii verò aliis diebus hoc Feſtum celebrabant, obortæ ſunt celebres contentiones de octavo die Pentecoſtes. Radulphus enim Tungrenſis, qui vixit ſub finem Seculi XIV. relatus à Gavanto *Propoſitione* 16. ait -- Super Octava verò Pentecoſtes magna eſt adhuc diverſitas. Cùm enim Romani in hac Dominica imponerent hiſtoriam Regum, nec ſervarent Feſtum Trinitatis: aliquæ nationes, ùt Alemanni, eadem die ſervant Octavas Pentecoſtes, in hebdomada, & Dominica ſequenti ſervantes Officium Trinitatis. Alii, ùt Gallici, plures illo die plenum faciunt Feſtum Trinitatis cum Octavis majoribus. Hodiernis verò temporibus Romæ, & in Curia Romana, ſollemnis habetur Feſtivitas S. Trinitatis in Octava ſupradicta, quod etiam plures Alemanni cœperunt ſequi poſteà -- Hucuſque Radulphus, ex cujus verbis, & ex aliis etiam Auctoribus colligitur, Feſtum hoc hac Dominica cœpiſſe celebrari in Gallia, immò adſunt in eodem Regno Eccleſiæ, in quibus bis celebratur hæc ſollemnitas, in prima ſcilicet, & ultima Dominica poſt Pentecoſten. Romæ tamen, nonniſi Johanne XXII. Eccleſiam regente, hoc ſpeciale Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis in Octava Pentecoſtes celebrandum ſtatutum fuit, ùt tradit etiam Ciacconius in Vita ejuſdem Pontificis. Id etiam aſſeri videtur à Gerſone, à quo memoratur hoc Feſtum tanquam noviter inſtitutum, ubi enim agit de viſitatione Prælatorum, ait: *De Feſto Trinitatis ſollemnizando, proùt noviter Papa inſtituit.* Et reverà Durandus, qui paulò ante Johannem XXII. vixit, *lib.* 6. *cap.* 114. aſſeverat quidem, quòd in pleriſque locis in Octava Pentecoſtes fiebat Feſtum SS. Trinitatis, ſed nullam faciendo mentionem de Romana inſtitutione hujus Feſti. Sunt qui opinantur, noſtrum Gavantum antiquitus, & Gregorio IV. inſtitutionem hujus Feſti referre. Verùm noſter Auctor ſolùm adſtruit, hanc eſſe opinionem Auctoris Ligni Vitæ *lib.* 5. abſque eo, quòd aſſeveret, ſe hanc ſententiam amplecti; eodem enim modo mox ſubnectit, quòd Piſanella facit Auctorem ejuſdem Feſti Johannem XXII. *v. Feria* §. 5. quin explicet cui ex dictis Auctoribus adhæreat. Ex iis, quæ diximus, liquet, primam ex dictis opinionibus eſſe rejiciendam.

Cæterùm redeundo unde digreſſi ſumus, & reſumendo verba Micrologi, cùm hic deceſſerit ante Alexandrum III. liquet, quòd Alexander, cujus ipſe meminit, fuerit ſecundus hujus nominis, Romanus autem Pontifex, ùt optimè advertit Thomaſſinus

*lib. 2. de celebrat. Feſtor. cap.* 19. non reſpuit, ùt Micrologus paulò liberiùs ſcripſit, hanc ſollemnitatem, ſed ei minimè eſt ſuffragatus, Eccleſiarum tamen cæterarum Ritus, & pietatem non contemnent.

Alexander verò III. ea, quæ ſuprà tradidimus, ante finem Seculi XII. literis conſignavit, cujus verba habentur *in cap. quoniam de Feriis extrà*, ſunt autem hæc -- Præterea Feſtivitas SS. Trinitatis ſecundùm conſuetudines diverſarum Regionum à quibusdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis Dominica prima ante Adventum Domini celebrari: Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet, quòd in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter Feſtivitatem, cùm ſingulis diebus *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, & cætera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.

II. Gavant. pag. 214. col. 1. n. 1. *Miſſamque de eadem Trinitate ab Alcuino compoſitam, &c.*) Micrologus *cit. loc.* ùt notat etiam Gavantus, Miſſam, quam legimus, SS. Trinitatis, Alcuino tanquam Auctori attribuit; ſed ejus Auctor Alcuinus profectò non eſt, ùt jam doctiores agnoſcunt. Codex Rhemenſis apud Menardum nihil habet hujus Miſſæ, ſicùt pariter nec Sacramentale Gregorianum à Pamelio evulgatum; ex Bernone Augienſi tamen, & Micrologo, & ex iis, quæ habent Menardus, & Pamelius in Notis, conjicere poſſumus, hac die mentionem aliquam Trinitatis eſſe antiquitus factam, non quidem in Oratione, aut Miſſa, ſed in verſiculis, & Præfatione, quæ Pelagio II. ſolet adſcribi, & quæ legitur etiam in Sacramentario Gelaſiano à Thomaſio edito; non quia, ut dixi, pertineret tunc ad Miſſam de Trinitate, quia nondum inſtituta erat; ſed quia continebat expoſitionem Catholicæ Fidei contra Hæreticos, præſertim Arianos, quam, abjurantes hæreſim ſuam, & Eccleſiam ingredientes, profiteri jubebantur, ùt notat Grancolas *Comment. hiſtor. in Brev. Rom. lib. 2. cap.* 80. Nonnulla alia, ſpectantia ad ſacram eruditionem, & inſtitutionem hujus Feſti, tradunt mox laudatus Grancolas *cit. loc.* Baillet *tom. 4. pag.* 154. *& ſeqq.* & Thomaſſinus de Feſtis *lib. 2. cap.* 18.

Pro Feria IV. poſt Feſtum SS. Trinitatis juvat hîc exhibere ſequens Decretum -- Occurrente Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in die Feſto Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbanæ editæ die 25. Septembris 1638. in Officio, & Miſſa de eadem Vigilia nihil fit -- Ita S. R. C. die 13. Septembris 1706. approbante Clemente XI. 2. Octobris ejuſdem Anni, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 601.

## De origine Feſtivitatis Corporis Chriſti. §. I.

III. Gavant. pag. 215. col. 1. num. 2. *Ex inſtituto Urbani IV. 1262. &c.*) Urbanus IV. Romanus Pontifex, quando Leodii Archidiaconus erat, Jacobus de Trecis tunc appellatus, viderat in ea Urbe Feſtum SS. Corporis Chriſti tunc celebrari; immò etiam cum præcedenti Vigilia, & jejunio, proùt (juxta nonnullorum opinionem) præſcriptum fuerat in Synodo Diœceſana illius Urbis Anno 1246. habita per Robertum Leodienſem Epiſcopum, hortante præſertim B. Virgine Juliana, Montis Cornelii apud Leodium Sanctimoniali, ùt habent acta ejuſdem Servæ Dei apud Bollandum 5. Aprilis; in quibus tamen legitur, præfatum Robertum univerſis Eccleſiaſticis perſonis ſuæ Diœceſeos per elegantem Epiſtolam præcepiſſe, ipſam ſollemnitatem ſingulis Annis die ad hoc ſtatuto cum Officio celebrari, & ab eorum plebibus ſicut diem Dominicam, ab omni ſervili opere abſtinendo, debere obſervari. Verùm, ùt

tradit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tradit Martene *de antiq. Ecclеſ. Diſcipl. cap.* 29. ne piiſſimo fraudaretur voto Robertus, & ne quiſquam negligentium Prælatorum de ignorantia ſe poſſet excuſare, propoſuit in Generali ſua Synodo, quæ ſingulis Annis, convenientibus Eccleſiarum Rectoribus, & Conciliorum Decanis in unum, fieri ſolet, quod per Epiſtolam ſtatueret, viva voce ſollemniter publicare. Morte autem præventus Robertus, ſanctum haud quaquam potuit adimplere propoſitum. At Hugo S.R.E. Cardinalis, ad partes Alemanniæ Summi Pontificis à latere Legatus, hoc in ſe ſuſcepit negotium, primuſque in S. Martini Eccleſiâ Leodienſi Feſtum illud promulgavit, & celebravit. Hæc & alia citatus Martene ibidem. Ad inſtar igitur prædictæ ſollemnitatis Leodii priùs inſtitutæ, hortante non ſolùm mox memorata B. Juliana, ſed allaborante etiam Ven. Eva ad dictam S. Martini Eccleſiam Recluſâ, Urbanus præfatus ad Summi Pontificatus apicem evectus, conſtitutionem edidit Anno 1264. non die octava Septembris, ùt communiter Scriptores affirmant, confundentes datam Bullæ cum data Brevis ab eodem Urbano ſcripti ad antedictam Ven Evam Leodienſem, ſed die 11. Auguſti apud Urbem veterem, in qua Civitate celebraverat eandem Feſtivitatem cum Proceſſione ſollemni die 19. Junii ejuſdem Anni, ob celeberrimum miraculum, quod Bolſenæ contigerat, de quo ſermonem habent, & hiſtoriam referunt plures Scriptores ab Andrea Pennazzi congeſti in Hiſtoria ejuſdem miraculi typis edita Anno 1731. Inter laudatos Scriptores recenſentur præſertim S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 19. *cap.* 13. §. 1. & Diæſtemius Blærus Prior S. Jacobi Leodienſis Ord. S. Benedicti *art.* 4. Commentarii de Inſtitutione Feſti Corporis Chriſti ſub Anno 1496. ab eo compoſiti. De hac re eruditè pariter ſcripſit Franciſcus Pagius in Vita antedicti Urbani IV. §. 5. & *ſeqq.* ubi ex Divo Antonino narrat, quòd Anno 1264. in loco non longè ab Urbeveteri ſito, Bolſenæ dicto, accidit ingens miraculum, cujus occaſione Urbanus IV. ſollemnitatem Corporis Chriſti indixit. In Eccleſia univerſali nimirum ejuſdem Oppidi Bolſenæ, Sacerdote celebrante, poſt conſecrationem gutta aliqua Sacratiſſimi Sanguinis ex Calice in Corporale profluxit; idem Sacerdos, ut negligentiæ ſuæ defectum occultaret, cooperuit pluribus plicis partem Corporalis, ſed reperta eſt per omnes plicas tranſiiſſe, & reliquiſſe rubeam admodùm Sanguinis formam Hoſtiæ in pluribus partibus Corporalis. Johannes verò Diæſtemius Blærus *loc. cit.* ait: *Sacerdotem Bolſenæ celebrantem, inter verba conſecrationis dubium in Fide, vidiſſe carneis oculis Hoſtiam in formam pietatis, & de ea Sanguinem fluere in Calice. Quo territus, dum conaretur occultare, & cooperire de Corporali, apparuit mox forma pietatis in ſingulis partibus Corporalis, & ita coactus eſt Populo aſſiſtenti miraculum patefacere. Quod ubi Populus comperit, ad Urbemveterem properans, Summo Pontifici mirabilia ſtupenda, quæ viderat, nunciavit.* Quod quidem Corporale de mandato præfati Pontificis ad Urbemveterem, in qua ipſe commorabatur, proceſſionaliter translatum fuit, & in Cathedrali Eccleſia ad perpetuam rei memoriam uſque ad præſentem diem decentiſſimè reſervatur, & aliquando Populo oſtenditur cum magna veneratione.

Inſignis hujus miraculi occaſione, necnon Feſti Sacratiſſimi Corporis Chriſti Leodii jam inſtituti, ejuſdem ſacri myſterii ſollemnitatem, annuatim quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes, perpetuis temporibus ubique celebrandam, Urbanus indixit, de qua inſtitutione extat præclara, & elegans ejuſdem Pontificis Conſtitutio ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Prælatos directa.

Prædictæ Bullæ data conſtat ex originali ejuſdem, quod in Archivo ſecreto Bi-

bliothecæ Vaticanæ aſſervatur, cujus copia primum locum ſibi vindicat inter Bullas ejuſdem Pontificis, quæ habentur in *tom.* 1. Bullarii Romani, eam quoque exhibet in ſua Sacra Hierologia laudatus Pennazzi. Urbani tamen Bulla, ob bellicos tumultus, quibus penè tota Europa agitabatur, ſuum effectum ſtatim aſſecuta non fuit. Durandus enim, qui paulò poſt Urbanum ſcripſit Rationale Divin. Offic. nullam habet de hoc Feſto mentionem; hinc factum eſt, ut in Concilio Viennenſi Anno 1311. Clemens V. Urbani Bullam iterum promulgaverit, atque altera ſua Bulla confirmaverit. Docet id Gloſſa à Martene *cit. loc.* relata his verbis: *Quia illa Conſtitutio Urbani, non fuit recepta ab omnibus, ideò Clemens PP. V. innovavit illam Conſtitutionem, & illam præcepit ab omnibus obſervari.* Clementinam Conſtitutionem ſuſceperunt Reges Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ, quæ poſtmodum Anno 1316. à Johanne XXII. ſucceſſore Clementis nova promulgatione fuit confirmata, & ab aliis deinceps Romanis Pontificibus gratiis, & privilegiis exornata. Hinc fortaſſe non erit immunis ab errore Papirius Maſſonius, dum *in lib. 5. de Epiſc. Urbis*, in Vita Urbani IV. ſcripſit: Hoc Feſtum ante Annum 1318. non fuiſſe in Gallia receptum. Quidquid ſit, certum eſt, quòd poſt promulgationem à Johanne XXII. factam, fuit ab omnibus Eccleſiis, nulla diſcrepante, ſuſceptum. Qui plura de inſtitutione hujus Feſti deſiderat, legat ea, quæ tradunt Chriſtianus Lupus *tom.* 1. *in erudit. Diſſert. de Sacris Proceſſ. inſerta tom.* 11. *recentiſſimæ editionis Venetæ.* Chapeavilla Canonicus, & Vicarius Eccleſiæ Leodienſis *tom.* 2. *Pontificum Leodienſium.* Henſchenius *ad tom.* 4. *Aprilis.* Martene *loc. supracit.* Theophilus Raynaudus *tom.* 11. *pag.* 347. Grancolas *Comment. Brev. lib.* 2. *cap.* 81. Thomaſſinus *lib.* 2. *de Feſtis cap.* 19. Baillet *tom.* 4. *pag.* 164. *& ſeqq.* ſupracit. Franciſcus Pagius *in Vita Urbani IV.* præcipuè verò Andreas Pennazzi in Hiſtoria prædicti miraculi, in qua innumeros alios Hiſtoriæ hujus Feſti Scriptores recenſet.

De origine, & inſtitutione Proceſſionis, quæ in hac die fieri ſolet, nonnulla infrà dicemus.

## De Auctore Officii ejuſdem Sacratiſſimi Corporis Chriſti. §. II.

IV. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem n. 2. *Sanctus Thomas in Officio ejuſdem Feſti, cujus ipſe fuit Auctor, &c.*) Primum hujus Feſti Officium, alii à Religioſo Hoſpitalis Montis Cornelii prope Urbem Leodienſem, alii verò à Johanne Clerico Leodienſi compoſitum fuiſſe aſſtruunt, & hoc comprobant auctoritate illius, qui Vitam B. Julianæ exaravit. Quoniam verò tale Officium juxta Gallicanum Ritum compoſitum fuerat, Urbanus IV. aliud componi juſſit juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per S. Thomam Aquinatem, quod tanta pietate, tantaque divini ſpiritus unctione refertum eſt, ut illud mox omnes Eccleſiæ perſolvendum ſuſceperint, ipſa etiam Leodienſis Eccleſia S. Martini, illo relicto, quod primùm jubente S. Juliana à Johanne Clerico, vel ab alio compoſitum fuerat, & ipſa decantare inceperat, ſed Rituum ſuorum tenax, nonnulla ad proprium uſum jam accommodata, Officio Doctoris Angelici adjecit, ut ſunt Hymni ad ſingulas Horas proprii, propriæ item Collectæ cum quibuſdam Antiphonis, & verſiculis. Omnes eruditi Viri verum, & germanum Auctorem prædicti Officii eſſe S. Thomam Aquinatem agnoſcunt, omnemque ſuper hac re evellit ſcrupulum eruditiſſima Diſſertatio, quam elucubravit P. Natalis Alexander ejuſdem Ordinis Prædicatorum Profeſſor.

Hinc in Propylæo ad Menſem Maji *part. 2. pag.* 53. eruditiſſimus P. Papebrochius, celebris inter Bollandi continuatores, opinionem ſuam retractavit, dicendo: *Ecce citiùs, & pluſquàm ſperarunt, ultrò praſto, in eorundem (nimirum PP. Dominicanorum) ſententiam totus tranſiens, & paratus ſimilem ſatisfactionem, quibuſcunque aliis dare, ſicùt jam pluribus caſibus dedi, quando pro iis viderim veritatem ſtare. Contra hanc, nihil nec poſſum, nec volo.*

Prædicta communis ſententia, quòd S. Thomas dictum Officium verè compoſuerit, jubente Urbano IV. confirmare videtur etiam Theodoricus Valicolor, loquendo de Urbano IV. ita canens:

*Sic dignè ſtatuit, ut in anno Corporis hujus*
*Tam Feſtum celebre fiat in Orbe ſimul;*
*Poſt Pentecoſtes Octavas luce Jovis; nam*
*Conſumi Chriſtus fecerat iſta die;*
*Hocque ſui terno Papatus fecit in anno*
*Officiumque novum continet iſta dies.*

Ex quibus duo optimè eruit Franciſcus Pagi *loc. ſupracit.* primum, hanc inſtitutionem factam fuiſſe ſub finem Anni tertii Pontificatus Urbani, cùm Breve ad Evam datum ſit Anno quarto ineunte. Secundum, jam anteà fuiſſe aliud Officium de eadem ſollemnitate, Leodii nempe, cùm Theodoricus Valicolor referat iſtud Feſtum continere novum Officium, illud ſcilicet, quod eſt à S. Thoma compoſitum, quodque Urbanus ad Evam miſit, & ſuo diplomate commendavit. Denique omne ſubmovetur dubium circa hanc quæſtionem, ſi legatur Conſtitutio Sixti IV. inſerta *in tom.* 3. novi Bullarii Dominicani *pag.* 555. collecti, & nonnullis eruditiſſimis notis illuſtrati à doctiſſimo P. Bremont ejuſdem Religionis Profeſſore, & Sacræ Theologiæ Magiſtro. Lubet hìc exhibere verba prædictæ Bullæ, & ſunt ſequentia; *Ac in ejus ſollemnitate, ad venerandam inde memoriam, idem Urbanus Prædeceſſor ſtatuit Feſtum Glorioſiſſimi Sacramenti, annis ſingulis, & temporibus perpetuis V. Feria poſt Octavas Pentecoſtes à cunctis Fidelibus ubique ſollemniter celebrari, propriumque ejuſdem ſollemnitatis Officium per B. Thomam de Aquino, tunc in ipſa Curia exiſtentem, compoſitum edidit.*

## De Proceſſione ſollemni in hoc Feſto facienda, §. III.

V. Gavant. pag. 215. col. 1. n. 3. *Fit Proceſſio ſollemniſſima, &c.*) De ſollemni Proceſſione, quæ hac die fieri ſolet in omnibus Eccleſiis, gravis apud eruditos, & ſacrorum Rituum DD. agitatur quæſtio, utrùm Urbanus IV. eam inſtituerit, ſicùt certum eſt, quòd Feſtivitatem Corporis Chriſti ubique celebrandam indixit. Nonnulli, quos ſuppreſſo nomine refert Eminentiſſimus & ſapientiſſimus Cardin. Lambertini in ſua quinta Inſtructione Paſtorali *vol.* 1. in ea verſantur ſententia, quòd cùm de ſollemni hujus diei Proceſſione ne minimum quidem verbum Urbanus IV. fecerit in ſua Bulla, qua hodiernam ſollemnitatem inſtituit, idem Pontifex ejuſdem Proceſſionis Auctor non ſit. Alii verò è contrà arbitrati ſunt, Urbano IV. non minùs hujus diei Feſtivitatem, quàm Proceſſionem eſſe aſcribendam, ex quo Panvinius ſcriptis conſignatum reliquit, quòd dictus Pontifex juſſit ſibi afferri proceſſionaliter ex Oppido Bolsenæ ad Civitatem Urbevetanam, in qua commorabatur, ùt non ex innuimus, ſacrum illud Corporale Sanguine Chriſti perfoſum, de quo *ſuprà* mentionem fecimus: en verba Panvinii -- Admonitus Pontifex ab Epiſcopo loci, cum Proceſſione ad Urbemveterem transferri voluit, & illud, ſollemnitate inſtituta, in Eccleſia

Urbevetana condidit -- Sed quidquid ſit de hac quæſtione, hoc certiſſimum eſt, non maltò poſt talis Feſti erectionem, inſtitutam fuiſſe etiam Proceſſionem, idque docent antiqui libri, & Rituales circa illa tempora ſcripti, ùt tradit Edmundus Martene *loc. ſupracit.*

In aliquibus verò locis, non ſolùm hac die, ſed etiam per totam Octavam fit iſta Proceſſio, cujus inſtitutionis Hiſtoriam refert Monacellus *tract.* 2. *tit.* 13. *n.* 10. ex actis Bollandi *tom.* 1. ad Menſem Aprilis *pag.* 459. 462. 465. 477. recogn. & examin. à S. R. C. ſub die 10. Junii 1709. Nonniſi tamen ad illam, quæ fit in prædicta Feria V. hujus Feſtivitatis, tenetur Clerus Secularis, & Regularis omnium Ordinum, atque piæ Sodalitates convenire, juxta Concilii Tridentini Sanctionem, quæ habetur *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. in qua ſtatuitur: *Quòd tam Clerici Regulares, quàm Seculares quicumque, etiam Monachi, ad publicas Proceſſiones vocati accedere compellantur.*

VI. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem n. 3. *In Minoribus autem Eccleſiis, &c.*) Cùm Proceſſio, quæ facienda eſt in hac Sollemnitate, ſit ſollemnior omnibus Proceſſionibus, diſtinctior quoque ejus pompa, & apparatus eſſe debet; ornatus enim major majorem Sollemnitatem oſtendit.

De Eccleſiæ itaque apparatu, nimirum de illa Eccleſia, in qua Proceſſio incipit, ac finem habet; Primò dicimus, quòd ſuper omnia curandum eſt, ut ubi per ornatum, ſive pompam, iſta magna Sollemnitas nequit haberi, per nitorem ſaltem, & munditiem habeatur, adeò ut Eccleſiæ parietes, qui velis, vel aulæis ornari nequeunt, ſaltem per decorem, & venuſtatem eluceant, nec pulvere, ſive araneis ſordeſcant. Pavimentum verò perpolitum ſit, & floribus, ſeu herbis benè olentibus, præſertim ubi Proceſſio tranſire debet, ſit ſparſum, & ſeminatum; Qui quidem flores non debent projici nec in faciem, nec ſuper dorſum incedentium in Proceſſione, ùt declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum *in Calien. Synod.* 21. *Januarii* 1720. relat. ab Urſaja *tom.* 5. *part.* 2. §. 16. *num.* 71. Nihil igitur ſordidi, nihil ludicri, neque indecori prorſus appareat in tali Eccleſia, cùm omnes actus ſcenicos, & profanos prohibeat Cæremoniale Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 12.

Altare inſuper, in quo eſt ponenda Sanctiſſima Euchariſtia, parari debet Feſtivo apparatu, & pretioſiori ſupellectili, Non tamen placet in eo ponere Statuas cum Reliquiis Sanctorum, ne Populus minimum quid diſtrahatur ab adoratione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. In eodem Altari non deſit copia Lampadarum, & Candelarum quæ ardeant, & ſint ad minus viginti juxta Inſtructionem Clementis PP. XI. fel. rec. quam *ſuprà* per extenſum dedimus. Deinde ſuper Altare in loco aliquantulùm eminenti collocetur parvum Baldacchinum albi coloris, ſub quo ponetur Corporale, ſeu Palla ſupponenda Sanctiſſimo Sacramento, quod ibi exponi debet. Cavendum tamen eſt, ne ita altè ponatur, ut neceſſe ſit indecenter ad illud aſcendere, tam pro exponendo, quàm pro reponendo Sanctiſſimo Sacramento, ſed ſit ad talem altitudinem, ad quam commodè aſcendi poſſit per aliquod ſcabellum graduatum ad hoc paratum. Ex Biſſo *lit. A. num.* 247. Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 2. *num.* 7.

In Sacriſtia verò pro facienda prædicta Proceſſione præparari debent Paramenta pretioſa albi coloris, pro Celebrante, & Miniſtris, quoad Miſſam Sollemnem; Item Pluviale album pretioſius, ſumendum à Celebrante in fine Miſſæ, præterea Amictus, Alba, Cingulum, & Tunicella, ſine Manipulo, pro alio Subdiacono, qui in hac Proceſſione Crucem deferre debet, ut ſupponit Gavant. *hoc tit. num.* 5. Item quamvis Epiſcopus in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti non deferat Euchariſtiam, Canonici tamen induere debent Sacras Veſtes,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ut declaravit S.R.C. die 17. Martii 1628. & habetur tale Decretum in noſtro Indice ſub *num.* 227. quapropter præparentur in Choro ad loca ſeu Sedes Canonicorum Pluvialia pro Dignitatibus, plures Planetæ pro Canonicis Presbyteris, Dalmaticæ pro Canonicis Diaconis, & Tunicellæ pro Subdiaconis Canonicis, & Amictus pro ſupradictis Dignitatibus, & Canonicis; qui Sacris Veſtibus ita induti procedunt in Proceſſione, incipiendo à Minoribus, vel Inferioribus, hoc ordine: videlicèt, primò Subdiaconi cum Tunicellis, & Diaconi cum Dalmaticis, deinde Presbyteri cum Planetis, ultimo loco Dignitates cum Pluvialibus, ut ii omnes appareant cum Paramentis ſuo ordini convenientibus coram ſuo Rege, à quo eorum tota Gloria, ſplendor, & decor emanat, in ſuo Solio reſidente; quod videtur obſervandum in aliis etiam Eccleſiis non Cathedralibus (præſertim ſi ſit conſuetudo, quæ admodùm laudabilis eſt) quòd Eccleſiaſtici in Sacris Veſtibus convenientibus ſuo ordini, in tali Proceſſione incedant. Item præparentur in Sacriſtia alia Pluvialia alba, ſecundùm numerum haſtarum Baldacchini pro iis Presbyteris, ſeu Beneficiatis ex Dignioribus, qui juxta Ceremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 4. *& lib.* 2. *cap.* 33. §. 5. initio Proceſſionis, & per totam Eccleſiam, uſque ad Portam ejuſdem, Baldacchinum, ſeu ipſius haſtas deferre debent. Si tot Pluvialia haberi poſſunt, ita procedant, alioquin cum Cottis, ſemper tamen ſine Stolis; Quod ſi fieri non poteſt, ob parvum Clericorum numerum, præſertim in Collegiatis, aut aliis Eccleſiis Parochialibus, haſtæ Baldacchini deferentur etiam in Eccleſia ab iis, ad quos pertinet juxta loci conſuetudinem, vel à Nobilioribus ex Laicis, qui adſunt Proceſſioni, Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 16. *num.* 9. Sodalibus alicujus piæ Confraternitatis habitu ejuſdem indutis. Supradicta Pluvialia ſolent adhiberi in Eccleſiis Cathedralibus, & in aliis, ubi ex privilegio Apoſtolico celebratur pontificaliter. Item in Sacriſtia duo Thuribula cum ſuis Naviculis, & plura funalia, & Candelæ ceræ albæ, geſtandæ ab omnibus de Clero in Proceſſione, omnes enim, tam Eccleſiaſtici, quàm Laici, niſi funalia, ſaltem candelas cereas accenſas manibus geſtare debent. Bauld. *ſup. n.* 5. 8. *&* 11. & ex Biſſo *Lit. S. n.* 63. §. 12.

Credentia quoque paretur cum omnibus requiſitis ad ſollemnem Miſſam celebrandam more conſueto; Sed prætereà ratione Proceſſionis faciendæ, hæc addantur. Primò ſuper Patenam Calicis ponantur duæ Hoſtiæ magnæ conſecrandæ à Celebrante, quarum una ſervanda erit pro Proceſſione. Secundò, præter velum humerale Subdiaconi, ponatur aliud pretioſius, quo uti debebit Celebrans pro Proceſſione. Tertiò ponatur Oſtenſorium ſuo velo albo coopertum, in quo reponendum eſt Sanctiſſimum Sacramentum pro Proceſſione. Biſſus *lit. C. n.* 557.

Prope Altare, ſed in loco remoto in plano Presbyterii, convenit, quòd ponatur aliquod Scabellum, cum duobus, vel tribus gradibus, quo uti debet ille, qui ponet ſub parvo Baldacchino in eminenti loco poſito Oſtenſorium. Item in Presbyterio (vel in Sacriſtia) ponatur Crux Proceſſionalis adhærens parieti, prope Credentiam. Baldacchinum perpulchrum etiam cum ſuis haſtis in loco congruo, non longè ab Altari præparetur, deferendum in Proceſſione ſupèr Sanctiſſimum Sacramentum, vel etiam præparari poteſt tale Baldacchinum extra Presbyterium.

Paretur quoque Umbella ſerica albi coloris cum ſuis laciniis, vel ſericis, vel aureis, vel demum argenteis circa eam pendentibus. Umbella coloris rubei, quo utuntur nonnulli, non eſt toleranda, non enim concordat cum Paramentis Euchariſtiæ convenientibus, & aſſignatis. Gavantus *part.* 5. *de Menſuris*; Cavalier. *hic num.* 25. & Baruffaldus *Tit.* 80. *num.* 38.

Non-

Nonnulla Decreta ſpectantia ad hanc Proceſſionem, ſummatim in unum collecta, dabimus paulò infrà.

VII. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem num. 3. *In Miſſa verò cantanda, &c.*) Hac die, dicta Tertia, celebratur ſollemnis Miſſa de more; Tertia tamen citiùs cantari poteſt, ùt habet Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 15. & eſt caſus ſingularis ob longam Proceſſionem, & calorem; Celebrans igitur ſollemniter celebrat more conſueto cum Miniſtris Sacris, ſed duas magnas Hoſtias conſecrat, quarum unam tantùm elevat, & alteram pro Proceſſione relinquit ſuper Corporale in ſua ſiniſtra, cavens, ne Manipulo ſuo eam tangat, dum elevat Sanctiſſimum Sacram ntum, aut aliud agat. Bauldry *ſuprà art.* 3. *num.* 1. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Hac die.* Reliqua, quæ ſpectant ad Miſſam hujus diei, quomodò agenda ſint, ne eadem ſæpiùs repetantur, colligi poſſunt ex iis, quæ à nobis tradita ſunt in noſtris Additionibus, & Obſervationibus *ad Tit. XIII. part.* 2. ubi egimus de Miſſa, quæ celebratur ſollemniter pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, occaſione Orationis quadraginta Horarum, & pro ejuſdem Sacramenti repoſitione. Rurſus legi poſſunt pariter ea, quæ tradidimus pro celebranda Miſſa in Feria V. in Cœna Domini. In hac autem Miſſa elevato SS. Sacramento, vel etiam antè, ſi opus erit, junior Ceremoniarum Magiſter curabit, ut Proceſſio ſecundùm ordinem in rotulo infrà deſcribendum dirigatur, & procedat. Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 16.

Sumpto Sacratiſſimo Corpore, vel paulò ante Communionem, à Ceremoniario per viam breviorem defertur Oſtenſorium cum velo quo tegitur, quod (genuflectendo priùs utroque genu SS. Sacramento) collocat ſuper Altare extra Corporale in latere Epiſtolæ, & facta iterum genuflexione, ùt ſuprà, recedit. Diaconus verò, qui ſtabat ad librum, facta ibidem genuflexione unico genu (dum Celebrans ſumpto Corpore Sacratiſſimo ſtat in meditatione SS. Sacramenti) accedit ad dexteram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, ut ſuprà, & ſurgit, ſerviens proùt Subdiaconus, recedente interim præfato Subdiacono cum iiſdem genuflexionibus in receſſu, & acceſſit ad latus Evangelii, ubi li ro, ſeu Miſſali aſſiſtit. Sumpto à Celebrante Sacratiſſimo Sanguine, Diaconus Calicem prædicti Celebrantis versùs cornu Evangelii ponit, ſed ſuper Corporale, ipſumque palla cooperit, & continuò Oſtenſorium detectum aperit, & collocat ante Celebrantem, qui ſtatim cum Diacono, & Subdiacono genuflectit in ſuo loco unico genu; moxque ſurgunt, & Celebrans, extracta lunula ex Oſtenſorio, ſua propria manu dextera adaptat Sacram Hoſtiam in ſupradicta lunula, quam cum Sacra Hoſtia in Oſtenſorio deinde reponit, quod adjuvante Diacono ſtatim claudit, & in medio Corporalis reverenter collocat, veloque ſuo cooperit. Poſteà tam Celebrans, quàm Miniſtri Sacri genuflectunt, & deinde ſurgunt. Adſtantes Clerici, Ceremoniarius, & alii, non genuflectunt, dum Sacra Hoſtia collocatur in Tabernaculo geſtatorio, ſed manent inclinati, ſicùt ad Communionem. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. §. *Hac die*, Bauldry *ſuprà art.* 3. *num.* 1. & 2.

Tum Celebrans dat Communionem iis, qui ſunt communicandi, ſi opus ſit, cum ſolitis, & debitis reverentiis; ſed præſtat, ut fiat Communio ante Miſſam, vel ut differatur ad aliam horam commodiorem, vel meliùs, dicta Miſſa, in qua fit Communio, anticipetur. Repoſita igitur Hoſtia in Oſtenſorio, ùt ſuprà notatum eſt, & ſumpta purificatione, Celebrans Calicem ponit in cornu Epiſtolæ extra Corporale, & cætera ipſe, & Sacri Miniſtri peragunt, uſque ad finem Miſſæ, ùt diximus in noſtris

Addi-

Additionibus ad *tit.* 14. *partis* 2. ſub *num.* 14. 15. *& ſeqq.* ubi egimus de Miſſa ſollemni, celebrata coram SS. Sacramento.

VIII. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem n. 3. *Finita Miſſa deponuntur Manipuli, &c.)* Finito ultimo Evangelio, Diaconus accedit prius ad Altare, ſicùt & Celebrans accedit ad medium ejuſdem Altaris, & illum immediatè ſequitur Subdiaconus, ibique Celebrans, facta cum ipſis genuflexione, ſtat medius inter eoſdem Sacros Miniſtros, dum à Diacono aufertur velum album ab Oſtenſorio (quod adhuc remanet in medio Corporali) ut Hoſtia Sacroſancta ab omnibus conſpiciatur; ex Baruffaldo de Feſto SS. Corporis Chriſti *tit.* 80. §. 20. *n.* 3.

Deinde facta iterum genuflexione, tam à Celebrante, quàm à Miniſtris, in medio Altaris unico genu, ut faciliùs ſurgere poſſint (ſine tamen capitis inclinatione) tum unus poſt alium, præcedente Subdiacono, deſcendunt per gradus laterales à cornu Epiſtolæ in planum, & retrahunt ſe retro Altare, ſi parieti non adhæreat, vel ad Credentiam, ſeu cornu Epiſtolæ, ob præſentiam SS. Sacramenti, ubi adjuvante Ceremoniario, vel Diacono, & Subdiacono, juxta conſuetudinem Eccleſiarum, ùt ſuprà diximus, Celebrans exuit Planetam, deponit Manipulum (quem etiam Miniſtri Sacri deponunt) & accipit Pluviale. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 17. *num.* 1.

Poſteà per planum incedens, manibus junctis, nudo capite, medius inter Miniſtros Sacros, elevantes hinc inde fimbrias Pluvialis, accedit ad medium, ubi genuflectit cum eiſdem Miniſtris Sacris in plano, utroque genu, & cum ipſis etiam profundè ſe inclinat; tum erectus, in medio inferioris gradus Altaris, ùt colligi poteſt ex Cerem. Epiſc. cum Miniſtris poſteà genuflectit; Nicolaus de Bralion *ſuprà*; ibique parumper orat.

IX. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem n. 3. *Et genuflexus ter incenſat Sacramentum, &c.)* Quamvis certiſſimum ſit apud omnes, quòd Celebrans, peractis iis, quæ ſuprà diximus, debeat ter incenſare Sacramentum, nihilominùs variæ ſunt Auctorum ſententiæ circa gradum Altaris, ſuper quo Celebrans genuflexus debeat Sacramentum in Tabernaculo Oſtenſorio poſitum incenſare. Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *de Miſſa ſollemn. quæ coram SS. Sacram. expoſito celebratur num.* 11. *& part.* 1. *cap.* 16. *de Feſto Corporis Chriſti art.* 3. *de Miſſa, & Proceſſione SS. Sacramenti num.* 5. *& art.* 6. *num.* 1. *Item art.* 8. *de expoſit. SS. Sacramenti initio Officii per totam Octavam n.* 3. & demum *art.* 12. *num.* 3. & alibi tenet, quòd Celebrans debeat aſcendere ad ſecundum gradum Altaris, & ibi genuflectere, & in eodem gradu SS. Sacramentum incenſare; alii verò, nimirum Tonellius *lib.* 2. *cap.* 2. §. 2. *de Expoſit. SS. Sacram. num.* 7. Claudius Arnaudus *part.* 4. *in Epit. Theſ. Sac. Rit. tit.* 12. *num.* 3. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. *de Feſto Corp. Chriſti* §. *Dum terminatur Miſſa, &* §. *Lubet hic addere.* Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 16. Biſſus *lit. H. num.* 222. §. 2. à Portu *cap.* 8. *de Miſſa ſollemni coram Ven. expoſit. num.* 3. Vinitor *part.* 4. *tit.* 24. *de Feſt. Corp. Chriſti num.* 7. & ipſemet Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 7. *de Orat. publ. num.* 4. dicunt, quòd Celebrans debeat genuflectere ſuper ſuppedaneum, & in eodem SS. Sacramentum incenſare; denique ſupracit. Hippolytus à Portu *in Appendice prima de privata Ven. expoſit. num.* 4. *&* 6. docet, quòd prælaudatus Celebrans debeat genuflectere ſuper ſuppedaneum, ſi gradus ſint tres, quòd ſi forent plures, tunc in ſecundo gradu (& non ſuper ſuppedaneum) genuflexus ter incenſet Sacramentum. Horum tamen omnium diverſa in hoc Ritu opinio omnino rejicienda eſſe videtur; tum quia Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 26. in reditu Proceſſionis SS. Sacramenti in ejus Feſto præcipit, quòd Celebrans genuflectat in infimo gradu Altaris, ibique genuflexus opportuno tempore thurificet Sacramentum, proùt legere

eſt *loc. ſupracit.* tum quia Nicolaus de Bralion in ſuo elaborato Canonicorum Ceremoniali *part. 3. de Oratione quadraginta Horarum n.* 8. de incenſatione SS. Sacramenti in Miſſa appoſitè notat, ùt ſuprà, per hæc ipſa verba: *Incenſatur verò SS. Sacramentum à Celebrante genuflexo in infimo Altaris gradu.* Idem Auctor *cap.* 17. *de ſollemni Proceſſ. SS. Sacramenti in ejus Feſto num.* 1. *& cap.* 18. *de Statione, quæ fit per viam, & in fine Proceſſionis num.* 7. & denique *cap.* 19. *de iis, quæ obſervanda ſunt infra Octavam SS. Sacramenti num.* 4. ſicùt etiam ſupracit. Turrinus §. *Cùm pervenerint*, idem docent cum Ceremon. Epiſc. & id etiam habetur in inſtructione pro expoſitione SS. Sacramenti in Oratione quadraginta Horarum Clementis XI. *n.* 16. *& n.* 20.

Confirmatur hæc ſententia ex eo, quòd Summus Pontifex cum Mitra ſedens in Solio, à primo ex Eminentiſſimis Presbyteris Cardinalibus genuflexo in infimo gradu ejuſdem Solii Pontificii incenſatur, ùt colligitur ex Cerem. Romanæ Eccleſiæ Marcelli Archiep. Corcyrenſis *pag. 66. à tergo* editionis Colonienſis, quamvis præfatus Summus Pontifex non ſit niſi Chriſti Domini noſtri Vicarius in Terris. In favorem hujus ſententiæ alia etiam trademus infrà, quibus magis magiſque confirmabitur noſtra opinio de thurificando SS Sacramento à Sacerdote genuflexo in infimo Altaris gradu.

Igitur dum Celebrans, & Miniſtri genuflexi in infimo gradu Altaris parumper orant, duo Thuriferarii cum Thuribulis, & Naviculis incedunt ad cornu Epiſtolæ, ubi genuflectunt, & facta Oratione à Celebrante, & Miniſtris, ipſe Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt (neque hìc genuflexionem SS. Sacramento facere debent, quia non diſcedunt à medio in quo ſunt) & ſtatim accedentibus ad dexteram Diaconi Thuriferariis cum debitis genuflexionibus, imponit Celebrans incenſum, miniſtrante Diacono Naviculam, in Thuribulum primi Thuriferarii genuflexi, ſine ulla benedictione, & abſque oſculis; tum ipſe Thuriferarius paululùm recedit, & cedit locum ſecundo Thuriferario (qui pariter manet genuflexus cùm ſuſtinet Thuribulum) in cujus Thuribulum pariter Celebrans imponit Thus ex prima Navicula, quam ideò retinuerat apud ſe Diaconus; quo facto, idem ſecundus Thuriferarius ſurgit, & facta genuflexione recedit aliquantulùm, & manet genuflexus in plano à cornu Epiſtolæ. Primus verò Thuriferarius iterum accedit ad Diaconum, cui, poſt Naviculam ſuam receptam, tradit Thuribulum, & parùm recedit, advertens ipſe, & omnes alii, ne vertant terga SS. Sacramento, quantùm fieri poteſt.

Poſito incenſo in duobus Thuribulis, Celebrans genuflectit cum Miniſtris ùt priùs, deinde Diaconus tradit primum Thuribulum ſine oſculis Celebranti genuflexo, qui ter incenſat SS. Sacramentum, facta profunda inclinatione antè, & poſt, quam etiam Miniſtri Sacri faciunt cum Celebrante antè, & poſt, elevantes interim anteriores partes Pluvialis. Deinde Celebrans reddit Thuribulum Diacono genuflexo, & hic primo Thuriferario, qui ſtatim ſe recipit ad cornu Evangelii è regione alterius Thuriferarii. Hi autem duo, acceptis Thuribulis, incenſare non debent SS. Sacramentum, niſi durante Proceſſione. Bauldry *ſuprà n. 9. & 10.*

Tum imponitur Celebranti ſuper humeros Velum humerale, quod cùm firmatum fuerit à Ceremoniario, vel ligulis antè, ſi in ipſo ſint, vel ſpinulis retrò; Cerem. *ſuprà num.* 20. ipſe Celebrans, juxta ſententiam Nicolai de Bralion *part. 3. cap.* 17. *n.* 2. aſcendit inter Miniſtros Sacros uſque ad ſecundum Altaris gradum, tum genuflectit ſuper ſuppedaneum cum Subdiacono; Diaconus verò accedit uſque ad Altare, ubi facta genuflexione unico genu, ſine capitis inclinatione, capit Oſtenſorium, ubi eſt SS. Sacramentum, ambabus manibus, & tenens illud, Imagine Crucifixi, quæ eſt in Hoſtia,

ſtia, ad ſe converſa; illud tradit Celebranti eodem modo, ita ut in tota Proceſſione prædicta Imago Crucifixi, non Celebrantem, reſpiciat, ſed viam, quam habet ante ſe.

X. Gavant. pag. 215. col. 1. n. 4. *Et ſtans, genuflexo Celebranti immediatè tradit, &c.*) Diaconus ſtans, prædictum Oſtenſorium tradit, ùt dixi, Celebranti, qui manibus ſub Velo poſitis, illud cum debita reverentia accipit genuflexus: regulare enim eſt, ut SS. Sacramentum ſemper à ſtante tradatur, & à genuflexo recipiatur; ſtatim verò ac ipſe Diaconus in manibus Celebrantis Oſtenſorium reverenter poſuerit, genuflectit eodem loco, in quo eſt, ſed convenire videtur, ut idem Diaconus etiam genuflexus profundam faciat inclinationem Sacramento, ùt fit facta incenſatione ejuſdem Sacramenti, ac ſtatim accedens ad dexteram Celebrantis, genuflexus accipit partem anteriorem ſui Pluvialis, quam ſuſtinet, & Subdiaconus pariter genuflexus idem facit ex altera parte à ſiniſtris: tum Celebrans cum ipſis Miniſtris ſurgit, & aſcendit ſuper planum ultimi gradus, ſeu ſuppedanei, ut ibi commodiùs cum iiſdem ſe vertere poſſit ad Populum, eodem modo, quo ſe vertit in Miſſa pro dicendo *Dominus vobiſcum*; & Miniſtri Sacri item eodem modo, & ſimul cum ipſo ſe vertunt, ita ut Diaconus vertendo ſe non relinquat dexteram, nec partem quam ſuſtinet Pluvialis, ſed ſimul vertendo ſe cum Celebrante ſequatur eandem dexteram, Subdiaconus verò ſiniſtram. Bralion *ſuprà num.* 5.

Statim verò ac Celebrans ſe vertit ad Populum, duo Cantores deputati in medio Presbyterii, & ad SS. Sacramentum converſi, intonant Hymnum *Pange lingua, &c.* & Chorus illum proſequitur alternatim ab una, & ab alia parte (omnibus tunc cum debita genuflexione SS. Sacramento incipientibus progredi eo ordine qui infrà deſcribitur) vel ambæ partes Chori prædictum Hymnum proſequuntur alternatim cum Muſicis, ſi adſint, & cantantur illi Hymni, ſi longa ſit Proceſſio, qui in Rituali præſcribuntur; Celebrans verò in hac Proceſſione ſubmiſſa voce cum Miniſtris recitat *Pange lingua*, & alios Hymnos, & Pſalmos, quos faciliùs mente recitare poteſt, quos ſemper primus incipit, dicendo ſolùm totum primum ℣. Deinde Miniſtri Sacri dicunt ſecundum, & ſic alternatim illos proſequuntur, ex Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 22. & Nicolao de Bralion *ſuprà num.* 6. Celebrans nunquam cum aliis in Proceſſione Sacramenti cantat; limitatur tamen hæc regula, quando Proceſſiones in locis extra Urbes fiunt, aut in Oppidis, aut in aliis Ruralibus locis, in quibus, ſi Celebrans ſileret, aliquando, vel nemo caneret, vel inordinatè, & extra tonum Populus boatus ederet, eò quia vel nullus vel pauci cantum Gregorianum, ſeu tonos Hymnorum callent, atque unicè id, quod audiunt, facilè repetunt. Baruffaldus *in Comment. ad Rituale Rom. de Proceſſ. in Feſto SS. Corporis Chriſti tit.* 80. §. 4. *ſub. num.* 49.

Beneficiati, ſeu Manſionarii ſupradicti, parati cum Pluvialibus, ùt ſuprà, finita Miſſa accedunt, facta ab omnibus genuflexione SS. Sacramento utroque genu, ad accipiendas haſtas Baldacchini (ſibi ab Acolythis porrectas) ad Cancellos, ſeu ad aditum Presbyterii, aut etiam ad locum Altari, quoad fieri poteſt, viciniorem, ſecundùm commoditatem loci. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 17. *num.* 3. ibique genuflexi manent, donec tempus ſit procedendi.

Ita pariter Subdiaconus, deputatus ad ferendam Crucem, eam accipit, cumque ſtatim duo Ceroferarii excipiunt, obviantes ei cum ſuis Candelabris de Credentia ſumptis, ad ingreſſum Presbyterii, vel extrà, ſi fieri poteſt; ibique ſtant, & nunquam genuflectunt, habentes medium Subdiaconum, directè coram SS. Sacramento, qui ſimiliter dum Crucem tenet, nunquam genuflectit, & ſic permanent, ita ut Baldacchinum

ſit inter eos, & Altare, ut priores poſteà faciliùs procedant. Ex Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *num.* 4.

Statim ac data eſt benedictio in fine Miſſæ, diſtribuuntur in Choro Candelæ ceræ albæ, ſeu faces, ab aliquo Miniſtro, pro Proceſſione, quæ etiam accenduntur; ex Bauldry *ſuprà*.

XI. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem n. 4. *Sed manibus tantùm Celebrantis, &c.*) Docet Gavantus, Tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ non eſſe deferendum Sacerdotum humeris, ſed manibus tantùm Celebrantis, ùt declaravit S. R. C. in Decreto ab ipſo allegato, & dato in noſtro Indice ſub *num.* 167. Hoc tamen non obſtante, Romana Rota *in una Hiſpalen. Proceſſionis* ſuper ſecundò dubio coram Ansaldo, die 28. Julii 1702, firmavit, & dixit, quod ab Innocentio XI. permiſſa Anno 1686. ex voto S. R. C. Capitulo Hiſpalenſi vetuſta conſuetudine deferendi Sacramentum, in illius annua ſollemnitate, ſuper pretioſæ ſtructuræ Machina, non licet Archiepiſcopo illam impedire, prætendendo eundem Euchariſticum Panem propriis manibus geſtare. Confirmationes autem Apoſtolicæ in Ordine ad Ceremoniale, nunquam intellexerunt tollere, & infringere conſuetudines centenarias, & immemorabiles. Ita, inquam, dixit, & firmavit Rota *ſuprà*, quam Deciſionem affert Scarfantonus ad Ceccoperium *tom.* 1. *in fine Deciſ.* 41. *&* 32. *pag.* 159. Rurſus etiam Urbeveteri in prædicta ſollemnitate, vel ex aliqua conceſſione, vel ex antiqua conſuetudine, adhuc fertur Sanctiſſimum Sacramentum proceſſionaliter in ea Machina argentea, ubi aſſervatur Sacrum Corporale, in quo accidit miraculum omnibus notum (de quo nos *ſuprà num.* 3. agentes de hiſtoria hujus Feſti) bajulantibus Sacerdotibus indutis Sacris Veſtibus, haſtasque Baldacchini ſerentibus aliis Presbyteris cum Pluviali.

Cùm ſæpe dicatur, à Celebrante, qui defert Sacramentum, debere ſervari nonnullos Ritus, nunc quæritur, quinam erit iſte Celebrans, qui debet deferre SS. Sacramentum ſuis manibus in hac Proceſſione? Baruffaldus citandus, reſpondet cum Clericato de Sacrificio Euchariſtiæ *deciſ.* 60. *num.* 20. *&* 21. in prima die ſollemnitatis Corporis Chriſti, ſollemnis Proceſſio in quacunque Eccleſia Cathedrali eſt facienda ab ipſomet Epiſcopo, ſi non ſit impeditus, ſin minùs, à prima Dignitate, juxta Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 8. cui concordant nonnulla S. R. C. Decreta, quæ ſummatim collecta lubet hic ſubnectere.

Miſſarum ſollemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, &c. & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere debet, & ſolet, juxta formam Ceremonial. Epiſc. abſente, vel impedito Epiſcopo, ad primam Dignitatem, & prima deficiente, ad ſecundam, & ſic ſucceſſivè pertinet. Ita S. R. C. 25. Junii 1611. *in Civitaten. ſeu Sancti Severi*, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 1:6.

SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Feſto Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum eſt in Proceſſione, quæ fit in die Dominico infra Octavam ejus. S. R. C. 23. Martii 1709. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 612.

Idem confirmatur in Decreto edito die 5. Junii 1634. ut in expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti Orationis quadraginta Horarum, qui celebrat, vel ordinat Veſperas in dictis Sollemnitatibus, geſtare debeat Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione immediatè ad Miſſam, vel Veſperam ſequent. & affert hoc Decretum Paſcuccius in Compendio ad Conſultat. Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 3. *tit. de Parocho, & Parochis*, *pag.* 210. juxta editionem Romanam, ſed 129. juxta editionem Venetam.

Non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Non convenit, quòd prima Dignitas celebret Miſſam ante Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde alia Dignitas minor geſtet illud in Proceſſione. S. R. C. 31. Julii 1632.

Hoc Decretum confirmatum fuit ab Innocentio XI. *in Conſtit.* 21. quæ incipit: *Aliàs emanarunt*, & quæ habetur in Bullario Romano editionis Luxemburgenſis *tom.* 5. ſub die 4. Julii 1689. & hæc dantur in noſtro Indice ſub *num.* 226.

In Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia à Celebrante; In Veſperis autem Octavæ (ſi fiat Proceſſio) deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modò ſit Dignitas, vel Canonicus. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 207.

Aſſiſtentia Epiſcopo in Miſſis Pontificalibus &c. Peragere ſollemnia Miſſarum, & delatio Sanctiſſimi Sacramenti, abſente Epiſcopo in Feſtivitate Corporis Chriſti, ſpectant ad primam Dignitatem, vel ſucceſſivè ad alias Dignitates, vel ad ſeniorem Canonicum, non autem ad Vicarium Generalem. S. R. C. 29. Maji 1655. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 317.

Impedito, vel nolente Epiſcopo celebrare in Sollemnitatibus, majoris hebdomadæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & cæteris expreſſis in Ceremoniali Epiſc. prout etiam occaſione Proceſſionum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & ſimilium, tam iſtæ, quàm cæteræ functiones expleri non poſſunt à Vicario Generali, nec Canonico hebdomadario, ſed ſpectant ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias; Ita declaravit S. R. C. *in Gerunden.* 11. Februarii 1702. & hoc Decretum habetur apud Scarfantonum ad Ceccoperium *part.* 1. *lib* 2. *tit.* 13. *ſub num.* 9. *pag.* 177.

Miſſa Conventualis in die Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ſi abeſt Epiſcopus, celebrari debet per Digniorem de Capitulo ejus Eccleſiæ, in qua dies Feſtus celebratur, & ſic in Collegiata, in qua incipit & deſinit ipſa Proceſſio; ita declaravit Sacra Rota 8. Februarii 1677. *in Burgen. Praeminentiarum coram Bourlemont. deciſ.* 66.

Alia Decreta ſpectantia ad hanc Proceſſionem, tradentur à nobis infrà.

Quamvis reſolutum ſit, ùt vidimus, à S. Congregatione, præſertim die 23. Martii 1709. quòd ille, qui celebrat Miſſam in Feſto SS. Corporis Chriſti, debeat deferre Sacramentum in Proceſſione, excipitur tamen ab hac regula Epiſcopus, qui licèt non celebret Miſſam Pontificalem, nihilominus ab ipſo deferri debet Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione hodierna, niſi legitimè fuerit impeditus, & non à prima Dignitate, ſeu à Digniori Canonico, qui Miſſam cantavit, & hoc colligitur ex ſupracit. Ceremoniali Epiſc. eodem loco.

In Oppidis verò, & aliis locis Ruralibus, à Sacerdote Seculari digniori illius loci deferri debet. Ita Barboſa *Deciſ. Apoſt. collect.* 335. *num.* 9. *&* 10. Et Nicolaus *in Floſculis v. Euchariſtia num.* 25. *&* 26. Pax Jordanus *lib.* 3. *tom.* 3. *num.* 9. Bauldry *ſuprà* §. 2. *num.* 3.

XII. Gavant. pag. 215. col. 1. num. 5. *In Proceſſione Clerus, &c.*) Elevato Sanctiſſimo Sacramento, vel etiam antè, ſi opus erit, junior Ceremoniarum Magiſter curabit, ut Proceſſio ſecundùm ordinem in Rotulo deſcriptum dirigatur, & procedat: Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 23. §. 16. & juxta Decretum editum à S. R. C. 8. Maji 1617. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 161. & poſteà curare etiam debet, ut continuato, & convenienti ordine omnes per viam ſemper procedant, non huc illucque eundo. Nicolaus de Bralion *ſuprà cap.* 16. *num.* 1. qui etiam vult, ut ad hanc Proceſſionem, duo vel tres Ceremoniarum Magiſtri deputentur, præter illum, qui Celebranti pro Miſſa, & Proceſſione aſſiſtat. Idem *loc. citat.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Omnes procedere debent in hac Proceſſione detecto capite, quamvis longè ſint à Sanctiſſimo Sacramento, non ideò tamen abſque birreto Clericali incedere convenit Clericis; ſed illud manu à Candela non impedita ante pectus geſtare debent, nec valetudo excuſare poteſt in hoc caſu, juxta Decretum S. R. C. ſub die 3. Auguſti 1695. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 509 & allegatum etiam à Sarnellio Epiſtolarum Eccleſiaſt. *tom.* 4. *Epiſt.* 26. *num.* 4. Quamvis enim Pontifex reſervatam habeat facultatem concedendi Pileolum in celebratione Miſſæ, ùt declaravit S. C. Epiſc. 2. Januarii 1690. & 17. ejuſdem 1695. & S. R. C. 31. Januarii, & 24. Aprilis 1626. ùt refert noſter Gavantus *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 2. *num.* 2. & Corſettus *Addit. num.* 26. nihilominùs ille, cui datur talis facultas, non poteſt uti Pileolo, tam in ſollemni, quàm in privata Miſſa, à Præfatione uſque ad peractam Communionem. Pyr. Corradus *Praxi diſpenſat. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 31. Polaccus *part.* 1. *num.* 13. quod & ampliari poteſt ad tempus præſentis Proceſſionis, quia tam in Miſſa à Canone ad Communionem, quàm in Proceſſione hodierna patet Sanctiſſima Euchariſtia, cui debetur cultus latriæ. Baruffaldus *ſuprà* §. 4. *à num.* 50. *ad num.* 52. uſque.

XIII. Gavant. pag. 215. col. 1. eodem num. 5. *Regulares ante Clerum procedant, &c.*) Unaquæque Religio, & Confraternitas, quæ præcedere debent Clerum Secularem, cum ſuis inſignibus, & Cruce, ac etiam funalibus, ſeu candelis accenſis, in Proceſſione hac procedit. Ceremoniale Epiſc. *loc. citat.* Crux in Proceſſionibus deferenda eſt à prædictis Regularibus cum velo pendente, ùt decrevit S. R. C. die 14. Januarii 1617. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 157. Ordo autem deſcribendus in prædicto Rotulo, & procedendi in hac Proceſſione, erit, ut primo præcedant Confraternitates Laicorum ſi adſint, & ſi utantur proprio, & particulari habitu Confraternitatis, aliàs enim nullum debent habere locum particularem; Deinde Religioſi ſecundùm ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel conſuetudine, præcedere ſolent; Poſtmodùm Curiales, & Officiales, portantes intortitia accenſa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, & Magiſtratus, juxta Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 5. quod procul dubio ita intelligendum eſt, ſi ipſi Religioſi aut etiam Confratres intortitia non portent, alioquin prædicti laici nobiliores, ùt *ſuprà*, ante omnes alios procedere deberent, cùm manifeſtum ſit, talem locùm eis non dari, niſi quatenus decet majora lumina viciniora eſſe Sanctiſſimo Sacramento; Magiſtratus, & Officiales ibunt, ùt *ſuprà*, vel ſecundùm conſuetudinem loci, poſt Sanctiſſimum Sacramentum; Non enim ita exactè poteſt regulari hæc Proceſſio, quin quoad multa aliquid conſuetudini (modò ſit tolerabilis) concedatur. Omnes autem in hac Proceſſione deferre debent, juxta Ceremoniale Epiſc. *ſuprà* §. 4. tam laici, quàm Religioſi, ſi non funalia, ſaltem candelas Ceræ albæ accenſas; Et idem dicendum de omnibus aliis de Clero: Bralion *part.* 3. *cap.* 16. *num.* 2. & hoc eſt juxta Decretum etiam datum in noſtro Indice ſub *num.* 15. quas quidem Candelas debent deferre ea manu, quæ extima cuique eſt, altera pectori admota, ùt optimè notat Gavantus *hic*, & nos tradidimus, agentes de Proceſſione, quæ fit occaſione Orationis quadraginta Horarùm; ab hac regula excipiendi videntur ii, qui proximiores Sanctiſſimo Sacramento deferunt intortitia, ùt paulò inferiùs fuſiùs advertemus.

Cantores, ſeu Muſici, ſi adſint, procedant ante Crucem, ſecundùm Ceremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 16. §. 15. quod tamen intelligendum videtur de Muſicis, qui non ſunt Beneficiati, neque etiam de gremio Eccleſiæ, aut Clerici, ſed Laici, quamvis Cottis induti; nam ſi ſint Clerici, ſeu Beneficiati, convenientius videtur, ùt eſt uſus communior, ut procedant immediatè

poſt

poſt Crucem. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. *& cap.* 16. *num.* 3. Si tamen ob magnum numerum Clericorum Eccleſiæ, qui ſequuntur poſt, valdè remoti eſſent à Sanctiſſimo Sacramento, profectò conveniret, ut poſt omnes Clericos procederet minor Chorus ſelectorum Muſicorum vocis ſuavioris, qui eodem tempore, quo alter, ſcilicet alternatim cum Clero eodem cantaret. Idem Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 3. Sed abſint quæſo, ait Baruffaldus infrà citandus, ab hac Sanctiſſima functione Muſici, qui vocis ſtrepitu nimis hilari, ac licentioſo, pietatem, & devotionem Populi diſtrahunt, & diſſipant, & tot repetitionibus inutilibus Religionem in incommodum vertunt; Baruffaldus *ſuprà*, *&c.*

Huc pertinent ſequentia Decreta à S. R. C. edita, ſcilicet.

In Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S.R.C. die 20. Martii 1609. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 95.

Nullo modo convenit, ut Magiſter Capellæ incedat in Proceſſionibus cum Beneficiatis, ſed quacumque conſuetudine, vel uſu non obſtante, debet incedere cum ſuis Cantoribus immediatè poſt Crucem, ante ipſos Beneficiatos, vel in loco, ubi ab Epiſcopo ordinatum fuerit. S.R.C. 20. Novemb. 1610. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 112.

Rurſus eadem S. C. Vigilienſi Epiſcopo, ſuiſque Canonicis, ſupplicantibus declarari, ubi, & quomodò incedere debeant Cantores in Proceſſionibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti, aliiſque Sollemnibus? Sacra, inquam, Congregatio reſpondit 8. Octobris 1650. ſervandum eſſe Ceremoniale Epiſc. *in cap.* 2. *lib.* 1. & alibi, eoſque ſuperpelliceo indutos tunc incedere debere, & refert hoc Decretum Paſcuccius in Compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 2. *Tit. de Præcedentia, & Præminentia, pag.* 248. juxta editionem Romanam, & 152. juxta Venetam.

XIV. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 5. *Qui Crucem defert, congruit, &c.*) Poſt prædictos in Proceſſione ſequitur Clerus, hoc eſt primò, qui defert Crucem, & hic, ùt notat Gavantus, congruit, ut veſte Subdiaconali ſit indutus, & debet procedere medius inter duos Ceroferarios, portantes duo Candelabra cum candelis accenſis (nullo tamen præeunte Thuriferario; Procedentes verò obſervare debent, ut, exceptis Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis, qui non genuflectunt, omnes alii genuflexionem faciant utroque genu, etiam profunda Capitis inclinatione. Turrinus *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 2. *de Feſto Corporis Chriſti §. Præcedentes*) Deinde, ſi adſunt Clerici Seminarii, juxta Decretum editum à S. R. C. die 17. Septembris 1607. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 72. nimirum -- Clerici Seminarii debent in Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Secularem, & relinquere locum digniorem Curatis -- Poſt eos autem præcedere debent Eccleſiarum Parochialium Curati, cum Cottis, & eorum inſignibus, ſi illa deferre ſoleant, tum Eccleſiæ Collegiatæ, item cum eorum inſignibus, & deinde Clerus Eccleſiæ Cathedralis, cujus Eccleſiæ Beneficiati, ſeu Manſionarii, ex Dignioribus, vel alii Beneficiati Eccleſiæ Collegiatæ, ſeu Parochialis, parati cum Pluvialibus, ùt *ſuprà* adnotatum eſt, haſtas Baldacchini per Eccleſiam deferent; ibunt deinde in Proceſſione cum candelis accenſis ante Canonicos (ſi aderunt, vel ante alios Presbyteros, ubi non ſunt Canonici) qui ſimiliter omnes, unà cum Dignitatibus erunt parati Paramentis albis, nempe Dignitates, ſeu Digniores de Clero cum Pluvialibus; alii ſecundùm ordinem cum Paramentis ſibi competentibus, ùt *ſuprà* dictum eſt; Omnes tamen ſine Stolis, & Manipulis, ac ſine eorum inſignibus; deferent tamen omnes intortitia, aut ſaltem candelas accenſas, modo, quo *ſuprà* diximus.

Ceremoniarius nullum certum locum habere poteſt, nec candelam deferre debet, ſed omni-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

omnibus debet providere modeſtè, ut debitis modo, ordine, & ea, qua par eſt, reverentia fiant. Bauldry *part.* 4. *cap.* 6. *art.* 3. *num.* 14. & juxta Decretum editum à S. R. C. die 8. Maji 1617. & datum in noſtro Indice ſub *num.* 161. Nimirum -- Ceremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem, & ejus Aſſiſtentes, & ubique diſcurrit, quando opus eſt, pro ordinanda Proceſſione -- Immò, ùt *ſuprà* diximus, conveniens eſt, ut pro dirigenda hac Proceſſione plures adſint Ceremoniarum Magiſtri.

Poſt Dignitates, ſeu Eccleſiæ Digniores, à lateribus hinc inde ibunt octo Cappellani; ſeu Clerici cum Cottis, qui in Miſſa inſervierunt, quatuor pro qualibet parte, deferentes eadem funalia accenſa, quæ pro Miſſa ſervierunt, & poſt eos duo Acolythi cum duobus Thuribulis, continuè Sanctiſſimum Sacramentum per viam thurificantes; ex Ceremoniali Epiſcoporum *ſuprà* §. 7. & videantur quæ diximus ſuprà loquentes de Proceſſione, quæ fit Feria V. in Cœna Domini, ubi explicatur, quomodò prædicti Acolythi thurificare debeant.

Hic notandum occurrit, non eſſe neceſſe, ut qui prædicta octo intortitia geſtant, procedant à lateribus Baldacchini (quod fieri non poteſt ſine magno incommodo, ùt optimè notat Bralion *ſuprà cap.* 16. *n.* 6.) ſicut quidam male opinantur, diſpoſitionem Ceremonialis Epiſc. malè interpretantes, eò quòd ibi dicatur, quòd procedunt à lateribus Baldacchini, quæ verba nihil aliud profectò ſignificant, quàm quòd procedere debeant hinc inde ab una parte, & ab altera, immediatè ante Baldacchinum; & hunc eſſe ſenſum genuinum dictorum verborum, clarè colligitur ex ſeqq. nam additur, quòd immediatè poſt eos ſequuntur duo Acolythi Thuriferarii, continuò Sacramentum incenſantes, quod nullo modo fieri poſſet, ſi à lateribus Baldacchini procederent, ùt optimè advertit Bralion *loc. ſupracit.* qui tamen *num.* 7. ſequenti advertit, quòd deferentes prædicta octo intortitia, ea non debent deferre manu extima, ſicuti deferuntur candelæ ab omnibus in Proceſſione, ùt ſuprà diximus; ſed prædicti octo (juxta Bralion ſententiam) qui à dexteris ſunt, debent deferre intortitium manu ſiniſtra, altera manu ſupra pectus poſita; qui verò procedunt à ſiniſtris, deferre debent intortitium manu dextera; deinde ſubdit Bralion, quòd idem facere debent omnes, qui portant funalia, aut cereos. Sed certum eſt, hoc eſſe contra praxim communem, nam in omnibus Eccleſiis deferentes candelas, & etiam funalia, ea deferunt juxta regulam traditam à Gavanto, nimirum manu extima, & ſic qui à ſiniſtris ſunt, manu ſiniſtra, & qui à dexteris ſunt, manu dextera, ùt docet etiam Bauldry *ſuprà art.* 3. *num.* 13. Cur autem, qui deferunt intortitia, ſeu funalia, debeant ab hac regula recedere, & alia manu, nempe intima ea deferre, nullus alius hoc docet, niſi Bralion *ſuprà*, nullam aſſignando rationem. Aliqua tamen afferri poſſet pro illis octo, qui deferunt intortitia immediatè ante Baldacchinum, nimirum conveniens eſſe, ut ea deferant manu intima, quia talia funalia, & intortitia ſic delata proximiora ſunt SS. Sacramento, quod defertur à Celebrante, qui proximè adeſt ſub Baldacchino.

Sequitur deinde Celebrans, detecto, & nudo capite, deferens manibus ſuis SS. Sacramentum, inter Diaconum, & Subdiaconum, hinc inde, ùt ſuprà dictum eſt, Pluvialis fimbrias elevantes, ex Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 8.

Dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris, tenens ambabus manibus Oſtenſorium, prompta debet eſſe umbella albi coloris, ſupra caput ejus elevanda, priuſquàm tranſeat, & ſe ſupponat Baldacchino; quia Baldacchinum difficilè, & cum magno incommodo ad Altare accedere poteſt, ut Celebrantem tegat. Igitur, ùt diximus in Proceſſione Feriæ V. in Cœna Domini, & Orationis quadraginta

Hora-

Horarum, conveniens eſt, ut prompta ſit umbella per totum ſpatium, quod intereſt ab Altari ad Baldacchinum, ne Sacramentum abſque honoris tegmine, licèt per breve ſpatium, deferatur; nam Baldacchini haſtæ ſolent ad Cancellos, ſeu in aditu Chori, vel in medio Presbyterii elevari; itaque ab Altari uſque ad medium Presbyterii, ſeu uſque ad aditum Chori, umbella miniſterium ſuum præſtabit, tegendo caput Celebrantis, ſeu meliùs Sacramentum, vice Baldacchini, donec Celebrans ipſe tranſeat, & Baldacchino magno ſe ſupponat, Baruffaldus *ſuprà* §. 3. *n.* 37.

De Thuribulis fumigantibus, noſter P. Quarti *de Proceſſ. ſect.* 3. *n.* 13. *in ſextam circumſtantiam* quærit quintò, an Thuriferarii debeant incenſare, vel ſuffumigare pavimentum, ſternendo viam in hac Proceſſione, & poſt allatas hinc inde rationes, relinquit reſolutionem arbitrio dirigentium Proceſſionem, alterum ex ibi adductis modis eligere in reverentiam Sacramenti, de quibus pariter nos locuti ſumus, agentes de Proceſſione, quæ fit Feria V. in Cœna Domini. Dicit tamen allegatus Quarti in fine, quòd modus ille ſternendi viam cum Thuribulis effumantibus, magis congruit huic Proceſſioni, quæ fit per vias publicas. Hæ enim, cùm ſint profanæ, indigent prævia quadam cum incenſo expiatione, ſalvo ſemper, &c.

Huc ſpectat, ſummatim tradere in unum collecta ſequentia Decreta, quæ omnia pertinent ad magis confirmanda ſupradicta, & ad dirigendos Ritus hodiernæ, & aliarum etiam Proceſſionum.

Clerus Eccleſiæ Cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in Proceſſionibus, nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedrali incedere, Ita S. R. C. 21. Auguſti 1604. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 36.

Presbyteri, & Clerici Cathedralis, omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & omnes ſub una Cruce debent incedere, Ita *Gavant. Rubr. Miſſ.*

S. R. C. 28. Novembris 1609. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 103:

Curatus ratione Stolæ debet præcedere aliis Presbyteris, etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. S. R. C. 24. Octobris 1609. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 102.

Confraternitati SS. Sacramenti, quæ ſumptus ceræ facit, poteſt concedi, ut in Proceſſionibus ejusdem SS. Sacramenti, aliqui ex Confratribus cum funalibus accenſis incedant hinc inde apud SS. Sacramentum; dummodò major pars Confraternitatis, cum ſua Cruce, & Inſignibus, incedat antè in loco ſuo. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Nepeſina*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 89.

Priores Confraternitatis SS. Sacramenti, non ante Baldacchinum poſt Capitulum, ſed à latere Baldacchini debent incedere. S. R. C. 30. Januarii 1616. & datur in noſtrò Indice ſub *num.* 153.

Abbates, quando ſunt plures in eodem loco, & habent Clerum diſtinctum, debent in Proceſſionibus incedere unuſquiſque cum ſuo Clero. S. R. C. 19. Januarii 1613. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 134.

Rectores Eccleſiarum Parochialium in Proceſſionibus, non debent incedere inter Dignitates & Canonicos, ſed ſeparatim cum ſuo Clero, & ante Clerum Cathedralis. S. R. C. 12. Maji 1612. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 125.

Ubi habitus Dignitatum eſt diſtinctus, & diverſus ab habitu Canonicorum, quamvis Canonici ſint impares numero, non ſunt conjungendæ Dignitates cum Canonicis in Proceſſionibus, ſed tres ultimi Digniores, tam ex illis, quàm ex ipſis, incedunt ſimul in eadem riga. S. R. C. 3. Junii 1617. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 162.

Si Epiſcopus in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti non deferat Euchariſtiam, Canonici tamen Cathedralis induant ſacras veſtes. S. R. C. 17. Martii 1628. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 227.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Non licet, non habentibus uſum Pluvialis, in die & infra Octavam SS. Corporis Chriſti, peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento. Ita reſpondit S. R. C. 22. Januarii 1701. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 551.

Poteſt Archiepiſcopus Granatenſis ex immemorabili conſuetudine in Proceſſionibus ſollemnibus poſt ſe deferre ſellam geſtatoriam mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum. S. R. C. 10. Maji 1608. Et etiam in Proceſſione SS Corporis Chriſti. S. R. C 15. Septembris 1657.

Liquidò conſtat, tale Decretum eſſe municipale pro Eccleſia, & Antiſtite Granatenſi, non verò generale pro omnibus Eccleſiis Cathedralibus, & Epiſcopis, ùt aliqui ſupponunt, inter quos recenſetur Paſcuccius, qui idcirco in compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 1. *tit. de Epiſcopis*, conatur afferre rationes, quibus vindicare ſtudet præfatum Decretum verbis generalibus conceptum, veluti pro omnibus Epiſcopis, dicendo, quòd uſus ejusdem Decreti ſit juxta Ritus, & arbitrarius Epiſcopo, in quocunque loco magis apto, & deſignato ad miniſtrandum, præſertim quando eſt eadem ſella geſtatoria, qua utitur in Eccleſia, & quam Ceremoniale, Concilium, & Canones dicunt eſſe de dignitate, & de Pontificali, & uſus illius in ſtationibus reputatur, ac ſi eſſet in Eccleſia, quia Proceſſio ab exitu uſque ad reditum unicus dicitur actus, non minùs, ac ſi in ipſa Eccleſia perficeretur, ideoque omnia loca, per quæ Proceſſio tranſit, tanquam Eccleſia conſiderantur. Hucuſque Paſcuccius. Sed fruſtranea eſt talis interpretatio, quia, ùt dixi, præfatum Decretum non eſt generale pro omnibus Epiſcopis, ſed particulare, immò & ſingulare pro ſolo Archiepiſcopo Granatenſi ob immemorabilem conſuetudinem ibi expoſitam; unde fruſtra adducuntur rationes ad vindicandum illud Decretum, veluti eſſet generale pro omnibus Epiſcopis.

In Proceſſione ſollemni SS. Corporis Chriſti, quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus, non debent ſedere neque in ſcamno, neque in ſedibus. S. R. C. 21. Januarii 1690. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 494.

Proceſſio in ſollemnitate SS. Corporis Chriſti debet inchoari à Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eandem terminare. S. R. C. 15. Auguſti 1629. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 243.

Idem confirmatum fuit die 1. Septembris 1718. *in Nolana.*

Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini, nec in Feſto Corporis Chriſti, extra eorum jurisdictionem, & per Parochiam alienam. S. R. C. 11. Decembris 1613. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 138.

Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis Proceſſionibus SS. Sacramenti, Dominica infra Octavam Corporis Chriſti, mutare viam ſemel à principio electam. S. R. C. 24 Novembris 1615. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 150.

In Regno Caſtellæ, & Legionis in Hiſpania, ſervandum eſt Cerem. Epiſc. de generalibus Proceſſionibus, ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, ſeu Clerici Seculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant; Superiores verò dictorum Regularium numerum debitum, decentem, & conſuetum Fratrum ad easdem Proceſſiones mittant. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in una Caſtiliæ, & Legionis*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 8.

In Eccleſiis Regularium habentibus Clauſtrum, fiant Proceſſiones intra Clauſtra tantùm; ſi verò non habent Clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam, ſive per eandem. S. R. C. 26. Febr. 1628. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 224.

Ubi adeſt Sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia ſuper alias Confraternitates

tates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 19. Junii 1655. & datur in noſtro Indice ſub *num.* 314.

Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere Proceſſiones, niſi de licentia & conſenſu Parochi, ſalvis privilegiis, ſi quæ ſint. Proceſſiones verò Confraternitatum non debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt. S. R. C. 26. Februarii 1628. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 225.

Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt Proceſſiones juxta cujusvis Confraternitatis inſtitutum, abſque interventu, & licentia Parochi. S. R. C. die 10. Decembris 1703. & datur in noſtro Indice ſub. *n.* 572.

Cappellanus Confraternitatis, non poteſt ſuo arbitrio, ſine expreſſa licentia Epiſcopali, Proceſſiones facere. S. R. C 4. Martii 1606. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 46.

Primicerius, licèt dubitetur, an ſit Dignitas, debet in Proceſſionibus capere Pluviale, ſicùt Dignitas, & non Planetam, ſicùt Canonicus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Capuana*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 54.

Canonici Eccleſiæ Collegiatæ, non debent in Proceſſionibus incedere parati, ſicùt Canonici Cathedralis. S. R. C. 19. Maji 1607. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 66.

Poteſt Epiſcopus compellere Regulares, etiam per Cenſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. S. R. C. 27. Julii 1609. *in Ferrarien.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 99.

Regulares præcedente generali indictione, tenentur accedere ad Proceſſiones publicas SS. Corporis Chriſti, proùt reſpondit Sacra Concilii Congregatio *in una Inſularum Canariæ juriſdiction.* apud Monacellum in Formulario Legali practico *part.* 4. in ſupplemen. ad 2. *tom.* ſub *n.* 443.

Regulares tenentur accedere, ubi vocati fuerint, ad Proceſſiones Corporis Chriſti, Rogationem, quæ vocatur Litania major, & ad eas, quæ pro ſerenitate, vel pluvia impetranda fieri ſolent, necnon ad alias quaſcunque pro bono publico, & onere indictas, dummodò eorum Monaſteria à Civitate ultra medium milliare non diſtent, aut niſi exhibeant privilegia Apoſtolica poſteriora publicatione Sac. Conc. Trident. & quatenus accedere noluerint, compellendi ſunt per cenſuras, vel alias pœnas Epiſcopo beneviſas. Eadem S. Concilii Congregatio *in Mediolanen.* die 3. Aug. 1658. vide Decretum in noſtro Indice ſub *n.* 2.

Non poteſt Epiſcopus cogere Clerum totius Diœceſis, ad intereſſendum Proceſſioni, in die ſollemnitatis SS. Corporis Chriſti; ita cenſuit Sac. Concilii Congregatio *in Foroſempronien.* apud Paſcuccium in compendio ad Conſultationes Canonicas Jacobi Pignatelli *part.* 2. *tit. de Proceſſ. pag.* 163. juxta editionem Venetam.

Quamvis Epiſcopus, adhibito Capituli Conſilio, præfigat, & dirigat, ac transferat Proceſſiones, tamen non poteſt pervertere, & immutare Ritum Proceſſionum à Ceremoniali, & Rituali Romano præſcriptum, neque de conſenſu Capituli. S. R. C. 26. Januarii 1658. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 326.

Aſſocians Proceſſionem SS. Sacramenti, gaudet immunitate Eccleſiaſtica. Sacra Congregatio Immunitatis, *in Beneventana* 30. Septembris 1636. & reperitur apud Paſcuccium in compendio ad Conſult. Pignatelli *part.* 1. *tit. de immunit. Eccleſiaſt.* & refert etiam Riccius *in Synopſi Decretorum dictæ Congreg. v. Immunitas Localis ſub n.* 4.

Presbyteri alicujus Eccleſiæ, inter limites propriæ Parochiæ, non poſſunt propriam Crucem erigere, ſed debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licèt Parochia ſit Regularium. S. R. C. 12. Martii 1616. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 154.

Dum elevatur Euchariſtia, Canonici, & Clerus, qui proceſſionaliter incedunt, debent genuflectere. S. R. C. 2. Maji 1620. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 178.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Verùm hoc Decretum non ſe extendit ad eos, qui interſunt Proceſſioni SS. Sacramenti; iſti enim ad prædictam elevationem, non tenentur genuflectere, quia ſunt in actuali illius adoratione. Biſſus *lit. G. n.* 19. §. 2.

Rurſus adnotare debemus, quòd juxta alias diſpoſitiones, Clerici Miſſæ inſervientes non debent pulſare campanulam ad elevationem Sacramenti in Miſſa, dum Proceſſio tranſit ante Altare, ubi celebratur.

Epiſcopus in publicis Proceſſionibus, cum cappa, & birreto, non inter Dignitates, ſed ſolus incedere debet; quòd ſi deferatur aliqua Imago, ſeu Reliquia, ipſe cum cappa, & birreto debet incedere poſt Imaginem, ſeu Reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Novembris 1628. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 239.

XV. Gavant. pag. 215. col. 2. n. 6. *De Baldacchino, & Haſtarum &c.*) Nos quoque in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Feriam V. in Cœna Domini, necnon ad Proceſſionem, quæ fit pro Oratione quadraginta Horarum, ſatis locuti ſumus de Haſtarum Baldacchini diſtributione. Nunc addendum eſt, quòd Baldacchinum debet eſſe perpulchrum, & quadratum, albi coloris, cum octo haſtis, vel ad minùs quatuor ad ejus angulos, æquali diſtantia diſtributis, & mobiliter fixis in telario ſuperiori, totam machinam quadratam componente. Forma illius omnino decet, ut ſit quadrata, & fixè immobilis, non autem plicabilis, & ſine telario, ut in aliquibus locis adhibetur, quia iſta plicabilitas parit deformitatem, nec ſemper tenet partem ſuperiorem apertam, & expanſam, unde fit, quod Sacerdos deferens Euchariſtiam, tectus aliquando maneat, & ſub dio. Baruffaldus *ſuprà part.* 4. *tit.* 80. *num.* 43.

Ordo autem hujusmodi haſtas geſtandi, ita eſt, ut dignior ferat primam haſtam, quæ ante Celebrantis dexteram; ſecundus alteram, quæ proxima eſt ante Celebrantis ſiniſtram; tertius aliam, quæ immediatè eſt ſub prima à parte dextera; quartus aliam, quæ ſuccedit primæ à parte ſiniſtra; quintus tertiam haſtam à parte dextera; ſextus tertiam à parte ſiniſtra; ſic deinceps, ita ut minùs digni habeant poſtremas haſtas poſt tergum Celebrantis. Deinde ſi via erit longior, præſertim in hac Proceſſione SS. Corporis Chriſti, diſtribuendum erit onus ferendi haſtas prædictas cæteris Civibus, & Nobilibus Civitatis, ſeu Officialibus, vel Sodalitatibus, pro locorum conſuetudine, judicio Epiſcopi moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ, aut contentiones oriantur. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 2.

Quòd ſi inter Digniores, & illuſtriores plures eſſent, qui de æquali gradu, aut præeminentia contenderent, adeò ut omnibus his primo loco haſtæ Baldacchini aſſignari nequirent, relinquitur iis ultimus locus, ideſt ubi Proceſſio jam pervenit ad Eccleſiam, ad quam dirigitur; talis enim locus reputatur primo æqualis. Ceremoniale Epiſc. *ſuprà §.* 3.

Primo tamen loco Sacerdotes digniores de Capitulo, ſive ſint Dignitates, ſive Canonici, ſive Beneficiati, aut Manſionarii digniores (ùt ſuprà notatum eſt) parati cum Pluvialibus albis juxta conſuetudinem Eccleſiæ, deferant Baldacchini haſtas, quas portabunt per totam Eccleſiam, & ad Eccleſiæ januam cùm pervenerint, in laicorum manibus eas relinquent, qui primo loco Barones, & Nobiliores, ſeu Magiſtratus eſſe debent, deinde alii, ùt ſuprà dictum eſt. Ipſi verò Beneficiati ibunt ad locum ſuum, ideſt ante Canonicos paratos. Ex Ceremon. Epiſc. *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 21.

Si adſint Prælati in hac Proceſſione, & Nobiles Laici, incedunt poſt Celebrantem, & ſi velint, faces deferant, ùt decet. Continuatè, uniformiter, & ſine ulla interruptione omnes incedant, ita ut non ſiſtant ſe Clerici, niſi neceſſitas id poſtulet; & ſi contingat, eos tranſire ante Sanctiſſimum Sacramentum, quod fortè defertur ab aliis,

non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non propterea debent ſe firmare. Si item accidat, ut Celebrans per aliquos gradus aſcendat, aut deſcendat, Ceremoniarius, aut alius, Albæ extremitates, & veſtes interiores Celebrantis elevet. Advertant autem, quòd Dignitates, Canonici, ſeu Sacerdotes, qui poſteriores ſunt, cavere debent, ne nimium ſe elongent à Sanctiſſimo Sacramento. Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *num.* 20. & 21.

XVI. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 6. *De circulo, & via procedendi, &c.*) Nihil addendum eſt, niſi quòd modus procedendi, vel à prædicto latere Evangelii, ad latus Epiſtolæ, ſi id patiatur locorum ſitus, videtur conformis Pontificali Romano, in quo præſcribitur, ut in dedicatione Eccleſiæ Proceſſiones ſic inchoentur.

Si longior ſit Proceſſio, poteſt Celebrans in aliqua Eccleſia, & ſuper illius Altare, deponere Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Corporale in eo præparatum, & aliquantulùm quieſcere, quod tamen non paſſim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, quæ forſitan per viam conſtructa, & ornata reperiuntur, faciendum eſt, ſed ſemel tantùm, & iterum, arbitrio Celebrantis. Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 22. frequentes enim Stationes videntur importunæ, & ſæpe Proceſſionis ordinem pervertunt. Bauldry *ſuprà n.* 23.

Cùm igitur Celebrans pervenerit ad locum Stationis ante Altare, Diaconus genuflexus cum debita reverentia accipit ab ipſo Celebrante ſtante Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, ſeu Oſtenſorium; Celebrans verò, ſtatim ut in ejus manibus illud repoſuit, & priuſquàm Diaconus ad Altare cum Oſtenſorio ſe vertat, genuflectit. Repoſito deinde Sanctiſſimo Sacramento in medio Altaris ſuper Corporale, Diaconus, facta priùs genuflexione unico genu Sacramento, ut faciliùs ſurgere poſſit, revertitur ad dexteram Celebrantis, qui, depoſito velo humerali, dum Cantores in cantu pauſato, & devoto, cantabunt Verſiculum: *Tantum ergo Sacramentum &c.* ſurgit (ſicuti & Subdiaconus) & tunc miniſtrante de more Diacono, imponit Incenſum in Thuribulum, deinde ſuis cum Miniſtris genuflectit; & incenſat Sanctiſſimum Sacramentum, eodem Ritu, quo initio Proceſſionis. Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 3.

Quo facto, duo Cantores, genuflexi ante Sanctiſſimum Sacramentum, cantabunt Verſiculum: *Panem de Cœlo, &c.* & reſponſo à Choro: *Omne Delectamentum &c.* Celebrans ſurgens, ex Libro, quem Diaconus, & Subdiaconus genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit, præmiſſo *Dominus Vobiſcum*, Orationem: *Deus qui nobis ſub Sacramento &c.* cum brevi concluſione: *Qui vivis, & regnas per omnia ſecula ſeculorum.* Ceremoniale Epiſc. *ſuprà* §. 27. & Rituale Romanum *de Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti.*

Cantata Oratione, Celebrans genuflectit, & ſtatim, ùt initio Proceſſionis, per Magiſtrum Ceremoniarum imponetur ſuper humeros ejus iterum velum humerale, ùt ſuprà adnotatum eſt, & interim Diaconus accedit ad Altare, facta genuflexione unico genu Sanctiſſimo Sacramento, capit Oſtenſorium, & ſtans illud reponit in manibus Celebrantis ſub velo poſitis, ac ſtatim genuflectit, ùt initio Proceſſionis. Celebrans verò illud accipit genuflexus cum debita reverentia, tum ſurgit cum Miniſtris, & continuatur Proceſſio, & ſimiliter cantus eorum, quæ priùs cantabantur, à loco, in quo intermiſſa fuere: Ex Nicolao de Bralion *ſuprà n.* 6.

Dum fit Proceſſio, ſemper pulſantur Campanæ Eccleſiæ principalis, & aliarum, ante quas tranſitur. Bauld. *ſup. n.* 24.

XVII. Gavant. pag. 215. col. 2. num. 7. *In fine Proceſſionis, &c.*) Expleto gyro Proceſſionis, omnes Religioſorum Ordines, ad eandem Eccleſiam, à qua Proceſſio diſceſſit, reverſi, ùt patet ex Decretis à nobis ſuprà datis, ac in ea manentes, benedictionem expectabunt, nec priùs diſcedant.

Subdiaconus deponit Crucem in loco decenti, hoc eſt in cornu Epiſtolæ prope credentiam, tum etiam ipſe in ſuo loco genuflectit, uſque ad benedictionem poſteà dandam. Bauldry *ſuprà n.* 25.

Item dum prædicta Proceſſio erit in fine prope eandem Eccleſiam, à qua diſceſſit, ante ejusdem Eccleſiæ fores, iterum Nobiliores Laici, vel alii Nobilitate eisdem æquales, Haſtas Baldacchini capient, & Celebrans ſub Baldacchino ibit uſque ad Cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris, juxta Eccleſiæ Structuram, aut ſituationem. Ceremon. Epiſc. §. 23. Poſtquàm Celebrans ad ſupremum Altaris gradum pervenerit, Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 24. hoc eſt ad ſecundum gradum prope ſuppedaneum, Turrinus *ſuprà* §. *Cùm pervenerit.* Bauldry *ſuprà num.* 29. (amoto Baldacchino, prompta ſit Umbella ſupra caput Celebrantis elevanda, uſquedum pervenerit ad ſupradictum ſecundum Altaris gradum, ùt ſuprà in initio Proceſſionis adnotavimus cum Baruffaldo ibidem citato) atque ibidem ſtans, deponit Oſtenſorium cum Sanctiſſimo Sacramento in manibus Diaconi genuflexi in plano ſuppedanei ad Cornu Epiſtolæ, quaſi vertentis renes eidem cornu, & hic cum debita reverentia accipiet de manu ipſius Celebrantis, ùt *ſuprà* ſtantis, Sanctiſſimum Sacramentum. Deinde idem Diaconus ſurgens reverenter Oſtenſorium collocat in medio Corporalis extenſi ſuper Altare, cavendo ne omnino renes vertat Celebranti. Advertere pariter debet, ne ſtatim Sacramentum ponat ſuper Altare, ſed tantillùm expectare, ut Celebrans utroque genu flexo illud reverenter adoret. Caſtaldus *in Praxi Cerem. lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 2. *n.* 8. Baruffaldus *ſuprà* §. 5. *n.* 64. Sic autem illud ponit, ut Imago Chriſti in Hoſtia Sacra expreſſa Populum reſpiciat. Bauldry *ſuprà* §. 29. Interim Cantores in cantu pauſato, & devoto, incipient ℣. *Tantum ergo Sacramentum &c.* Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 25.

Celebrans adorato Sanctiſſimo Sacramento, ùt ſuprà, deſcendit ad infimum Altaris gradum cum Subdiacono, & remoto ab eo velo humerali per Ceremoniarium, genuflectit in eodem infimo gradu. Cerem. Epiſc. *ſup.* §. 26. & cum ipſo genuflectit etiam Subdiaconus à ſiniſtris in dicto gradu.

Hìc nihil aliud addendum videtur, niſi quòd iſte gradus Altaris, in quo Celebrans genuflectere debet, & ſubinde incenſationem facere, diverſimodè à Scriptoribus intelligitur. Volunt enim alii, quòd ſit gradus primus, & nomine primi gradus intelligunt gradum ſupremum, & explicat Sarnellius *lib.* 8. *epiſt.* 26. Alii verò intelligunt nomine primi gradus, gradum infimum Altaris, & ſuſtinent quòd hæc incenſatio debeat fieri ſuper dicto gradu infimo, quæ quidem opinio colligi poteſt ex Ceremon. Epiſcop. *lib.* enim 2. *cap.* 33. §. 26. expreſsè tradit: quòd in reditu Proceſſionis ad Eccleſiam, Epiſcopus, depoſito velo, genuflectet ſuper pulvino in infimo gradu Altaris; Ubi mox erectus imponet incenſum in altero ex duobus Thuribulis, & iterum genuflexus, Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit. Rurſus idem pariter docet, loquendo de hac Thurificatione, Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 9. *cap.* 2. *n.* 8. *&* 9. Huic ſententiæ adſtipulatur etiam Turrinus *part.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 2. §. *Cùm pervenerint*, ubi ait: quòd Sacerdos cum Subdiacono deſcendit ad infimum gradum Altaris, ubi etiam genuflectit, & impoſito thure ſtando, iterum genuflectit, & incenſat Sacramentum. Denique hæc eſt praxis omnium Baſilicarum, & Eccleſiarum Urbis, & opinio omnium Magiſtrorum in Sacris Ritibus. Sarnellius tamen *cit. Epiſt.* 26. in qua propoſito ſibi hoc dubio: *Utrùm Sacerdos debeat incenſare Sacramentum ſuper primo gradu Altaris?* poſtquàm explicavit, quid veniat nomine primi gradus Altaris, utrùm infimus, vel ſupremus, adhæret tandem huic communi ſententiæ, & docet, quòd quando incenſatio Sacramenti

fit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit extra Miſſam, ſicùt eſt hæc, de qua loquimur, tunc procul dubio debeat hæc fieri à Sacerdote genuflexo ſuper infimo Altaris gradu; Sed quando occurrit incenſare Sacramentum intra Miſſam Sollemnem celebratam coram eodem Sacramento expoſito, tunc inhærendo noſtro Gavanto *part. 2. tit.* 14. *n. 6. & n.* 12. tenet cum ipſo, Sacramentum incenſari debere à Celebrante ſuper altiorem Altaris gradum cum Miniſtris genuflexo, ut ſit magis expeditus idem Celebrans ad cæteras functiones ejuſdem Miſſæ peragendas; ſicùt in eadem Miſſa, præter primam, & ultimam genuflexionem, quæ fiunt utroque genu in plano cappellæ, cæteræ genuflexiones fiunt à Celebrante, & Miniſtris Sacris, etiam coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito, unico tantùm genu, ut expeditiores ſint, ùt docet idem Gavantus *hoc tit. num.* 5.

Depoſito igitur Sanctiſſimo Sacramento à Diacono ſuper Altare in medio Corporalis, genuflectit de more unico genu, & accedit erectus ad dexteram Celebrantis genuflexi ſuper infimo Altaris gradu, ùt mox innuimus. Mox Celebrans cum Subdiacono ſurgit, & imponit Incenſum in altero ex duobus Thuribulis (miniſtrante Naviculam Diacono) ſine benedictione, & oſculis, ùt *ſuprà*, & iterum cum Miniſtris genuflexus in infimo Altaris gradu, Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu, prout feceras initio Proceſſionis, thurificabit, ùt mox diximus.

Supradictus igitur modus incenſandi Sanctiſſimum Sacramentum in infimo Altaris gradu, ſervandus eſt etiam in quavis alia functione, peragenda coram Sanctiſſimo Sacramento publicæ adorationi expoſito, præſertim quando hæc incenſatio fit extra Miſſam. Immò ex Nicolao de Bralion *part. 3. cap.* 3. *n.* 8. *& cap.* 17. *n.* 1. nec non *cap.* 18. *n.* 7. ac denique *cap.* 19. *n.* 4. ſicùt etiam ex praxi Eccleſiæ Pariſienſis eruitur, quòd prædictus Ritus incenſandi Sacramentum à Sacerdote genuflexo in infimo Altaris gradu, quando eſt expoſitum publicæ adorationi, ſit ſervandus etiam intra Miſſam Sollemnem, coram eodem Sanctiſſimo Sacramento celebratam. In Ceremon. enim prædictæ Pariſienſis Eccleſiæ *part.* 1. *art.* 4. in quo agitur de thurificatione Sanctiſſimi Sacramenti in Altari expoſiti, hæc leguntur -- *In Miſſa Altare ſemper thurificari debet ante Introitum, & poſt Oblationem Hoſtiæ, & Calicis, ante Introitum quidem hoc modo: Celebrans, facta confeſſione, aſcendit ad Altare, illud oſculatur, genuflectit, ſecedit tantillùm versùs cornu Evangelii (ne ſit directè ante SS. Sacramentum) quaſi convertens faciem ad cornu Epiſtolæ, ibi benedicit de more incenſum, Diacono miniſtrante Naviculam ſine oſculis; impoſitoque, ac benedicto Thure, genuflectit in medio, & ſtatim deſcendit cum Miniſtris in planum, advertens ne terga vertat Sacramento, & ibi in ora infimi gradus genuflexus, accipit à Diacono Thuribulum, & ſtatim Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu incenſat.* Et *num.* 5. in eodem Ceremoniali habetur deſcriptus ſimilis Ritus incenſandi Sacramentum, ſervandus à Sacerdote genuflexo in ora infimi gradus, poſtquàm more ſolito thurificavit oblata. Verùm quia praxis Baſilicarum Urbis eſt, quòd in Miſſis Sollemnibus coram Sanctiſſimo Sacramento celebratis, Celebrans ſtans ſuper Suppedaneum Altaris, poſtquàm impoſuerit Incenſum in Thuribulo, abſque alia genuflexione, deſcendat cum Miniſtris uſque ad ſecundum gradum ejuſdem Altaris, tunc genuflexus cum eiſdem in Suppedaneo, eodem in loco triplici ductu thurificet, ùt *ſuprà*, Sanctiſſimum Sacramentum, ideò etiam hic Ritus prædictarum Baſilicarum Urbis, à nobis non improbatur, ſed hunc quoque decenter ſervari poſſe cenſemus in omnibus Eccleſiis.

XVIII. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *Cantante interim Clero genuflexo, ante, & circum Altare, duodecim ℣℣.* ) Dum incenſatur Sacramentum, Clerus genuflexus cantare debet duodecim ℣℣. excerptos ex Hymno *Pange lingua &c.* nempe *Tantum ergo &c.*

Immò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Immò Inſtructio Clementina ſuprà à nobis data docet, quòd in repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, Celebrans, nonniſi ad ℣. *Genitori, Genitoque*, ſe erigat cum Miniſtris, & imponat Incenſum in Thuribulum, quibus Verſibus terminatis, & terminata incenſatione, duo Cantores cantabunt Verſiculum: *Panem de Cœlo &c.* cui in tota hac Octava, ſicùt etiam toto tempore Paſchali, additur *Alleluja.* Ita declaravit S. R. C. 10. Januarii 1705. & habetur in dicta Inſtructione Clementis PP. XI. ſæpiùs à nobis allegata. In aliquibus Eccleſiis dictus ℣. *Panem de Cœlo &c.* intonari ſolet à Diacono, & Subdiacono, ſed ſecundùm Rituale Romanum intonandus eſt à Clericis duobus, & ſive ipſum cantent Muſici, ſive Miniſtri Sacri, aut duo Clerici, ſemper debent eſſe genuflexi, nunquam verò erecti. A Portu *Append.* 2. *De Ven. Expoſ. num.* 5. Bauldry *ſuprà n.* 32. Baruffaldus *ſuprà* §. 6. *n.* 70. *&* 71.

XIX. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *Et à Celebrante ſtante, &c.*) Dicto verſiculo, & alio pariter, nimirum: *Omne delectamentum, &c.* à toto Clero cantato, Celebrans ſurgit (& erectus abſque genuflexione, juxta inſtructionem ſupracitatam) ex libro, quem Miniſtri Sacri genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit (ſine ℣. *Dominus vobiſcum*) Orationem: *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 27. in cujus fine dicitur tantùm brevis concluſio: *Qui vivis, & regnas per omnia ſecula ſeculorum*, & non adhibetur longior, quia tantùm additur ad Miſſam, & ad Horas. Quò verò ad verſiculum: *Dominus vobiſcum*, qui in primis Ritualibus adnotatur (ſicùt & cum ipſis, necnon cum Gavanto ferè omnes Rubricarum interpretes docent) per multos Annos in uſu fuit, ſed Cerem. Epiſc. *ſuprà*, nullam de tali verſiculo facit ibi mentionem. Sacra verò Rituum Congregatio allegata in eadem Inſtructione Clementina *num.* 21. expreſsè declaravit, quòd omiſſo verſiculo *Dominus vobiſcum*, Sacerdos erectus debeat cantare Orationem, &c. Baruffaldus *ſuprà* §. 6. *n.* 74. cenſet ideò in tali circumſtantia omitti *Dominus vobiſcum*, quia fruſtra diceretur, quòd Dominus ſit cum adſtantibus, cùm de facto adſit in SS. Sacramento coram illis. Verùm quia, quando fit expoſitio SS. Sacramenti, in eadem Inſtructione Clementina *n.* 16. præſcribitur, quòd ad Orationem *Deus, qui nobis ſub Sacramento, &c.* præmitti debeat à Sacerdote verſiculus *Dominus vobiſcum*, etiamſi Dominus adſit tunc in SS. Sacramento; idcirco ratio adducta à Baruffaldo non ſuffragatur, nec ſufficit pro aſſignanda cauſa omiſſionis talis verſiculi, quando reponendum eſt SS. Sacramentum; quapropter potiùs dicerem, ideò omittendum eſſe talem verſiculum in repoſitione SS. Sacramenti, quia Sacerdos debet ſtatim dare benedictionem Populo adſtanti cum SS. Sacramento, omittit igitur verba illa, quia cum facto ipſo debet elargiri benedictionem, & deprecari, quòd Dominus ſit cum adſtantibus.

XX. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *Aſcendit ad Altare, &c.*) Finita Oratione, & reſponſo à Choro *Amen*, Celebrans genuflectens in ſupradicto infimo gradu Altaris, accipit ſuper humeros velum oblongum, ſeu humerale (miniſterio Ceremoniarii) deinde aſcendit ad Altare, ibique genuflectit unico genu (ut faciliùs, & commodiùs ſurgat) SS. Sacramento, & abſque alterius miniſterio accipit velatis manibus, ùt *ſuprà*, Oſtenſorium.

XXI. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *Benedicit cum eo Populum, &c.*) Et vertens ſe ad Populum, & latus ſuum dexterum, ùt ad *Dominus vobiſcum*, tenens manu dextera nodum, & ſiniſtra pedem Oſtenſorii ante pectus, cum ipſo benedicit Populum ſemel tantùm hoc Ritu. Tenens igitur Tabernaculum, ſeu Oſtenſorium ante pectus, ùt *ſuprà*, tum elevans illud decente mora, non ſuper caput (ùt multi ineptè faciunt) ſed

tantùm uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta illud attollit uſque ad pectus, & deinde ad ſiniſtrum humerum ducit (corpus non movens, ex Bralion citando) & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulùm ſiſtit, quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce. Tunc gyrum perficiens, ùt infrà, ſe convertet ad Altare, & collocabit ſuper eodem Oſtenſorium Fagiolii in ſuo Kalendario perpetuo, & Adnot. ad Menſem Junii *pag. mihi* 210. Bauldry *ſuprà n.* 34. Tonellius *lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. *de repoſit. SS. Sacramenti n.* 8. Nicolaus de Bralion *ſuprà part.* 3. *cap.* 18. *n.* 7. Turrinus *ſuprà*, Baruffaldus *ſuprà* §. 7. *n.* 80. Bongiovan. *lib.* 5. *cap.* 14. Horatius Chriſtiani *ſect.* 1. *cap.* 7. *n.* 10. Polacci *part.* 2. *tit.* 13. *n.* 10. & Cerem. Monaſt. *lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 18. in quo benè præſcribitur, quòd Sacerdos poſt brevem prædictam morulam, non versùs cornu Epiſtolæ, ùt tenet Fagioli *ſuprà*, ſed versùs cornu Evangelii debet ſe convertere ad Altare, ut faciat circulum perfectum. Hic Ritus dandi benedictionem cum Sacramento, quamvis præſcribatur à prædictis, & ab aliis Auctoribus, & deducatur in praxi in nonnullis Eccleſiis, præſertim Regularium, nihilominùs communis uſus Eccleſiarum Urbis eſt, ut poſtquàm Sacerdos reduxit Oſtenſorium ad latus dexterum, non debeat rurſus ante pectus reducere, ſed ſtatim ad cornu Evangelii ſe convertere, & ita perficere circulum, ſicùt cum dicit *Orate fratres.* Uterque hujuſmodi Ritus benedicendi Populum cum SS. Sacramento approbatus fuit à S. R. C. quæ cùm fuerit interrogata pro parte Petri Pellicionii Canonici Eccl. Cathed. Collenſis, an in benedicendo Populo cum SS. Sacramento ſit ſervandus primus ex dictis Ritibus? Prædicta S. C. ſub die 25. Martii 1676. reſpondit, poſſe obſervari ſupradictum modum, quem tradit Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *artic.* 3. *n.* 34. ſin minùs, ſervandum eſſe modum diſpoſitum

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

in Ceremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 23. ubi requiritur tantummodò, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis ſuper Populum; hoc Decretum datur per extenſum in noſtra Appendice.

XXII. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *Nihil dicens &c.*) Dum Celebrans benedicit Populum, nihil prorſus dicit, quia propriè Celebrans non eſt ille, qui benedicit Populum, ſed Sacramentum. Baruffaldus *ſuprà n.* 78. Muſici quoque, & Cantores ſilere debent dum datur benedictio, poſſunt tamen pulſari Organa ſuavi ſono, & gravi, ſicùt fit ad elevationem Sacramenti. Diaconus autem, & Subdiaconus, ſive alii, hinc inde genuflexi (hoc eſt in ora ſuppedanei) & inclinati facie verſa ad SS. Sacramentum, elevant partes anteriores Pluvialis, dum Celebrans benedicit Populum, Bauldry *ſuprà num.* 35. Tonellius *ſuprà n.* 9. Gerlacus Vinitor *part.* 4. *tit.* 7. *de Proceſſ. SS. Sacramenti n.* 7.

XXIII. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 7. *In modum Crucis ſemel, &c.*) Celebrans qui benedicit Populum eo Ritu, quo ſuprà in modum Crucis, ſi ſit Sacerdos ſimplex, ſemel tantùm benedicere, & unam tantùm Crucem efformare debet, ad diſtinctionem Epiſcopi, qui per tres vices facit ſignum Crucis ſuper Populum; ita Cerem. Epiſc. *ſuprà*, Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 10 *cap.* 3. *num.* 10. Baruffaldus *ſuprà* §. 7. *num.* 76.

XXIV. Gavant. pag. 215. col. 2. n. 8. *Tum genuflexione facta, &c.*) Data benedictione, & depoſito SS. Sacramento à Celebrante ſuper Altare, ipſe ſtatim facta genuflexione, deſcendit cum Subdiacono ad infimum Altaris gradum, ubi iterum cum eodem genuflexus manet, & per Ceremoniarium, vel per eundem Subdiaconum, ùt ait Gavantus, amoto velo ab ejuſdem humeris, Diaconus interim remanens in ſuppedaneo Altaris, reponit SS. Sacramentum in Tabernaculo, factis antè, & poſt debitis genuflexionibus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XXV. Gavant. pag. 215. col. 2. eodem n. 8. *Vel in locum altiorem, &c.*) Si alicubi ſit conſuetudo exponendi SS. Sacramentum, ut hoc die colatur à Populo, tunc Diaconus, ſi opus ſit, ſcabellum ante Altare poſitum aſcendit, ut reponat SS. Sacramentum in loco eminenti ſuper Altare præparato, ubi debet eſſe Corporale, aut Palla ſubſtrata; tum facta genuflexione, deſcendet Diaconus, & ſe collocabit ad dexteram Celebrantis, & cum eo genuflexus orabit pauliſper, poſteà, ſurgente Celebrante, ſurgent omnes, & facta genuflexione, hoc eſt, utroque genu in plana terra, & profunda capitis inclinatione, recedent in Sacriſtiam debito ordine, nimirum præcedentibus Ceroferariis cum Subdiacono, Cruciferario, & cæteris ſequentibus, ibique extinguuntur cerei; & omnes, depoſitis Paramentis, ſtatim in albis revertentur, illi qui ſunt de Choro, ad Chorum ipſum, ut ibi cantent Sextam, & Nonam nudo capite, omnibus ſtantibus, & non ſedentibus; ex Bauldry *ſuprà n.* 41. niſi tamen, ob longiorem Proceſſionis viam, horarum ordo eſſet immutandus.

At ſi SS. Sacramentum includatur in Tabernaculo, Celebrans, & Miniſtri, eo incluſo, facta genuflexione Sacramento unico genu, acceptis deinde de more birretis, tegunt capita ſua ante Altare, & recedunt in Sacriſtiam, ſed antequàm recedant ab Altari, quia Sacramentum eſt jam incluſum, omnes extinguunt candelas, non verò ſtatim poſt datam benedictionem. Bauldry *ſuprà num.* 40. & deinde dicuntur in Choro Sexta, & Nona, ùt ſuprà innuimus.

XXVI. Gavant. pag. 216. col. 1. n. 9. *Parietes viarum ornari debent, &c.*) Circa vias, per quas eſt tranſeundum, nulla limitatur pompa, ideò eædem debent ſummo manè benè mundari, & floribus, frondibusque arborum virentibus ornari, juxta locorum conſuetudines. Arcus, quos vocant triumphales, ſi locis congruis aptè diſponantur, cum verſibus, emblematibus, & myſticis figuris, erit admodùm laudabile. Bauldry *part* 4 *cap.* 16. *art.* 2. *num.* 2. Biſſus *lit. V. n.* 42. Poſſunt etiam per vias erigi aliquot Altaria, ſuper quæ aliquando collocari poſſit Sacramentum, ùt etiam ſuprà innuimus, ut Sacerdos, qui illud defert, ſi velit, aliquantulùm poſſit pauſare; & in illis Altaribus ſint Corporalia, niſi burſa cum Corporali in Proceſſione ab aliquo Acolytho deferatur; non eſt tamen neceſſe, quòd prædicta Altaria habeant petram ſacram, quia in iis non eſt celebranda Miſſa; ea quæ in hac Proceſſione prohibita ſunt, jam patent, & ex iis quæ ſuprà diximus, & ex Decretis S. C. quæ ſuprà dedimus, advertendo quòd omnes debent inhærere dictis Decretis, & ſanctionibus Synodalibus ab Ordinario loci factis, & publicatis per aliquot dies ante Proceſſionem, ùt moris eſt; Baruffaldus *ſuprà* § 1. *ad* 22. uſque; qui plura alia ſcire deſiderat circa eruditionem, & Ritus hujus ſollemnis Proceſſionis, legere poterit ea, quæ tradit Jacobus Eveillon in ſingulari libro quem inſcripſit *de Proceſſionibus Eccleſiaſticis cap.* 25. ubi diſſerit eruditè de Proceſſione Corporis Chriſti.

XXVII. Gavant pag. 216. col. 1. n. 10. *Ardebunt candelæ, &c.*) Jam ſuprà ſatis indicavimus, quòd omnes, qui huic Proceſſioni interſunt, debent cum candelis accenſis permanere in Eccleſia uſque ad datam benedictionem incluſivè.

XXVIII. Gavant. pag. 216. col. 1. n. 11. *Si cantantur Veſperæ coram Sacramento in Altari expoſito, &c.*) Conveniens eſſet, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Epiſcopus, ſi adſit, quàm Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſſiſtentes, durante Officio, ſtarent ſemper capite detecto, & nunquam ſederent. Quòd ſi hoc ob longitudinem Officii præſtare non poterunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ, detecto capite, exiſtente S. Sacramento ſuper

per Altare, Divinis Officiis aſſiſtere. Idem faciendum eſt ad omnes Horas Canonicas, & etiam ad Miſſam. Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 33. Bauldry *ſuprà art. 6. n.* 1.

## De Ritu exponendi Sanctiſſimum Sacramentum in Feſto Corporis Chriſti. §. IV.

Si ante Veſperas hujus diei SS. Sacramentum non ſit expoſitum, Celebrans, antequàm inchoentur, Amictu, Alba, Stola paratus, & Pluviali, cum duobus aſſiſtentibus, Cotta & Pluviali indutis, vel ſaltem ſola Cotta, ſed ſine Stola (quæ tamen, quando, & à quo ſit adhibenda, dicemus infrà) procedit ad Altare, præcedente omnes Thuriferario cum Thuribulo non fumigante, & Ceroferariis, necnon poſt eos ſequentibus quatuor Clericis deferentibus intortitia accenſa juxta laudabilem praxim aliquarum Eccleſiarum. Cùm pervenerint ante infimum Altaris gradum Celebrans, & Aſſiſtentes, birreta Miniſtro, ſeu Ceremoniario tradunt, qui deponit illa in loco congruo, quia ad Veſperas uſui non erunt, & facta genuflexione unico genu in plano ſolo ob reverentiam SS. Corporis Chriſti; ex Cerem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 15. § 5. (& non ſuper infimum gradum Altaris, ùt docent Bauldry *ſuprà n.* 5 Hippolytus à Portu *in Appendice prima de privata Ven. expoſit. n.* 4.) Deinde Celebrans ſurgens cum Aſſiſtentibus paratis, genuflectet poſteà in infimo Altaris gradu, & aliquantulùm cum ipſis orabit. Mox primus Aſſiſtens ad Altare aſcendens, Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. *n.* 10. cum debitis genuflexionibus, hoc eſt, unico genu, aperit oſtiolum Tabernaculi, & facta genuflexione ùt ſuprà, ſtatim prælaudatus primus Aſſiſtens deſcendit ad dexteram Celebrantis, ubi miniſtrat de more ei ſine oſculis Naviculam, de qua ponit thus in Thuribulo ſine benedictione, & ſtans hic genuflexus ſuper infimum Altaris gradum, Sacramentum incenſat triplici ductu, facta cum Aſſiſtentibus (qui etiam elevant fimbrias Pluvialis Celebrantis) profunda reverentia ante, & poſt incenſationem. Biſſus *lit. E. n.* 232. §. 2. Interim pulſantur Organa, ceſſante Campanarum ſono, deinde reddito Thuribulo Aſſiſtenti primo, qui illud reddit Thuriferario, & ipſe primus Aſſiſtens iterum aſcendit ad Altare, genuflectit unico genu, ut citiùs ſurgat, & collocat SS. Sacramentum in loco eminenti ſuper Corporale, aut Pallam ibi ſubſtratam. Bauldry *ſuprà*; Ceroferarii autem, vel relinquunt candelabra ſuper Abacum, vel comitantur Celebrantem, qui debet in Choro juxta morem conſuetum celebrare Veſperas.

Aliqui præſcribunt, ut primus Aſſiſtens aperto oſtiolo Tabernaculi, ſtatim facta genuflexione, Oſtenſorium extrahat, atque in medio Altaris ſuper Corporale reverenter collocet, & tunc facta demum genuflexione deſcendat ad dexteram Celebrantis, ac peragat, ùt *ſuprà*, ea omnia, quæ diximus uſque ad trinam incenſationem incluſivè. Alii denique ſunt in ſententia, quòd extractum Oſtenſorium è Tabernaculo, antequàm incenſetur, collocetur à primo Aſſiſtente in ſuo loco eminenti, præparato ſub parvo Baldacchino, & hoc facto, dictus Aſſiſtens deſcendat ad dexteram Celebrantis, qui ſurgens imponat thus in Thuribulum ſine benedictione, & ſtatim accipiens Thuribulum dictum à primo Aſſiſtente ſine oſculis, tunc incenſet triplici ductu Sacramentum, Caput profundè inclinans ante, & poſt incenſationem, qua peracta, reliqua fiant ùt ſuprà, quæ quidem ultima ſententia, eſt illa, quæ in Eccleſiis Urbis hodie prævalet omnibus aliis ſupradictis.

Authores primæ ſententiæ adducunt Textus Ceremonialis Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 25. §. 31. & *cap.* 26. §. 14. ubi in pari caſu

præcipitur, ut Epiſcopus incenſet Sanctiſſimum Sacramentum in Capſula aperta, antequàm inde extrahatur, & tradatur Epiſcopo, & idem Miſſale ordinat Feria VI. in Paraſceve, & idcirco Bauldry *ſuprà*, cenſet incenſandum eſſe Sacramentum, dum adhuc eſt in Tabernaculo majori, ſtatim ùt à primo Aſſiſtente apertum fuerit dicti Tabernaculi Oſtiolum; ſed auctoritates, & exempla eruta à Ceremoniali Epiſc. *locis ſuprac.* mihi videntur parùm ſuffragari poſſe huic opinioni, quia Feria VI. in Paraſceve ideò ſtatim ac eſt aperta capſula, incenſatur Sacramentum, quia in illa die Sacramentum ibidem collocatum conſideratur, tanquam in ſuo Throno, & aſſervatur cum magna pompa, præſertim Candelarum, & Lampadarum, unde optimè præſcribitur, quòd ſtatim ac Capſula aperitur, & conſpicuus omnibus redditur Calix, in quo Hoſtia Sacroſancta ſervatur, debeat incenſari. At in caſu noſtro, Sacramentum in Tabernaculo clauſum, non cenſetur in ſuo Throno, & ideò meliùs videtur incenſandum eſſe, vel poſtquàm fuerit extractum Oſtenſorium, & poſitum ſuper Altare, & ab omnibus videtur, vel etiam quando idem Oſtenſorium poſitum fuerit in loco eminenti præparato, & ſub ſuo Baldacchino, tanquam in ſuo Throno poſitum.

Incenſato Sanctiſſimo Sacramento, ùt *ſuprà*, & collocato in loco eminenti, non debet ampliùs incenſari, ſed facta ab omnibus genuflexione utroque genu in plano Cappellæ, & etiam profunda inclinatione, debet Celebrans à ſuis Aſſiſtentibus comitatus procedere debito ordine ad ſcamnum in cornu Epiſtolæ præparatum, vel Stallum, ſeu primam Sedem Chori, vel Aſſiſtentes parati, ſtantes ante ipſum in plano, ùt mos eſt, ibidem cantare ſollemniter Veſperas, omnibus ſtantibus detecto capite.

Ad Canticum *Magnificat*, Celebrans accedens cum ſuis Aſſiſtentibus, & aliis, detecto capite, & facta ab omnibus genuflexione utroque genu in plano, ante inferiorem Altaris gradum, aſcendit ad illud cum duobus tantùm Aſſiſtentibus paratis, (ſtantibus aliis ante infimum gradum) & facta iterum cum ipſis Aſſiſtentibus genuflexione unico genu, ut faciliùs, & commodiùs ſurgant, ùt colligitur ex Biſſo *lit. M. n.* 222. §. 1, ſicut etiam ex Bauldry *part.* 3. *cap.* 17. *n.* 5. (quod ſemper eſt obſervandum, dum ſunt apud Altare, non verò in acceſſu, & receſſu ab eodem Altari, quia tunc utroque genu in plano genuflectere debent, addita etiam profunda Capitis inclinatione, quæ inclinatio omittitur in genuflexione, quæ fit unico genu. Ceremon. Miſſæ Privatæ, *coram Sanctiſſimo Sacramento Expoſito cap.* 12. Biſſus *ſuprà*, & *tom.* 2. *lit. R. n.* 82.) dictum Altare etiam oſculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulùm in cornu ferè Evangelii, tum miniſtrante primo Aſſiſtente, ſi adſit, alioquin Thuriferario, ſine oſculis, Celebrans ſtans imponit, & benedicit thus de more, ſed ſine oſculis, quia eſt coram Sanctiſſimo Sacramento, cum benedictione tamen, quia incenſare debet, non ſolùm Sacramentum, ſed etiam Altare. Hæc regula igitur ſervanda eſt in Sacramenti incenſatione, ut quando cum Altari incenſatur, Celebrans benedicat ſemper Incenſum de more; At quando incenſatur ſolum Sacramentum, thus non benedicitur, utrobique verò abſtinendum ab oſculis tum cochlearis, & thuribuli, tum manus Celebrantis.

Facta denique in medio genuflexione, deſcendit ad planum Cappellæ, & retrahens ſe ad cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento; & ante medium Altaris, in medio infimi gradus genuflexus juxta noſtram ſuprà expoſitam ſententiam, accipit Thuribulum, & Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu thurificat, cum profunda inclinatione antè, & poſt, interpoſita inter quemlibet ductum aliqua morula; Aſſiſtentes interim ſimbrias anteriores Pluvialis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vialis elevabunt, deinde peracta trina incenſatione, aſcendens ad Altare cum duobus Aſſiſtentibus, cum iiſdem ibi genuflectit, & ipſum Altare thurificat juxta morem.

Completa Altaris incenſatione, & reddito de more in cornu Epiſtolæ Thuribulo Thuriferario, deſcendunt in planum, Celebrans quaſi per latus Evangelii, ſicùt & ſecundus Aſſiſtens; primus vero Aſſiſtens per latus Epiſtolæ, verſa facie quaſi ad medium Altaris, ita ut terga non vertant Sanctiſſimo Sacramento. Bauldry *ſuprà n.* 2. Tum facta genuflexione utroque genu in plano ante infimum Altaris gradum, eo ordine, quo venerant, loca ſua repetunt, & fit generalis omnium incenſatio (incenſato priùs Celebrante) in Choro, & Eccleſia, proùt de more. Turrinus *ſuprà* §. *Libet hic addere in fine &c.*

Finito Completorio, benedictio Populi cum Sanctiſſimo Sacramento fit eodem Ritu, quo in fine Proceſſionis, de quo Ritu ſuprà ſatis locuti ſumus. Interim Chorus cantat - *Tantum ergo &c.* & alia de more, ùt ibi dictum eſt.

## De Ritu exponendi SS. Sacramentum infra Octavam Corporis Chriſti. §. V.

XXIX. Quia ſolitum eſt, ex Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 33. juxta laudibilem conſuetudinem Eccleſiarum, per hanc totam Octavam Sollemnitatis Corporis Chriſti exponere Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Altare, dum Veſperæ, & Officia Divina recitantur, ad quæ magna Populi frequentia adeſſe ſolet, convenit, ut aliqua de expoſitione Oſtenſorii, in quo eſt Sanctiſſimum Sacramentum, & ejuſdem repoſitione dicamus.

Igitur ad Veſperas Sollemnitatis Corporis Chriſti fiant omnia, ùt *ſuprà* dictum eſt.

Veſperæ verò infra Octavam Corporis Chriſti ſollemniter pariter dicuntur, ſed parciùs quàm in die Feſto, attamen Altare debet decenter ornari candelabris, & aliis, & ſi non adſint Aſſiſtentes Sacri, ſaltem adſit Sacerdos aliquis, & Ceremoniarius cum Celebrante, qui erit paratus, Amictu, Alba, Stola, & Pluviali coloris reſpondentis Officio, cujus Veſperæ celebrantur; quamvis Pallium Altaris, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, debeat eſſe albi coloris. Ad faciendam expoſitionem SS. Sacramenti ante Veſperas, procedunt ad Altare dictus Celebrans tecto capite, cum aliquo Sacerdote, Cotta induto, ſed ſine Stola, de qua tamen infrà, & aliquis Ceremoniarius, præcedente Thuriferario, & Ceroferariis, & juxta commendabilem nonnullarum Eccleſiarum morem, ſequentibus poſt Ceroferarios quatuor Clericis, vel ſaltem duobus, deferentibus intortitia accenſa, & cùm pervenerint omnes ante infimum gradum Altaris, facta ab omnibus unico genu genuflexione in plano Cappellæ, & depoſito birreto à Celebrante, reliqua peraguntur, ſicùt ſuprà diximus de expoſitione facienda ante Veſperas ſollemnitatis Corporis Chriſti. Hoc ſolùm tamen notandum ſupereſt, quòd Sacerdos ille, aut Ceremoniarius, qui aſſiſtit Celebranti, non debet adhibere Stolam, niſi quando debet aperire oſtiolum, & pertractare Sanctiſſimum Sacramentum, ſeu Oſtenſorium in aliquo loco collocare, ſeu è ſummo Altari demittere. Et ſtatim ùt has functiones peregerit, debet Stolam à collo pendentem ſibi auferre, & alicui Acolytho cuſtodiendam tradere, vel ſuper brachium ſuum dexterum eam deponere. Quòd Pontificibus ſtolatis, ſeu Sacerdotibus, par ſit alios quoque ſtolatos Sacerdotes, ſeu Diaconos adeſſe, qui Auguſtiſs. Sacramentum educant è Taberna-

bernaculo, vel ſuſpenſum demittant, vel Officia Eccleſiaſtica celebrantibus dent in manus, docet etiam & eruditè diſſerit de hoc Ritu Johannes Baptiſta Thiers in ſua Diſceptatione de Stola, *&c. cap.* 28. quæ tamen Stola à prædicto Aſſiſtente, ſeu Miniſtro non eſt adhibenda niſi modo ſupradicto, quem ad praxim deducunt in omnibus ferè Eccleſiis omnes illi, qui accuratè ſac. Ritus ſervare ſtudent. Aperto igitur Oſtiolo Tabernaculi modo ſupradicto, & educto Oſtenſorio, cætera peragi debent, prout diximus paulò antè de expoſitione facienda in Feſto SS. Corporis Chriſti.

Facta verò Expoſitione, & facta in plano ante infimum Altaris gradum genuflexione utroque genu, cum profunda etiam Capitis inclinatione à Celebrante, & cæteris aliis, ſurgit iterum, & recedit in Chorum nudo capite, comitantibus eum Ceroferariis, ubi adhuc tenens Pluviale de more, dictis prius ſecretò: *Pater noſter*, & *Ave Maria*, incipit, & proſequitur Veſperas, prout fieri ſolet, & cætera peraguntur, incenſando Altare ad *Magnificat*, ut diximus paulò antè de Veſperis celebratis in Feſto Corporis Chriſti.

Hic notandum occurrit, quòd ea omnia, quæ ſuprà diximus de Expoſitione, quæ fit ante Veſperas, ſervanda erunt reſpectivè in Expoſitione, quæ fit ante alias Horas Canonicas; ſi tamen fieri debeat Expoſitio immediatè ante Miſſam Sollemnem celebrandam; tunc fiet à Celebrante Planeta induto eo colore, qui ad Miſſam talis diei celebrandam congruit, & eidem Sacerdoti aſſiſtet Diaconus, ad peragenda ea omnia, quæ ſuprà dicta ſunt.

## De SS. Sacramenti Expoſitione, quacumque alia die, vel extra prædictas circumſtantias, facienda. §. VI.

XXX. Huc uſque egimus de Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fieri ſolet infra Octavam Corporis Chriſti; nunc lubet aliqua tradere circa Ritus, ſervandos in quacumque alia expoſitione, aliis diebus facienda, ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti. Igitur ſi exponi debeat Venerabile in Hoſtia præſanctificata, ùt fieri communiter ſolet, & quæ aſſervatur in Tabernaculo majori; in Sacriſtia Clerici induunt Superpellicea, nimirum Thuriferarius, & Navicularius (ubi commodè haberi poſſunt, aliàs ſolus Thuriferarius cum Navicula, & Thuribulo) deinde alii quatuor, aut ſaltem duo, qui deferre debent intortitia accenſa. Sacerdos qui expoſitionem facere debet, decens eſt, ut paretur Amictu, Alba, Stola, & Pluviali albi coloris, & quòd aliquis alius Sacerdos, ſive ſit Sacriſta, ſive Ceremoniarius, vel alius quicumque Superpelliceo indutus ei aſſiſtat, qui Stolam adhibere debet modo ſuprà à nobis expoſito; hora debita, accenſis omnibus luminibus ad Altare, ubi fieri debet expoſitio, facta à prædictis omnibus inclinatione profunda Imagini Sacriſtiæ principali, præcedent Thuriferarius à dexteris cum Thuribulo non fumigante, & Navicularius à ſiniſtris, deinde quatuor, vel ſaltem duo alii Clerici deferentes fanalia accenſa, poſt quos Ceremoniarius, aut alius Sacerdos Cotta indutus, ùt *ſuprà*, & denique alius principalis Sacerdos Pluviali indutus, ambo tecto capite, & manibus junctis ante pectus.

Cùm pervenerint ante Altare, dicti duo Sacerdotes cedent ſua birreta Ceremoniario, aut alii Aſſiſtenti, qui ea accipit cum quaſi oſculis. Tum genuflectunt Sacerdotes unico genu, aliis poſt eos genu pariter unicum ſimul flectentibus in plano, & omnes orabunt in locis ſuis aliquantiſper, nimirum prin-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

principalis Sacerdos, & alius Sacerdos illi aſſiſtens, genuflexi in infimo gradu, reliqui verò in plano Cappellæ. Poſt brevem illam orationem ſurgit Sacerdos Pluviali indutus, & ſi non habeat alium Sacerdotem ſibi aſſiſtentem, ipſemet accedit ad Altare, aperit Tabernaculum, extrahit Oſtenſorium cum præcedente genuflexione unico genu, & ponit ſuper Corporale in Altari præparato. Si autem Hoſtia conſecrata fuerit in Pyxide, eam de Tabernaculo extrahet, ponet ſuper Corporale, aperiet, genuflectet, & Hoſtiam collocabit in Oſtenſorio; utrumque claudet, abluet digitos, purificatorio abſterget, genuflectet, Pyxidem in Tabernaculo reponet, iterum genuflectet, claudens oſtium magni Tabernaculi, & Oſtenſorium in medio collocabit, ùt *ſuprà*. Tum genuflectens, deſcendit ad infimum Altaris gradum, & retrahens ſe aliquantulùm in cornu Evangelii, ibique ſtans, imponet incenſum in Thuribulum abſque benedictione (vel imponet Incenſum in Thuribulo antequàm ab Altari deſcendat, ùt *ſuprà* dictum eſt) & nihil dicens: deinde in eodem infimo Altaris gradu genuflexus, accipit Thuribulum ſine oſculis, & ter incenſat Sacramentum, profundè ſe inclinando antè, & poſt; mox reddito Thuribulo, aſcendit ad Altare, genuflectet, & Oſtenſorium cum Sacramento ponet in ſuo loco eminentiori, ubi collocato Sacramento, genuflectit, iterum deſcendit in planum, & facta ab omnibus genuflexione duplici genu, redeunt in Sacriſtiam.

S aliquis Sacerdos aſſiſtat dicto Celebranti, tunc peragentur ab ipſo, ea quæ ſuprà expoſuimus circa extractionem Hoſtiæ, vel Pyxidis è Tabernaculo, & collocationem Oſtenſorii ſub Baldacchino. Quo facto, Sacerdos Pluviali indutus, peragit ea omnia, quæ diximus ſuprà circa incenſationem Sacramenti.

## De Venerabilis Depoſitione, & modo recondendi SS. Sacramentum. § VII.

XXXI. Paululùm ante depoſitionis tempus, Clerici, & alii in Sacriſtiam ſe recipient, ibique reſument ea, quæ paulò antè ad expoſitionem aſſumpſerant, ſed prætereà requiritur alius Clericus, vel Naviculárius, qui deferat velum album oblongum reponendum humeris Sacerdotis, qui Populum cum Sacramento benedicere debet. Aliqui requirunt etiam alium Clericum, qui inſerviat de libro, ſive Rituali, ſive Miſſali, in quo contineantur preces, & Orationes legendæ. Prætereà indui debent Superpelliceis quatuor, vel ſaltem duo, qui deferre debent intortitia accenſa, ſicut diximus in Expoſitione SS. Sacramenti. Tum Sacerdos veſtit ſe, ùt *ſuprà*, Amictu, Alba, Cingulo, Stola transverſa in modum Crucis, & Pluviali albi coloris; & quia juxta à nobis ſuperiùs dicta, & juxta ſententiam Tonellii *lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. *n.* 2. Caſtaldi *lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 2. *n.* 25. Bauldry *part.* 4. *cap.* 16. *art.* 3. *n.* 5. decet ad majorem ſollemnitatem, ut alter Sacerdos deponat, & reponat SS. Sacramentum, & aſſiſtat primo Sacerdoti, Populum benedicturo, ideò hic ſecundus Sacerdos eodem tempore aſſumet Superpelliceum, non tamen ſtatim aſſumet Stolam, ſed eam adhibebit eo modo, quo ſuprà expoſuimus, quia non decet, ut Sacerdos Sacerdotali habitu indutus, qualis eſt Stola, aſſiſtat alteri Sacerdoti. Ita induti procedunt omnes tempore opportuno ad Altare, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, eodem ordine ſervato, proùt fecerunt in expoſitione, ita tamen ut Clerici de libro, & de velo, ſi interſint, eant poſt Clericos intortitiorum, & ante Ceremoniarium, ſive Sacriſtam; Sacerdos autem adjutor incedet ante Sacerdotem Plu-

viali

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

viali indutum, & ambo tecto capite, & manibus junctis; ſtatim ac Sacellum ingreſſi fuerint dicti Sacerdotes, cedunt ſuum birretum Ceremoniario, vel Sacriſtæ, & ante Altare, tam iſti, quàm alii, in utrumque genu in plana terra procumbent, & ſurgentibus Sacerdotibus, ſurgent omnes, & genuflectent iterum, prout fecerunt in Expoſitione.

Huc ſpectat adnotare ea, quæ traduntur ab Hippolyto à Portu hoc loco *Append.* 2. *n.* 3. nimirum: quòd ſi depoſitioni SS. Sacramenti intereſſet Cardinalis, aut Epiſcopus Loci, aut Princeps laicus, cui deberetur reverentia; videtur opponi diſpoſitioni Ceremonialis Epiſcoporum praxis illa, qua poſt genuflexionem exhibitam Sacramento, Sacerdos, & alii, ſeſe inclinant Cardinali, Epiſcopo, &c. unde convenientius videtur, quòd potiùs, antequàm perveniat ad medium Altaris Sacerdos Pluviali indutus, & hic, & reliqui ſeſe inclinent, ùt præſcribi videtur ab eodem Ceremoniali Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 13. Poſt brevem orationem factam, aut poſt finem Officiorum, quæ fortè cantantur in Choro, Sacerdos adjutor, impoſita ſibi Stola, accedit ad Altare, ubi genuflectit utroque genu, manibus ſuper Altare poſitis (ad differentium Diaconi, qui nunquam Altare tangit) faciem convertendo ad cornu Epiſtolæ tantiſper, ne terga vertat Sacerdoti principaliori, inclinat, & accedens ad medium, aſcendit ſcabellum graduatum, ſi opus eſt, ut deponat Venerabile à loco eminentiori ſuper Corporale explicatum in Altari; deinde retrahens ſe, & genuflectens, & inclinans, ùt *ſuprà*, depoſita Stola, vel ſuper brachium ſuum eam collocando, vel alicui Acolytho eam tradendo, deſcendit, & pergit ad locum ſuum, abſque eo quòd terga Sacramento vertat, per latus ſuum dexterum.

Tum principalis Sacerdos, dum cantatur *Tantum ergo* à Choro, ad ℣. *Genitori Genitoque* ſe erigit cum Sacerdote adjutore, imponit incenſum in Thuribulum abſque benedictione, & incenſat Sacramentum genuflexus in infimo Altaris gradu, proùt diximus ſuprà poſt Proceſſionem ſollemnem in Feſto Corporis Chriſti. Cantores dicant ℣. *Panem de cœlo &c.* cui additur *Alleluja* tempore Paſchali ſolummodò, & in tota Octava Corporis Chriſti, aliàs non dicitur, ùt patet ex Decreto edito die 5. Julii 1698. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 523. Mox Celebrans erectus, abſque nova genuflexione, ùt declaratum eſt à S. R. C. die 6. Septembris 1698. & habetur in noſtro Indice ſub *n.* 538. Sacerdote adjutore, vel Ceremoniario librum ſuſtinente (omiſſo ℣. *Dominus vobiſcum*, ùt ſuprà ibidem diximus) cantat Orationem manibus junctis, cum brevi concluſione, ùt diximus, qua finita, genuflexus accipit velum humerale à Ceremoniario, vel à Sacerdote aſſiſtente, & ſolus aſcendens ad Altare, factisque debitis genuflexionibus, accipiet in manibus, coopertis dicti veli humeralis extremitatibus, Oſtenſorium, & dat cum ipſo benedictionem Populo, eo modo, quo deſcripſimus ſuprà poſt Proceſſionem ſollemnem in Feſto SS Corporis Chriſti, unde recolantur, quæ ibi dicta ſunt à n. 18. uſque ad *n.* 24 incluſivè. Poſt benedictionem, repoſito ſuper Altare SS. Sacramento, deſcendit, & amoto velo humerali, genuflexus manet in infimo gradu Altaris; Sacerdos poſteà adjutor, Stola collo ſibi impoſita, factis debitis reverentiis, SS. Sacramentum in Tabernaculo majori includit, quo recondito, deſcendit ante infimum Altaris gradum ad locum ſuum, & ſurgentibus cæteris, omnes unicum genu flectentes, ùt aliàs, redeunt in Sacriſtiam ordine quo venerant, ſed Sacerdotes tegunt capita ante Altare, antequàm è Presbyterio diſcedant.

Hucuſque dicta ſunt ferè omnia certa apud omnes Auctores; ſolùm diſcrepantia aliqua reperitur circa circumſtantiam temporis, in qua debet incenſari Sacramentum à prædi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

prædicto Sacerdote principali; nos enim docuimus, debere incenſari, poſtquàm à Sacerdote adjutore eſt depoſitum è loco ſuo eminenti, & poſitum ſuper Corporale, in Altari explicatum. Alii verò (& hæc eſt Praxis Eccleſiarum Urbis) tenent, quòd ſtatim ut prædicti Sacerdotes ad Altare pervenerint, facta genuflexione in plana terra utroque genu, ſurgant, & ſtatim genuflectant ſuper infimo Altaris gradu, ubi præmiſſa brevi Oratione, iterum ſurgunt, & miniſtrante Sacerdote adjutore Naviculam ſine oſculis, & Thuriferario Thuribulum, Sacerdos principalis imponit thus ſine benedictione, & nihil dicens. Impoſito verò thure, dictus principalis Sacerdos genuflexus accipit Thuribulum de manu Sacerdotis à dexteris ſibi aſſiſtentis, & incenſat Sacramentum triplici ductu, cum profunda inclinatione antè, & poſt, Sacerdotibus aſſiſtentibus, ſi ſunt duo, vel Ceremoniario cum Sacerdote aſſiſtente, ſi eſt unus tantùm, hinc inde fimbrias Pluvialis elevantibus, & cum eo ſe pariter inclinantibus; interim cantatur *Tantum ergò* Choro, & prædicta incenſatio fieri debet juxta ſuperiùs dicta, dum dicitur *Genitori, Genitoque.* Poſteà Celebrans, Ritu à nobis ſuprà deſcripto, dicit Orationem, & dum accipit velum humerale ſibi à Ceremoniario, vel ab altero Sacerdote aſſiſtente impoſitum, Sacerdos adjutor, impoſita ſibi Stola, aſcendit ad Altare, & ſi opus eſt ſcabellum graduatum, ut deponat Oſtenſorium è loco eminenti, ubi eſt collocatum ſub parvo Baldacchino, ſuper Corporale in medio Altaris explicatum. Quo facto, Sacerdos principalis aſcendit, & cætera peragit proùt ſuprà deſcripſimus, ut det benedictionem Populo.

XXXII. Supereſt nunc, ut tradamus Decreta, quæ ſpectant ad Ritus ſervandos infra hanc Octavam SS. Corporis Chriſti.

Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt juxta conſuetudinem Eccleſiæ cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, ac Dominica, ac die Octava. S. R. C. 11. Martii 1608. *in Alexandrina*, & datur in noſtro Indice ſub *num.* 80.

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

Infra Octavam SS. Corporis Chriſti prohibentur Miſſæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis, proùt prohibet S. R. C. die 21. Junii 1670. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 442.

Idem confirmatur per aliud Decretum datum in noſtro Indice ſub *num.* 627.

Anniverſaria Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti non ſunt facienda, niſi præſente Corpore. S. R. C. die 12. Septembris 1671. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 448.

Ex iis ſequitur, quòd infra hanc Octavam non poſſet dici alia Miſſa Votiva, quàm Sollemnis pro re gravi.

XXXIII. Gavant. pag. 216. col. 1. num. 12. *Officium Dominicæ infra Octavam, &c.*) Solitum eſt octava die hujus Feſti, poſt finem Completorii, inſtituere Proceſſionem ad reponendum SS. Sacramentum, quæ non tam ſollemnis, & longa via, uti prima, ſed vel per Eccleſiam, vel parùm extra eam fieri debet. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 33. §. 34. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *art.* 25. *num.* 1. Dum dicitur Completorium, quamvis omnes de Clero non parentur, paratur tamen Subdiaconus pro Cruce ferenda, ſicùt Celebrans paratur Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali albi coloris, & poteſt eſſe ille idem, qui Veſperas celebravit. Quamvis hæc Proceſſio fiat poſt Veſperas, dantur tamen Miniſtri Celebranti, ſcilicet Diaconus, & Subdiaconus, parati Dalmatica, & Tunicella, ſed ſine Manipulis, ſed Diaconus cum ſua Stola Diaconali. Ita parati omnes procedunt ad Altare, præcedentibus Thuriferariis, Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis cum cereis accenſis, tum Ceremoniariis, poſteà Celebrans, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, fimbrias Pluvialis

tenentes, qui ſtatim ac Cappellam, in qua SS. Sacramentum eſt expoſitum, fuerint ingreſſi, caput detegunt, & cùm ad Altare pervenerint, omnes, ùt alibi dictum eſt (exceptis Subdiacono de Cruce, & Ceroferariis, qui remanent extra Presbyterium) genuflectunt utroque genu, & cætera omnia alia præſtant, reſpectivè, ùt in Proceſſione ſollemniſſima in Feſto Corporis Chriſti, vel in Oratione quadraginta Horarum, vel in Feria V. in Cœna Domini, ùt ibi notatum eſt, cum benedictione tamen, quæ datur cum SS. Sacramento in fine, antequàm recludatur in majori Tabernaculo, de cujus benedictionis Ritu ſervando ſatis ſuperque ſuprà locuti ſumus.

Huc uſque ſermonem habuimus de Ritibus ſervandis in Proceſſione ſollemniſſima hujus diei, nullum verbum faciendo de Ritibus Miſſæ, quæ in hac die, & per totam Octavam dicitur, lubet itaque hoc loco alia etiam obſervare de tali Miſſa, de qua dicimus, quòd in die ſollemni Corporis Chriſti, & per totam Octavam (quando fit Officium de illa) dicitur Miſſa, uti notatur prædicto die in Miſſali, in proprio de tempore, cum Gloria, Sequentia, & Credo. Oratio in prædicta Feſtivitate eſt unica, ſine ulla Commemoratione, etiam Octavæ Trinitatis, ſi alicubi celebratur, & etiam ſine Commemoratione Feſti ſimplicis, ſi in eadem die incidat. Cenſet autem P. Didacus de Avendanno apud P. Gobat *tract.* 3. *n.* 731. *lit. C.* in collecta de Venerabili, inclinandum eſſe caput ad nomen Sacramenti, ob rationem ibi adductam. Halden *part.* 1. *tit.* 31. *pag.* 194. cenſet, præfationem de Nativitate Domini ſine ejuſdem communicantes per totam Octavam dici debere, niſi infra hanc dicatur Miſſa habens Præfationem propriam v. g. ab eo, qui celebrat Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis cum Octava; nam à tali dicenda eſt (ait præfatus Halden) infra Octavam utramque hanc ſimul occurrentem, Præfatio de SS. Trinitate, ſive celebret de S. Trinitate (ſubnectit ibi Halden; ſicuti debet, niſi occurrat Feſtum duplex) ſive de Feſto alio duplici infra hanc Octavam occurrente; & tunc in Miſſa Feſti facienda eſt Commemoratio de Octava Sanctiſſimæ Trinitatis ante Commemorationem de Octava Corporis Chriſti &c. Verùm non ſubſiſtunt ea, quæ dicit præfatus Halden circa præfationem de Sanctiſſima Trinitate, & circa ejuſdem Commemorationem faciendam ab eo, qui celebrat illius Octavam, ante Commemorationem de Octava Corporis Chriſti, nam ex Decretis S. R. C. quæ traduntur in noſtro Indice Decretorum, ſpectantium ad Rubricas Breviarii, conſtat, quòd Celebrantes utramque Octavam, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sanctiſſimi Corporis Chriſti, debent præferre hanc ſecundam Octavam, nempe Corporis Chriſti, Octavæ Sanctiſſimæ Trinitatis; & reverà valdè congruum rationi eſt, quòd concurrentibus duabus Octavis, præferatur magis privilegiata, qualis eſt procul dubio Octava Corporis Chriſti, minùs privilegiatæ, qualis eſt Octava Sanctiſſimæ Trinitatis, relatè ad illos, qui illam celebrant; de qua prælatione Octavæ unius præ alia, nonnulla dicemus ſuo loco, in noſtris additionibus, & obſervationibus ad Gavanti Comment. in Rubricas Breviarii Romani, nimirum ad *cap.* 19. *ſect.* 6. *tom.* 2. Quapropter Feria VI. & Sabbato infra Octavam Corporis Chriſti, in tali concurrentia prædictarum Octavarum, fieri debet de Octava Corporis Chriſti, cum Commemoratione Feſti Trinitatis, & ſi occurrat Officium aliquod duplex in prædictis Feriis, Commemoratio Corporis Chriſti præcedere debet Commemorationem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Præfatio in Miſſa dicenda eſt illa, quæ dicitur in Octava Corporis Chriſti.

XXXIV. Gavant. pag. 218. col. 1. num. 33. *Diverſa fuiſſe loca Stationalia, &c.*) Nomen Stationis ambiguum eſt, ùt optimè adnotat Mabillon in ſuo eruditiſſimo Commentario, præfixo Ordinibus Romanis, quos

ipſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipſe evulgavit, *n.* 5. Aliquando igitur Statio accipitur pro jejunio voluntario; quandoque verò uſurpatur pro ſtatu orantium, in quo ſenſu loquitur Tertullianus, præſertim *Lib. de Orat.* Stationes appellabantur etiam dies illi, quibus Chriſtiani orabant, & jejunabant uſque ad Horam Nonam, & inde dicti ſunt dies Stationales; ùt colligitur ex S. Cypriano *Epiſt.* 41. Tertull. *Lib. de Anima, de jejun. & lib.* 2. *ad uxorem*, & ex D. Ambroſio *ſerm.* 25.

Deinceps verò Stationes appellatæ ſunt illæ Eccleſiæ, ad quas Clerus, & Populus, agmine ſupplici inſtructo, proficiſcebantur, & ibi conſiſtebant ad aliquam Divini Officii partem celebrandam, & hujuſmodi Eccleſiæ dictæ etiam ſunt loci Stationales. Olim apud Romanos, in extraordinariis lætitiæ, vel luctus Feſtis, in Templis omnibus Stationes Populo præcipiebantur.

Eſt etiam antiquus Ritus in Urbe, ut certis determinatis diebus Clerus, Populuſque Romanus in unam aliquam conveniant Eccleſiam, ſupplicationis cauſa, ubi ſacra fiunt, Sermones habentur, aliaque Divina Officia recitantur. Ad prædictam deſtinatam Eccleſiam, ſeu Stationes, pergere poterat Clerus Romanus ſollemniter, aut privatè. Hoc ſecundum eveniebat, quando unuſquiſque in locum indictum privatim ſe recipiebat. Primum verò contingebat, quando cum ſollemni mere, decantando Litanias, aliaſve preces, Pontifex, aliique omnes ad ſtatam Eccleſiam proceſſionaliter pergebant. Ejusmodi ſollemnes Proceſſiones præcedebat Collecta, nimirum coadunatio Clericorum in una Eccleſia, ut ex ea, quaſi agmine facto, ad locum Stationis procederetur: Sic dicta, quòd in eo loco Clerus cum Populo colligebatur, ad faciendam ſollemnem Proceſſionem, & quia in loco, ubi Collecta fiebat, Oratio ſuper Populum recitabatur, ante egreſſum Proceſſionis ab Eccleſia; & inde factum eſt, quòd hujuſmodi Orationes Collectæ appellatæ fuerunt, ùt deducitur ex Micrologo *cap.* 3. & refert Mabillon *loc. cit.* Igitur in Statione quatuor occurrebant, nimirum Stationis indictio, Populi Collectio, Proceſſio Populi, & terminus Stationis, ſeu Statio ipſa. Indictio fiebat à Notario, die Feſto proximè antecedente, & duo indicebat, nempe locum, quò omnes convenire, & ex quo egredi debebant, deinde locum Stationis, ad quem proceſſionaliter pergere jubebatur. Sic die 23. Aprilis in Feſto S. Georgii, ejuſque Eccleſia, fiebat indictio Stationis ad S. Petrum pro die 25. ejuſdem Menſis, & invitabatur Populus ad ſe coadunandum in Eccleſia S. Laurentii, ut inde procederet ad S. Petrum, ubi erat Statio. Hæc colliguntur ex iis, quæ traduntur à Frontone in Prænotatis eruditiſſimis ad ſuum Kalendarium §. 7. In aliis etiam Civitatibus ab Urbe Roma, fiebant Stationes in majoribus Eccleſiis, & Epiſcoporum Cathedræ huc, & illuc transferebantur; Concilium Aurelianenſe IV. Anno 541. *Can.* 3. clarè id indicat. Turonibus Stationes per diverſas Eccleſias deſignavit S. Perpetuus Archiepiſcopus, & id narrat Gregorius Turonenſis *lib.* 10. *cap.* 30.

Quoniam verò prædictas Stationes, Romæ anteà vagas, vel certis Eccleſiis non addictas, S. Gregorius Magnus in ſuo Sacramentario conſtituit per certas Baſilicas, vel Beatorum Martyrum Cœmeteria, ideò Johannes Diaconus in ejus Vita *lib.* 3. *cap.* 18. & *lib.* 2. *cap.* 6. ùt notat Gavantus, ea omnia à dicto Pontifice ordinata fuiſſe aſſerit. Omnibus tamen perſpectum eſt, ante Divum Gregorium Stationes prædictas inſtitutas fuiſſe, vel ob Sanctorum Natalia, vel ob dies publicæ Proceſſionis, ſive Miſſæ ſacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob Sanctorum Natalia, fiebant in eorum memoriis, vel in Cœmeteriis, id eſt in Eccleſiis, ſuper eorum Tumulis conſtructis, quæ ob id *Cœmeteria* quandoque appellantur; cùm autem notiſſimæ eſſent Sanctorum Feſtivitates, & memoriæ, ſuperfluum videbatur, harum



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Stationum diem, & locum in Sacramentariis aſſignare. Stationes verò aliorum dierum, putà Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Adventus, Natalis Domini, Paſchatis, & ſimilium, cùm incertæ eſſent, eas in Sacramentariis deſignare opus erat, ut omnibus manifeſtaretur, ad quamnam Eccleſiam eſſet procedendum ad publicam Stationem. Unde S. Gregorius eas certis diebus in ſuo Sacramentario addixit, ut à cunctis dignoſci poſſent Stationum loca.

Hæc diximus, ut nihil omitteretur eorum, quæ afferri poterant pro Gavanti, aliorumque ſententia, quibus placet, ante Gregorium vagas fuiſſe Stationes; Cæterùm ſi Kalendarium Romanum à Doctiſſimo Martene vulgatum *tom.* 4. *Theſ. Anecd.* eam ſibi antiquitatem vindicat, quam illi Auctor attribuit, fatendum eſt, Stationes Adventus, & Quadrageſimæ, certis fuiſſe Eccleſiis addictas longè ante Gregorium, cùm in eo aſſignatæ legantur. Verum quidem eſt, quòd in Sacramentariis Gelaſiano & Leonino, nullæ Stationes inveniuntur, neceſſe tamen non erat illas deſcribere in Sacramentariis, cùm eſſent in Kalendario deſcriptæ. Quamvis autem fixæ, ac ratæ eſſent in Sacramentario Gregoriano Stationes, nihilominù mos erat, eas Populo denunciari ab Archidiacono in publica Miſſa præcedente; Sed aliquando loco Archidiaconi id muneris præſtabat Notarius, cujus rei inſigne exemplum habetur ab Actis Leonis III. & refertur à Mabillon, ùt ſuprà diximus.

Ad locum Stationum deferebantur ex Patriarchio Lateranenſi libri, vaſa Sacra, præeunte Cruce Stationali; Pontificem in Sella geſtatoria eò portari mos erat; aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV. inſtauravit *Crucem auream*, quæ (*ut mos antiquus eſt*, ait Anaſtaſius) *Subdiaconi manibus ferebatur prædeceſſorum Pontificum.* Presbyteria etiam, id eſt Erogationes fiebant, tum ob Miniſtrorum obſequia, tum ob laudes, & acclamationes; immò Pontifex quandoque in ipſo itinere cauſas finiebat, aut certè ad ejus nutum, nomenculator & Sacellarius, ut in primo Ordine Romano *num.* 2. Hæc ſummatim collecta ſunt ex iis, quæ tradidit Mabillon *loc. cit. n* 5. Cæterùm Stationes antiquiores eſſe Divo Gregorio, etiam aliis argumentis conſtat, præſertim quia S. Hilarius, qui multo tempore ante Divum Gregorium Romanam rexit Eccleſiam, conſtituit in Urbe *Miniſtrales*, qui circuirent conſtitutas Stationes, ùt refert Macrius in Hierolexico *V. Statio.* Miniſtrales autem dicebantur Clerici illi, qui ad ſerviendum Miſſis in iis Eccleſiis, in quibus Stationes celebrabantur, erant deſtinati; ſicùt Subdiaconi Stationarii dicebantur illi, qui Pontifici in Stationum Eccleſiis Celebranti miniſtrabant.

Chronicorum Orientalium Auctor hunc uſum Stationum Sancto Cyrillo refert acceptum, nullo tamen fundamento nixus, ut notat Grancolas *lib.* 2. *ſui Comment. Hiſtor. in Brev. Rom. cap.* 44. quia Stationum uſus nonniſi in Occidente cognitus fuit. Reliqua ad hujuſmodi Stationes ſpectantia legi poterunt apud allegatos Auctores ibidem, & apud Pompejum Ugonium in Hiſtoria Stationum Romæ edita, & apud Onuphrium Panvinium in Libello de Stationibus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XIII. De Rubricis propriis Miſſarum de Sanctis.

I. Gavant. pag. 218. col. 1. n. 3. *Neque unquam fuiſſe verum, S. Ambroſium interdixiſſe Vigiliarum uſum, &c.*) Errant igitur illi, qui auctoritate cujuſdam aſſerti Sermonis S. Auguſtini *ad Fratres in Eremo* (qui eſt *Ordine* 25. juxta editionem veterem)

rem) affirmant, Divum Ambroſium, ad perſuaſionem D. Monicæ, uſum Vigiliarum ea de cauſa ab Eccleſia eliminaſſe, quòd Chriſtianorum plurimi illud noctis tempus ludendo, & Choreas ducendo tranſigerent, nam hoc validis argumentis Baron. à Gav. citatus, *in notis Martyrologii ad quintam diem Januarii lit. A.* falſiſſimum eſſe, & ab Auguſtiniano calamo alienum demonſtrat. Igitur, ùt ait idem Baronius ibidem, non Ambroſius, non Auguſtinus, nec alius Orthodoxorum iis temporibus, Vigilias nocturnas Eccleſiaſticas abrogavit, vel minuit, ſed impuriſſimus Hæreſiarca Vigilantius, Vigilias, ſui nominis hoſtis, impugnavit, ſicque minuere conatus eſt, ut non niſi ſemel in Anno, in Paſchali ſollemnitate, Vigilias peragendas eſſe jactiret: ita ex Hieronymo *adversùs Vigilantium*, cujus intentio ad abrogandas in Eccleſia Dei Congregationes tendebat; idem Baronius *Anno* 51. quæ omnia confirmari poſſunt *Can. 1. Matiſconenſis Concilii* habiti Anno 581. duo ferme Secula poſt DD. Hieronymum, & Auguſtinum, in quo Canone approbantur Vigiliæ ante Dominicis totius Anni, quæ aſſiduè à Fidelibus frequentabantur, & quamvis Concilium Antiſſiodorenſe *Can.* 3. prohibuiſſe videatur Vigilias, non de Vigiliis ſacris, & publicis in Eccleſia celebratis ibi egiſſe, ex ejuſdem verbis ſatis liquet. Eliberitanum verò Concilium *Can.* 35. interventum Fœminarum in Vigiliis utique prohibuit; alii verò perperàm Vigiliarum nocturnarum prohibitionem Bonifacio Papæ I. tribuunt. S. Leo Papa, qui tertio loco illi ſucceſſerat, Vigiliarum obſervantiam crebrò in ſuis Sermonibus inculcat. De hac materia in Additionibus noſtris *ad ſect. 3. c. 7. tomi* 2. continentis Commentaria ad Rubricas Breviarii Romani iterum ſermonem habebimus.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XIV. De Benedictione Candelarum, & Proceſſione in Feſto Purificationis Beatæ Virginis.

### De origine, & antiquitate Feſti Purificationis B. Virginis. §. I.

I. Gavant. pag. 219. col. 1. n. 1. *A Græcis Hypante, ſeu Hypapante, &c.*) Feſtum hoc Purificationis B. M. V. Græco nomine *Hypante*, ſeu *Hypapante* dicitur, quaſi occurſus, quo alicui honoris & officii gratia obviàm itur. Quoniam verò hoc Feſtum inſtitutum fuit a b Eccleſia in memoriam illius diei, quo Chriſto cum Matre & Joſepho ad Templum accedenti obviàm venerunt Simeon & Anna, gratulantes, & benedicentes Deo, ùt habetur etiam in Menologio Græco ad hanc diem, ideò in Eccleſia Orientali prædictum nomen *Hypante*, ſeu *Hypapante* ſortitum eſt; ab aliquibus verò dicitur Hypante Domini; ab aliis autem Hypante Simeonis & Annæ; ſed à Theophylacto Simocatta *lib.* 8. *Hiſtor. cap.* 4. appellatur quadrageſima dies celebritatis Natalium *Magni Dei Jeſus.* Ex præcepto ſiquidem Legis Moſaicæ Mulier, quæ Maſculum pepererat, elapſis quadraginta diebus purificabatur in Tabernaculo, & poſt Templum à Salomone conſtructum, in Templo, oblationibus à lege præſcriptis, & quamvis puriſſima Dei Genitrix, quæ de Spiritu Sancto conceperat, nulla prorſus Purificatione indigeret, & à prædicta legis veteris diſpoſitione immunis eſſet, ùt certum eſt apud omnes, & clarè oſtendit Laurentius Maffei in ſuis eruditiſſimis notis ad Sigonianam Hebræorum Rempublicam, quæ extant

tant *tom.* 4. *Collectan. Mediolan. pag.* 224. *annot.* 58. & 59. nihilominùs Beatiſſima Virgo, quadraginta diebus elapſis à ſalutifero partu, voluit prædictam legem adimplere, & cæteris puerperis ſe conformare.

II. Gavant. pag. 219. col. 1. eodem num. 1. *Et cœpta eſt coli Conſtantinopoli ſub Juſtiniano Imperatore, &c.* ) Prædictum Feſtum Hypante priùs inſtitutum fuiſſe apud Græcos, quàm apud Latinos, conveniunt rerum Eccleſiaſticarum Scriptores. Cedrenus refert inſtitutionem hujus Feſti ad Annum nonum Juſtini Magni, cùm Antiochia corruit gravi terræ motu concuſſa. Anaſtaſius Bibliothecarius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Teophanis opinioni adhærendo, illam Juſtiniani ævo conſignat, dicendo: *Anno Juſtiniani* 15. *Menſe Octobris facta eſt Byzantii mortalitas, & eodem Anno Hypante ſumpſit initium, ut celebraretur apud Byzantium ſecunda die Februarii.* Eadem habet Landulphus Sagax *in Vita Juſtiniani.* Sigebertus *in Chronico ad Annum* 542. adhæret eidem ſententiæ, & apud Martyrologium Uſuardi die ſecunda Februarii hæc leguntur: *Hypante Domini, & Purificatio B. V. quod Feſtum tempore Juſtiniani Imperatoris apud Byzantium, ſeu Conſtantinopoli ſumpſit exordium.*

Verùm nonnulli Scriptores Feſti hujus inſtitutionem in Eccleſia Orientali longè antiquiorem exiſtimant, putant enim, Methodium Epiſcopum primò Olympi, & Pataræ, Maritimarum Lyciæ Urbium, tum Tyri in Phœnicia, qui quarto ineunte Sæculo martyrii palmam adeptus eſt, putant, inquam, Methodium illius feciſſe mentionem in Homilia edita à clariſſimo Combefiſio in Amphilochio, ſicùt & Gregorium Nyſſenum celeberrimum ejuſdem Seculi Scriptorem, alioſque à Bollando *tom.* 1. Menſis Februarii, & à Petro Galeſinio laudatos in ſuis eruditis Adnotationibus ad Martyrologium 4. *nonas Februarii.* Addunt, Cyrillum Hieroſolymitanum de ceremonia etiam Cereorum verba feciſſe; idcirco concludunt, vel Juſtinianum inſtituiſſe Conſtantinopoli Feſtum, quod jam pridem in aliis Orientalis Eccleſiæ Provinciis colebatur, vel nova ſanctione inſtauraſſe hujuſmodi Feſtum ſollemniori Ritu celebrandum. Huic ego ſententiæ meum facilè præberem aſſenſum, ſi certò conſtaret, laudata opera iis eſſe Auctoribus adſcribenda, quorum nominibus inſignita ſunt. Verùm Thomaſſinus *lib.* 2. *de Feſtis cap.* 11. *n.* 6. aliique Scriptores putant ea opera eſſe abjudicanda illis Patribus, vel decerpta fuiſſe ex aliis eorumdem operibus, præſertim ex Commentariis in Evangelium Lucæ, ubi myſteria hæc enarrantur. Quidquid tamen ſit de hac opinione, in illis veterum Teſtimoniis fundata, fatetur nihilominùs ipſe Thomaſſinus, ſuſpicari poſſe Feſtum hoc ante Juſtinianum alicubi fuiſſe peractum; propterea quòd Nicephorus ſcribat, præcepiſſe Juſtinianum, ut toto Terrarum Orbe celebraretur.

III. Gavant. pag. 219. col. 1. eodem n. 1. *At ſub Gelaſio, ait Baronius, qui abſtulit Lupercalia circa Annum* 496. ) Quando inſtitutum ſit in Eccleſia Occidentali hujuſmodi Feſtum, adhuc incertum eſt. Si Romanum Kalendarium à Martene vulgatum *tom.* 4. *Theſauri Anecd.* deſinente Seculo IV. vel ineunte V. exaratum fuiſſet, quemadmodùm doctiſſimus ejus editor ſibi perſuaſit, certiſſimo argumento probaretur, hujuſmodi ſollemnitatem antiquiſſimam eſſe, & priùs in Occidentali quàm Orientali Eccleſia inſtitutam, cùm in eo iſta legantur: *Die ſecundo menſe Februario Hypapante, &c.* ſed nonnulla ſunt in prædicto Kalendario, quæ tantam illi vetuſtatem abjudicant; immò ex hoc ipſo doctiſſimus Pinius *in Tractatu Hiſtorico Chronologico de Liturgia antiqua Hiſpanica cap.* 9. §. 5. ſuſpicatur, minoris illud Kalendarium antiquitatis eſſe. Sanè incredibile omnino videtur, hujus Feſti nullam feciſſe mentionem Sacramentarium à Gelaſio conſcriptum, ſi jam ab initio Seculi quinti celebratum fuiſſet in Eccleſia Romana. Baronius, cujus ſententiam

tiam

tiam noſter Gavantus amplectitur, in notis ad Martyrologium Romanum, credidit hujus ſolemnitatis inſtitutionem in Eccleſia Latina Gelaſio Romano Pontifici eſſe tribuendam, qui Anno 496. ſuſtulit Lupercalia, quæ Menſe Februario Romæ peragebantur, idque colligit ex Libello Apologetico ejuſdem Pontificis contra Andromachum Senatorem, Annalibus ſuis inſerto, ex quo etiam colligit, Gelaſium Lupercalium abolitione ceremoniæ luminarium viam aperuiſſe. Longiùs progrediuntur Edmundus Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina cap. 15* & Jacobus Eveillon *in libro de Proceſſionibus Eccleſiaſticis cap. 7.* iſti enim conſtanter affirmant, ceremoniam accenſorum cereorum à Gelaſio I. Summo Pontifice inſtitutam fuiſſe, quod ex citato Libello adversùs Andromachum ſibi colligere poſſe videntur. Quod ſpectat ad Feſtum, confidenter affirmo, Gelaſio adſcribi non poſſe; illius enim mentionem feciſſet in ſuo Sacramentario, ex quo evidenter ſequitur, neque Proceſſionis hodiernæ, & ceremoniæ cereorum inſtitutorem fuiſſe; nihilominùs negare non poſſum, huic ceremoniæ viam aperuiſſe Gelaſium, quod negat Vir eruditiſſimus, mihique amiciſſimus, Laurentius Maffei in notis ad Vitam Sergii Pontificis *num.* 8. ea ratione ductus, quòd in Apologia Gelaſii adversùs Andromachum nullum verbum de Ritu luminarium occurrat; attamen cùm Ritus hic Lupercalium, & luſtrationum, quæ à Paganis Menſe Februario in Plutonis honorem fieri conſueverant, abolitioni ſuffectus fuerit, ùt teſtatur Beda *in lib. de temporum ratione* his verbis: *Secundum menſem Numa dicavit Februo, id eſt Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtrarique eo menſe Civitatem neceſſe erat, quo ſtatuit, ut juſta* (id eſt Sacrificia, ùt idem Beda interpretatur *lib. de diviſionibus temporum*) *Diis manibus ſolverentur; ſed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutavit Chriſtiana Religio, cùm in menſe eodem, die S. Mariæ Plebs univerſa, cum Sacerdotibus, ac Miniſtris, hymnis modulatæ vocis per Eccleſias, perque congrua Urbis loca procedit, datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus geſtant ardentes.* Certè qui Lupercalia delevit, ſuffectæ ceremoniæ viam aperuiſſe videtur, cùm Lupercales ludi ſine luſtratione non fierent, nocturno enim tempore peragebantur; cùm inſtituti eſſent Menſe Februario Diis Inferis ſacro, quibus Sacrificia de nocte fieri ſolebant. Videatur Pitiſcus v. *Februarius*, & v. *Lupercalia*, ubi reperietur, Lupercalia cum luſtrationibus fuiſſe conjuncta. Ut redeamus ad Feſtum, probabiliter opinamur, vel Juſtiniani temporibus, vel paulò poſt ipſum, ab Eccleſia Romana fuiſſe ſuſceptum; ejus enim meminit Gregorius in ſuo Sacramentario, tum à Pamelio, tum à Menardo vulgato, tum etiam in antiquiori, quod vidit Card. Thomaſius.

IV. Gavant. pag. 219. col. 1. eodem n. 1. *Sergius additit Litanias, & Proceſſiones cum cereis accenſis.*) Non deſunt qui velint, Sergium hodiernæ Proceſſionis auctorem eſſe, libri Pontificalis, & Romani ordinis auctoritate ſuffulti. Sed ante Sergium Ritus hic in Hiſpania, & Gallia vigebat, ùt conſtat ex Sermone primo S. Idelphonſi, qui floruit Anno 644. & ex Homilia ſecunda in Purificatione S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi, qui obiit Anno 665. Solùm igitur ſuſpicari poſſumus, Sergium, qui præfuit Romanæ Eccleſiæ Anno 687. Ceremoniam hanc Romam quoque invexiſſe; id enim, quod certò affirmari poteſt de Sergio, eſt, ipſum ordinaſſe, ut Proceſſio hujus Feſti, ſicùt & Annunciationis, Nativitatis, & Aſſumptionis B. M. V. exiret ab Eccleſia S. Adriani, & terminaret ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris, ùt ſcribit Auctor libri Pontificalis in ejus Vita. Hinc colliges, hæc verba: *Oratio ad Collectam ad Sanctum Adrianum*, & alia: *Miſſa ad Sanctam Mariam Majorem*, quæ hac die leguntur in Sacramentario Gregoriano à Pamelio evulgato, addita fuiſſe

poſt

poſt Sergii tempora. Alter enim Codex Gregorianus à Thomaſio viſus, & examinatus ( & cujus ope exhibentur Additiones, quæ in Pameliano deſunt ) illa verba omittit.

Unum ſupereſt addendum hoc loco, quòd de benedictione prædictorum cereorum nulla ſit mentio apud Amalarium, Walafridum Strabonem, Alcuinum, Bedam, qui duo poſtremi cereos tantùm à Pontifice dari aſſeruerunt. In Codice tamen Gregoriano, Gellonenſi, aliiſque ſupra nongentos Annos ſcriptis Sacramentariis, nihil ea de re extat. In aliquo Miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante Annos 800. ſcripto unica Oratio *ad luminaria benedicenda* reperitur, quam Martene *loc. cit.* exhibet, cum quibuſdam aliis Ordinibus antiquis ad cereos benedicendos. Cætera ſpectantia ad hoc Feſtum legi poterunt apud citatos Auctores, nec non apud Florentinium in Martyrologio Hieronymiano, & apud Hyacinthum de Graveſon *in tract. de Myſteriis Chriſti diſſert. 9. quæſt. ult.* & apud Menardum *in notis ad Sacramentarium Gregorianum pag.* 40. *&* 41.

## Pro Ritibus ſervandis in Benedictione Candelarum, §. II.

V. Gavant. pag. 219. col. 1. num. 2. *Primo veſtiendum erit Pallio violaceo ſuper album, &c.)* Non eſt neceſſe, ut SS. Sacramentum amoveatur ab Altari, ubi facienda eſt benedictio Candelarum, ſi ibi ſit Tabernaculum Sacramenti, & id colligitur ex Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 1. ubi præcipitur Celebranti, ut genuflectat, ſi ibi aderit SS. Sacramentum in Tabernaculo.

Paratur Credentia proùt de more, in qua, præter conſueta pro Miſſa ſolemni, ponitur vas cum medulla panis, & aliud vas cum aqua, ſcilicet bucale, cum pelvicula, & manutergio, pro lavandis, & extergendis manibus Celebrantis, poſt diſtributionem Candelarum; inſuper etiam Crux proceſſionalis; parentur item Ritualia, vel libri proceſſionales, vas aquæ benedictæ, & Thuribulum cum Navicula; ex Bauldry *part.* 4. *cap.* 3. *art.* 1. *n.* 6. *&* 7. & Turrino *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 1. *de benedict. & diſtribut. Candelarum in die Purificationis* §. *Parantur.*

Prætereà in plano prope cornu Epiſtolæ paretur alia Menſa, ſive Credentia, Mappa munda cooperta, & ſuper eam ponantur Candelæ ceræ albæ benedicendæ, & pulchro linteo tegantur, tanta verò ſit copia Candelarum, ut ſufficiant omnibus, quibus diſtribui, & diſpenſari debent, juxta loci conſuetudinem; ſed ea, quæ dabitur Celebranti, ſit major præ cæteris, & reliquæ majores, & minores, pro numero, & qualitate perſonarum, quibus diſtribui debent, & pro locorum uſu. Debet etiam Sacriſta reſervare ſufficientem numerum Candelarum pro Infirmis, & eas obſignare, ne diſtribuantur ſimul cum aliis.

In Sacriſtia præparentur Paramenta violacea, & alba reſpectivè, ſi dicatur Miſſa de Feſto, ſed pro Miniſtris Sacris pro benedictione Candelarum, & Proceſſione, parantur etiam Planetæ plicatæ ante pectus, ſi iis prædicti Miniſtri Sacri utantur, ſed ſine Manipulis, ùt videbimus infrà.

VI. Rubr. n. 3. pag. 220. & Gavant. ibid. col. 2. lit. c *Finitâ Tertiâ, &c.)* Circa finem Tertiæ, accenduntur ſex Candelæ Altaris, & apponitur Pallium violaceum Altari, ſi jam id factum non fuerit anteà. Dum in Choro dicitur prædicta Tertia, Celebrans, & Miniſtri Sacri ſe parant in Sacriſtia, Celebrans videlicèt Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo. Diaconus verò, Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali ſine Manipulo, cum Planeta violacea ante pectus plicata. Subdiaconus etiam Amictu, Alba, Cingulo ſine Manipulo, cum Planeta violacea ante pectus plicata. Acolythi verò induant Cottas, niſi priùs id égerint.

Finita

Finita Tertia, accedant ad Altare Celebrans, & Miniſtri Sacri parati cooperto capite, hoc modo. Primò præcedit Thuriferarius ſine Thuribulo, manibus junctis, nudo capite, habens à ſiniſtris alium Acolythum pariter nudo capite, & manibus junctis, qui ſuo tempore inſerviet de vaſe aquæ benedictæ. Poſteà ſe quuntur duo Ceroferarii deferentes Candelabra cum candelis accenſis; deinde Cere moniarius etiam nudo capite, & manibus junctis; ultimò Celebrans, medius inter miniſtros Sacros, elevantes fimbrias anteriores Pluvialis manu proximiori, altera infra pectus admota, & tranſeundo per Chorum, antequàm perveniant ad Altare, Celebrans, & Miniſtri ſalutant hinc inde exiſtentes in Choro. Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 17. § 1.

Si verò Celebrans ſit in Alba, & non habeat Pluviale, tunc Miniſtri Sacri præcedunt unus poſt alium, manibus junctis, & cooperto capite. Bauldry *ſuprà art.* 2. *n.* 4. Biſſus *lit. B. n.* 84. §. 2. Gerlacus Vinitor *part.* 6. *tit.* 2. *n.* 6. Turrinus *ſuprà* §. *Ordo.*

VII. Gavant. pag. 220. col. 2. lit. e *Oſculato priùs Altari, &c.*) Cùm ad Altare pervenerint, deponunt birreta juxta ſolitum, & Ceroferarii deponunt Candelabra ſupra Credentiam; tum Celebrans, medius inter Miniſtros Sacros, aſcendit ad Altare (at ſi eſſet dies Dominica, fit priùs aſperſio aquæ benedictæ, ùt de more) & illud oſculatur in medio, & cætera peragunt, ùt optimè notat Gavantus, & proùt cum eo diximus in Dominica Palmarum. Quapropter legenda ſunt, & pro hac functione, & Proceſſione facienda, ea quæ ibidem à nobis addita, & obſervata fuere.

VIII. Gavant pag. 220. col. 2. lit. f *Manibus junctis, &c.*) Celebrans poſt Altaris oſculum, cùm ſe receperit ad cornu Epiſtolæ, ibi manibus non extenſis, ſed junctis, incipit in tono feriali *Dominus vobiſcum*, non vertens ſe ad Populum, & Orationem *Domine Sancte Pater, &c.* recitat cum ſequentibus, ùt in Miſſali. Dum dicit *Oremus*, vel profert nomen *Jeſu*, vertit ſe ad Crucem (ſemper tamen junctis manibus) & caput inclinat; extenſio manuum ad Orationem, ùt alibi diximus, fit ſolùm in Miſſa. Bauldry *ſuprà num.* 7. & Biſſus *ſupra* §. 3. & 4. & quia in his Orationibus occurrit aliquando, eſſe benedicendas Candelas manu dextera, quando ſcilicet ad aliqua verba habetur hoc ✠ ſignum, tunc Celebrans dextera benedicit Candelas, ſuper illas producendo ſignum Crucis, ſiniſtra manu ſuper Altare poſita; & Diaconus elevat à dexteris fimbriam Pluvialis anteriorem, ut Celebrans liberè dexteram movere poſſit. Biſſus *ſuprà* §. 5. Bauldry *ſuprà n.* 8. Vinitor *ſuprà.*

In Choro, dum fit hæc Candelarum benedictio, ſtant omnes versùs Altare nudo capite, inclinantes ſe ad nomen *Jeſu*, & reſpondentes Celebranti quando opus eſt.

Dum à Celebrante dicuntur ultimæ Orationes, tempeſtivè Thuriferarius præparat Thuribulum, ponendo in eo ardentes Carbones, & alius Acolythus accipit Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & ambo ſe locant in plano in cornu Epiſtolæ prope Diaconum, uſque ad finem Orationum. Thuriferarius autem, cum Thuribulo in dextera, & Navicula in ſiniſtra, debet eſſe propinquior Diacono; Alius vero Acolythus tenens ambabus manibus Vas aquæ benedictæ, ſtabit prope dictum Thuriferarium. Bauldy *ſuprà n.* 10. Biſſus *ſuprà* §. 7.

IX. Rubric. n. 4. p. 220. *Finitis Orationibus, Celebrans ponit Incenſum, &c.*) Finitis poſteà Orationibus, accedit Thuriferarius ad Altare, & Celebrans, miniſtrante Diacono naviculam cum ſolitis oſculis, & Thuriferario thuribulum in eodem cornu Epiſtolæ, imponit, & benedicit Incenſum more ſolito, & ea omnia deinde peraguntur, incenſando, & aſpergendo Candelas aqua benedicta, ſicuti factum eſt in benedictione Cinerum, & Palmarum. Aſperſis, & incenſatis Candelis,

delis, & reddito juxta morem aſperſorio, & thuribulo Diacono, Thuriferarius deponit thuribulum in loco congruo, & ſimiliter alius Acolythus vas aquæ benedictæ deponit, ut ambo Candelarum diſtributioni mox faciendæ inſerviant. Biſſus *ſuprà* §. 10. Bauldry *ſuprà n.* 11.

Hìc notandum, quòd non ſunt benedicendæ eæ Candelæ, quas quiſque tunc ante diſtributionem geſtat in manu: Gavant. *in Manuali Epiſc. Verſ. Benediction.* 12. neque diſtribui debent Candelæ, niſi præſentibus in Eccleſia. Candelæ benedictæ ad ægrotos tantùm mittuntur. Idem Gavant. *ſuprà n.* 13. & S. C. Epiſc. ita decrevit anno 1581.

X. Rubric. n. 4. pag. 220 & Gavant. ibid. col. 1. lit. g *Accipit Candelam &c.*) Completa benedictione Candelarum, ùt *ſuprà*, Celebrans accedit ad medium Altaris, Diacono, & Subdiacono hinc inde comitantibus, tum facta Cruci ſimul mediocri inclinatione, ſtatim convertit ſe ad Populum, remanente Diacono à latere Epiſtolæ, & Subdiacono à latere Evangelii, qui ſtabunt toto tempore diſtributionis in medio Suppedanei, paululùm tamen remoti ab ora illius, ut qui accepturi ſunt Candelas, commodè ſuper eam genuflectere poſſint; at ſi Suppedaneum ſit nimis anguſtum, tunc hi genuflectent ſuper ſecundum gradum. Celebrans autem ſtabit nudo capite, ex Decreto S. R. C. 18. Julii 1626. & dato in noſtro Indice ſub *num.* 200. inter Diaconum, qui à ſiniſtris Candelas ab Acolytho acceptas, oſculatas priùs, ei tradit diſtribuendas; & Subdiaconum, qui à dexteris ejus Pluviale ſuſtinet. Nicolaus de Bralion 3. *part. cap.* 5. *n.* 5. Biſſus *ſuprà* §. 11. Bauldry *ſuprà n.* 12. Interim Ceremoniarius, vel alius, cum debita reverentia Altari, vadit ad Chorum, ubi cum debitis inclinationibus invitat Digniorem de Clero, qui ipſo Ceremoniario comite, cum ſuo habitu Chorali, & non cum Stola, accedit, facta inclinatione ſolita Choro, ad Altare, quò cùm pervenerit, facit cum Ceremoniario, qui erit à ſiniſtris ejuſdem Dignioris, ante infimum Altaris gradum genuflexionem unico genu (ſi tamen ſit aliqua Dignitas, ſeu Canonicus Eccleſiæ Cathedralis, & non aſſervetur Sacramentum in Tabernaculo, non genuflectit, ſed profundam facit reverentiam) & poſteà facta Celebranti profunda reverentia, aſcendit ad gradum proximiorem Suppedaneo Altaris; ibique ſumpta à Diacono, ſtante à ſiniſtris Celebrantis, Candela benedicta pulchriori; ſine oſculo manus, & non accenſa; ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2 *cap.* 16. §. 15 vel etiam accenſa, ſi ſit conſuetudo, ex eodem Ceremoniali *ſuprà*, eidem Celebranti, ſtanti in Suppedaneo Altaris, ùt *ſuprà*, Candelam eandem tradit, cum oſculo ipſius tantùm ab utroque, & non manus; mox Celebrans eam tradit alicui Cappellano, ſive Acolytho tenendam, donec facta ſit tota diſtributio; ex Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 17. §. 2. & Bauldry *ſuprà n.* 13.

XI. Gavant. pag. 220. col. 2. ead. lit. g *Tradatur & Candela Miniſtris, &c.*) Deinde Diaconus, acceptâ aliâ Candelâ ab Acolytho, ſtante à ſiniſtris ejus, tradit eandem Candelam Celebranti, etiam cum oſculo tantùm illius, & præfatus Celebrans ſtans incipiet diſtribuere Candelas primò eidem Digniori, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, ſi ſint Canonici (ſi verò non fuerint Canonici, tunc prædicti Miniſtri Sacri, cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti, accipient Candelas genuflexi, ante omnes Beneficiatos, ſeu Manſionarios, & non priùs; quas Candelas, ac etiam Celebrantis manum deoſculabuntur) mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu Canonicali indutis, qui bini cum debitis reverentiis accedent ad Celebrantem, & inclinati tantùm (& non genuflexi) ab eo Candelas accipient, quas tantùm deoſculabuntur; ex Ceremon. Epiſc. *ſuprà*. Supradictus Dignior Sacer-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacerdos de Choro, ſive Vicarius, ſive Dignitas, vel Canonicus, Cerem. Epiſc. *ſuprà*, acceptâ Candelâ, deſcendit in planum (advertens ne directè terga vertat Celebranti) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem, ac Celebranti, & deinde Choro, ſimul cum Ceremoniario, debitam facit reverentiam, ùt *ſuprà*, poſteà, eodem Ceremoniario comite, ad ſuum Stallum redit, ex Bauldry *ſuprà n.* 14.

Deinde Beneficiati, ſeu Manſionarii, & Clerici, ac cæteri omnes, ſimiliter bini, cum debitis reverentiis accedent, & genuflexi Candelas accipient, illas ac etiam manum Celebrantis deoſculantes, & omnia peragentes, ſicuti diximus de iis, qui procedunt ad accipiendos ramos Olivarum in Dominica Palmarum. Ceremon. Epiſc. *ſuprà* §. 3.

XII. Gavant pag. 220. col. 2. eadem lit. g *Miniſtrantibus tum Prælatis*, *&c.*) Nec Rubricæ, nec Ceremoniale declarant ordinem, quo Prælati, ſi adſint in Collegiatis, accipiunt Candelas à Celebrante. Convenire tamen videtur, quòd ſi aliquis Prælatus aſſiſtat in Choro, quamvis non ſit de gremio Eccleſiæ, modò tamen aliquam in ea auctoritatem, ſi non juriſdictionem habeat, & aſſiſtat cum Rocchetto; ut loco Dignioris, & Canonici illius Eccleſiæ Collegiatæ, accedat ad Celebrantem, & illi Candelam tradat, & immediatè poſt ab eodem Celebrante ſuam accipiat. Alii Prælati poſſent ſuas accipere Candelas immediatè poſt Diaconum, & Subdiaconum: Si tamen ipſi, Diaconus, & Subdiaconus, non eſſent Canonici, poſſent etiam ante illos eas accipere, ſicùt accipiunt Canonici Cathedralis Eccleſiæ, ùt diximus; ex Nicolao de Bralion *ſuprà n.* 6. Prælati ſupradicti non genuflectunt Altari, niſi adſit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, nec manum Celebrantis oſculantur, ex Rubrica Miſſalis *de Feſto Purif.* ſed tantùm Candelam accipiunt cum inclinatione Celebranti, quæ inclinatio exigua, ſeu ſimplex eſſe debet, ùt à pari colligi poteſt ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 28.

Si Epiſcopus non faciat hanc Sacram functionem, ſed ſolùm interſit eidem, debent ea ſervari, quæ diximus ſuprà in diſtributione Palmarum, & de qua re agit Bauldry *ſuprà num.* 20. & Biſſus *ſuprà* §. 18. & ſicùt prædicto Epiſcopo intereſſenti, ita ſupradictis Prælatis, ſi adſint, & non accedant ad Altare, poterit per aliquem Sacerdotem tradi Candela, cum debitis inclinationibus, & oſculis. Caſtaldus in Praxi Ceremoniarum *lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 4. *n.* 6.

XIII. Rubric. n. 4. pag. 220. *Et ultimò Laicis*, *&c.*) Facta diſtributione Clericis, Candelæ diſtribuuntur Magiſtratibus, & Nobilibus, pari diſciplina, etiam ad Altare, & cum oſculis; quòd ſi facienda ſit etiam aliis laicis diſtributio, Celebrans deſcendit ad Cancellos Presbyterii, & eam facit eo modo, quo Clericis, & pari diſciplina, quæ ſervatur in diſtributione Palmarum, de qua *ſuprà* locuti ſumus. Non convenit tamen, ut Fœminæ manum Celebrantis oſculentur, nec etiam, ut fiat eis diſtributio ad Altare. Ex Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 10. & Bauldry *ſuprà n.* 14.

Quod ſpectat ad ordinem recipiendi Candelas inter Clerum, & Magiſtratus, ſervari debet Conſuetudo laudabilis locorum; ſed præſtat, ut Clerus ſemper præferatur, ùt par eſt, præſertim ubi viget talis conſuetudo. Ex Cerem. Epiſc. *ſuprà*, & Bauldry *ſuprà n.* 15.

Si autem tanta ſit Populi frequentia, ut diſtributio fieri non poſſit à Celebrante, niſi Clericis, Magiſtratibus, & Nobilioribus (quæ ſemper ab eo ſolo fieri debet) deputetur aliquis Sacerdos (vel etiam plures) ſi Celebranti placuerit, qui ſuperpelliceo, & Stola violacea indutus, Candelas minutiores per Eccleſiam diſtribuat Populo utriuſque ſexus, Acolytho miniſtro eas ipſi offerente, cum oſculis Candelarum tantùm. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 12. Bauldry *ſuprà n.* 26. Gerlacus Vinitor *ſuprà n.* 13.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XIV. Rubr. n. 4. p. 220. & Gav. ibid col. 2. lit. g *Et cùm inceperit diſtribuere Candelas, à Choro cantabitur Antiphona, quæ, & Canticum repeti poſſunt uſque &c.*) Cùm inchoatur diſtributio Candelarum, Cantores incipient Antiphonam: *Lumen ad revelationem gentium, &c.* ùt in Miſſali. Cerem. Epiſc *ſuprà* §. 4. quam Antiphonam Clerus proſequitur, eamque poſt ſingulos ℣℣. Cantici: *Nunc dimittis &c.* integrè repetit, quos ℣℣. Cantores ipſi decantant ſoli, & repeti poſſunt cum prædicta Antiphona, uſque ad finem diſtributionis. Quare ſi ita protraheretur diſtributio, ut eſſet repetendum prædictum Canticum, dicto illius ultimo ℣. & omiſſo *Gloria Patri*, repetatur à capite: *Nunc dimittis &c.* unde verſus *Gloria Patri* dicatur ſemel tantùm in fine quidem Cantici, & completa diſtributione Candelarum. Ex Bauldry *ſuprà n.* 22. Biſſ. *lit. B. n.* 84. §. 11. Vinicore *ſuprà*, & aliis communiter.

Dum Cantores procedunt ad recipiendas Candelas, ſemper remaneant aliqui, qui in Choro cantent ℣℣. & Antiphonam, iiſque procedentibus, alii ſubſtituantur; quapropter ſi pauci ſint Cantores, ii non procedant bini, ſed unus poſt alium ſingillatim, ut ſemper remaneant aliqui Cantores, & nunquam ceſſet cantus in tota diſtributione. Bauldry *ſuprà n.* 23. Eundem Ritum ſervandum eſſe in diſtributione Cinerum, & Palmarum, ſuo loco diximus.

Circa finem diſtributionis, Magiſter Ceremoniarum curet, ut accendantur Candelæ pro Proceſſione, niſi à principio fuerint accenſæ. Cerem. Epiſc. *ſuprà* §. 15. *& lib.* 2. *cap.* 17. §. 5.

Notandum hic occurrit, quòd cùm Ordo Romanus præſcribat, quòd præfatæ Candelæ ſolùm à Celebrante diſtribuuntur, ideò nullo modo à Miniſtris Sacris, neque ab aliis inferioribus Miniſtris, juxta prædictum Ordinem, diſtribui poſſunt, quia cùm hujuſmodi ſacra functio ſit actio individua, ſeu per plures Miniſtros dividi non poſſit, ab eodem Celebrante ſeparari non debet; hoc tamen non obſtante advertendum eſt, quòd ſupradicta Ordinis Romani diſpoſitio ita debet intelligi, ut diſtributio Candelarum prohibita ſit fieri à prædictis Miniſtris Sacris, vel ab aliis de Clero, & Perſonis dignioribus; nam quòd ab aliquo Sacerdote, ſi Epiſcopo, vel alii Celebranti placuerit, & ſi ſit conſuetudo Eccleſiæ, ſeorſum diſtribuantur Candelæ minutiores Populo utriuſque ſexus, dum Epiſcopus, ſeu Celebrans alias diſtribuit Clero, & laicis dignioribus, habetur in Ceremoniali Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 12. ùt paulò antè innuimus.

Rurſus notandum etiam occurrit, quòd quamvis Ceremoniale Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 10. prohibeat, ne Epiſcopus Candelas Mulieribus diſtribuat, hæc prohibitio tamen locum non habet, quoad alium Celebrantem, cui permiſſum eſt, ut ad Cancellos, non verò ad Altare, Candelas, & etiam Palmas, Populo utriuſque ſexus diſtribuat; quod non eſt conceſſum Epiſcopo, quia, cùm hic in ſua Sede Epiſcopali Candelas pro ſua dignitate diſtribuat, & cùm Mulieres, nec non alii laici vetentur ingredi in Presbyterium, ac proinde ad prædictam Sedem Epiſcopalem accedere non debeant, hinc fit, non poſſe Epiſcopum Mulieribus Candelas diſpenſare.

Hìc ſummatim collecta exhibemus Decreta, ſpectantia ad præſentem diſtributionem Candelarum, & etiam Palmarum.

Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundùm prærogativam ſui ordinis, S. R. C. 13. Maji 1603. & datur in noſtro indice ſub *n.* 21.

Benedictio, diſtributio Candelarum, & Palmarum, regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Secularibus, quàm Regularibus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 55.

In accipiendis Cineribus, Candelis, & Palmis, attendatur conſuetudo, in Vicario, & Canonicis, & aliis, niſi Canonici ſint parati. S.R.C. 15. Martii 1608. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 85.

Benedictio Candelarum, Palmarum, Cinerum, & alias ſimiles functiones facere, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non verò ad Canonicum hebdomadarium pertinet. S. R. C. 21. Martii 1609. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 96.

Abſente Epiſcopo, benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, fiunt per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 209.

Cùm Epiſcopus benedicit Cineres, Celebrans debet imponere Cineres Epiſcopo: & idem ſervari debet die Candelarum, & Palmarum, juxta Ceremoniale Epiſc. in *cap.* de Feſto Purificationis, & de Dominica Palmarum. S. R. C. 12. Julii 1627. *in Brundusina*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 211.

Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmas Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non verò flexis genibus. S.R.C. Auguſti 1664. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 421.

Dignior de Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, & Palmam, debet accedere ad Altare ſine Stola, recipere Candelam, Cineres, & Palmam à Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, Palmamque. Ita S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ*, & datur in noſtro Indice ſub *n.* 590.

Hæc duo poſtrema Decreta quoad Digniorem de Choro, qui porrigit & deinde recipit à Celebrante Candelam, &c. ſtans, ſeu genuflexus, conciliari poſſunt, dicendo, quòd primum loquitur de Canonicis, qui inhærendo Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 17. ſtantes, & ſolùm inclinati, Candelam, &c. recipiunt à Celebrante; poſterius verò Decretum non loquitur de Canonicis, ſed de aliis inferioribus in Eccleſiis non Collegiatis, præſertim verò Regularium, qui genuflexi Candelas, &c. recipiunt, oſculando Celebrantis manum.

Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, &c. non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 565.

XV. Rubric. n. 5. pag. 220. *His expletis, &c.*) Completa diſtributione, & non priùs, Cantores ſupradicti cantant graviter: *Exſurge Domine, &c.* ùt in Miſſali, & Chorus proſequitur, & interim Celebrans, ſi diſtributio Candelarum terminatur ad Altare, pro lavandis manibus non deſcendit in planum, ſed eas lavat, ſtans ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ. Biſſ. *lit. B. n.* 86. §. 12 quas etiam cum medulla panis fricat, ſi opus ſit, Acolytho Miniſtro fundente aquam, tenente bacile manu ſiniſtra, & Sacris Miniſtris hinc inde miniſtrantibus manutergium (quia tunc non ſunt occupati) cum reverentiis antè, & poſt; vel potiùs partes anteriores Pluvialis illius hinc inde elevant, & tunc unus ex aliis Miniſtris manutergium porrigit Celebranti. Aqua verò, & medulla panis in Sacrarium infundantur. Bauldry *ſuprà n.* 28. Gerlacus Vinitor *ſuprà n.* 14.

Si fiat diſtributio Candelarum ad Cancellos, Celebrans non aſcendit ad Altare, ut lavet manus, ſed procedit per planum ad latus Epiſtolæ, & ibi prope Credentiam in plano manus lavat, ùt *ſuprà*, quibus lotis, aſcendit (factis debitis reverentiis) ad cornu Epiſtolæ, ubi dicto *Exſurge Domine, &c.* ſubmiſſa voce, cum Pſalmo, & repetita Antiphona à Cantoribus, Cerem. *ſuprà* §. 13. ipſe Celebrans (manibus junctis) ſubdit im-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mediatè *Oremus*, ſtantibus Miniſtris Sacris, ùt ad benedictionem Candelarum. Ex Bauldry *ſuprà n.* 29. & Vinitore *ſuprà n.* 14.

XVI. Rubric. n. 5. pag. 220. & Gavant. pag. 221. col. 1. lit. h *Poſt Septuageſimam.*) Si hoc Feſtum celebretur poſt Septuageſimam, tunc dicto à Celebrante *Oremus* ante Orationem *Exaudi quæſumus Domine*, Diaconus adhucſtans à dexteris Celebrantis, immediatè genuflexus cantet: *Flectamus genua*, omnibus genuflectentibus, excepto ſolo Celebrante, & Subdiaconus à ſiniſtris etiam primus omnium ſurgens cantet: *Levate*, tum Celebrans dicit Orationem, ſtantibus Miniſtris, ùt ſuprà. Bauldry *ſuprà n.* 30. Biſſus *ſuprà* §. 13. Gerlacus Vinitor *ſuprà.*

Quamvis autem in hac ſacra functione Diaconus, & Subdiaconus ſtare debeant hinc inde à lateribus Celebrantis, tamen convenientius videtur, ut ad dicendum prædicta accedant ad locum ſuum ordinarium poſt Celebrantem, & ſic etiam faciliùs, & decentiùs genuflectent, poſteà verò poterunt accedere hinc inde ad ipſum Celebrantem, dum dicit Orationem. Nicolaus de Bralion *part.* 3. *cap.* 1. *n.* 11.

XVII. Rubric. n 5 pag. 220. & Gavant, pag. 221. col. 1. lit. i *Non in die Dominica, &c.*) Hoc eſt, ſi Feſtum hoc occurreret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinguageſimæ, tunc non dicitur *Flectamus genua*; nam die Dominico non genuflectimus, ob rationes à Gavanto *hic* allatas.

## Pro Ritibus ſervandis in Proceſſione hujus diei. §. III.

XVIII. Rubric. n. 6. pag. 221. *Deindeſit Proceſſio, &c.*) Finita Oratione ſupradicta, Celebrans accedit ad medium Altaris, ubi imponit thus in Turibulum, & cætera peraguntur, proùt diximus in Dominica Palmarum *num.* 12.

Tum ordinatur Proceſſio per Ceremoniarium circumcirca Eccleſiam, vel aliàs, juxta ſitum Eccleſiarum, proùt diximus etiam de Proceſſione Palmarum, advertendo, quòd Subdiaconus benedictionis, non autem alius, accipit Crucem proceſſionalem, ſibi allatam ab aliquo Acolytho, & præcedente Thuriferario, medius inter Ceroferarios, vadit ad Cancellos, ſeu aditum Cappellæ majoris, ibique ſiſtit ſe ante Altare, donec omnes de Choro, qui eum ſequentur, hinc inde ordinati fuerint. Nicolaus de Bralion *ſuprà n.* 13.

Interim Diaconus accipit Candelam Celebrantis de manu illius, qui eam tenet, & eandem ipſi Celebranti porrigit cum debitis oſculis, & mox accepta ſua Candela, genuflectit, ſurgit, & ſtans versùs Populum à tergo Celebrantis, alta, & ſonora voce cantat: *Procedamus in Pa e*, quo dicto, Chorus reſpondet: *In nomine Ch iſti, Amen*; tunc, & non priùs, Celebrans vertit ſe ad Populum, deſcendit in planum ubi facta reverentia Altari, accipit à Diacono birretum cum ſolitis oſculis antè, qui etiam accipit ſuum de manu Ceremoniarii; & poſteà incipit Proceſſio, præcedente Thuriferario, proùt diximus in Dominica Palmarum *n.* 13. quæ iterum legi poterunt, advertendo, quòd intereſſentes Proceſſioni deferre debent Candelas accenſas, ſicùt Palmas, manu extima.

Cùm inceptæ fuerint Antiphonæ à Cantoribus, quæ habentur in Rituali, & Miſſali, ſtatim Chorus eas proſequi, & complere debet, uti moris eſt, & ſi Proceſſio longior ſit, repetantur eædem Antiphonæ.

In Proceſſionibus hujuſmodi Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſiam ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata; quòd ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mento, progrediendum eſt, ùt declaravit S. R. C. 1. Martii 1681. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 457.

Dum Cantores in reverſione Proceſſionis ingrediuntur in Eccleſiam (vel in Presbyterio, ſi Proceſſio non exiit extra Eccleſiam, ùt notavit Gavantus *hoc tit. ſub Rubr. 7. n.* 8.) abſolutè cantant Reſponſorium: *Obtulerunt*, ùt in Miſſali, quod Chorus proſequitur, deinde iidem Cantores cantant ſoli totum ℣. ſequentem: *Poſtquàm impleti ſunt, &c.* & Chorus cantat repetitionem Reſponſorii: *Sicùt ſcriptum eſt, &c.* denique Cantores cantant *Gloria Patri, &c.* & Chorus eandem repetitionem iterum cantat. Nicolaus de Bralion *ſuprà n.* 18. qua finita, omnes ſuas Candelas extinguunt, & omnes de Clero pergunt in Chorum. Biſſus *lit. B. n.* 84. §. 16.

XIX. Rubric. n. 7. pag. 221. *Finita Proceſſione, Celebrans, & Miniſtri.*) Accedunt ad Sacriſtiam, ſi hæc non multùm diſtet ab Altari, ſi verò diſtet, facta debita reverentia Altari, & Choro, Celebrans cum præfatis Miniſtris ſe retrahit ad aliquem locum congruum viciniorem, putà retro Altare, ubi accipiunt paramenta alba pro Miſſa; quæ tamen ſi cantanda ſit de Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, tunc Celebrans deponit Pluviale violaceum, & accipit Manipulum, & Planetam violaceam. Miniſtri verò Sacri deponunt Planetas plicatas, & accipiunt reſpectivè ſuos Manipulos, cum Dalmatica, & Tunicella ſimili, &c. violacei coloris. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 17. Bauldry *ſuprà n.* 9. Biſſus. *ſuprà.*

Si autem hoc Feſtum Purificationis eſſet Titulus Eccleſiæ, tunc poſt Proceſſionem Candelarum cantatur Miſſa de Feſto, ſicùt fit illius officium, licèt occurreret in una ex ſupradictis Dominicis, quod eſt conforme Rubricis generalibus; cùm enim prædictæ Dominicæ ſint ſolùm ſecundæ Claſſis, procul dubio cedunt Feſto Titulari, vel Patrono, quod eſt primæ Claſſis. Biſſus *lit. F. n.* 76. §. 4.

Item ſi in Feſto Purificationis ocurreret Feſtum Patroni, vel Titularis, tunc poſt Proceſſionem Candelarum, Celebrans, & Miniſtri Sacri, depoſitis violaceis paramentis, induunt ſe paramentis convenientibus pro Miſſa illius Sancti, de quo fit Officium; ob eandem rationem mox allatam, nimirum quia Patronus, vel Titularis, cùm ſit primæ Claſſis, præcedit Feſto Purificationis, quod eſt ſecundæ Claſſis. Advertant verò Celebrans, & Miniſtri Sacri, ùt ſupradictum eſt, ne unquam paramenta ſacra ſumant ad Altare, præſertim in medio, quod ſolis Epiſcopis conceditur, vel aliis habentibus uſum Mitræ, & Baculi.

Ex huc uſque dictis liquet, quòd Decretum editum à S. R. C. die 25. Januarii 1603. & datum in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii, nimirum -- Feſtum Purificationis B. V. M. ſi venerit in Dominica Sexageſima, celebrandum eſt cum Commemoratione Dominicæ -- Liquet, inquam, quòd hoc Decretum intelligendum venit de Feſto Purificationis tamquam Titulari Eccleſiæ; nam cæteroquin in Ceremon. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 16. §. 17. præſcribitur, quòd, ſi hujuſmodi Feſtum veniret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, non mutantur paramenta Altaris, nec Epiſcopi, ſed remanent eadem violacea, & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quia fit de Miſſa de Dominica ſecundùm regulam in Rubricis Miſſalis ſub hoc Feſto poſitam; & præterea additur in eodem Cerem. Epiſc. ibidem, quòd ſi Miſſa fiet de Feſto Purificationis, Epiſcopus, & omnes capiunt ſuas Candelas accenſas in manibus uſque ad finem Evangelii, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti eas tenent accenſas uſque poſt Communionem. At quando dicitur Miſſa de Dominica, ſicuti dici deberet in prædicto caſu, præſcribit, inquam, Ceremoniale ibidem, quòd Candelæ ampliùs non accenduntur,

neque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

neque ad Evangelium, neque ad elevationem SS. Sacramenti. Rurſus patet ex Decreto edito die 12. Junii, & dato in noſtro Indice ſub *n.* 209. quòd idem, qui benedicit Candelas in hac ſollemnitate, debet celebrare Miſſam. Videatur etiam aliud Decretum datum ſuprà à nobis in noſtris Additionibus hac *part. 4. tit. 6. de Feria IV. Cinerum, uſque ad Dominicam de Paſſione num.* 20. ubi magis confirmatur hæc doctrina.

Sumptis igitur à Celebrante, & Miniſtris Sacris, paramentis ſibi convenientibus, à Sacriſtia procedunt omnes ad Altare, pro Miſſa celebranda more ſolito, nimirum præcedentibus Ceroferariis cum Candelabris accenſis, & Thuriferario cum Thuribulo fumigante, non deferentibus tamen aliis Candelas benedictas accenſas: Bauldry *ſuprà n. 9.* Verùm ſi Celebrans, & Miniſtri ſumpſerint paramenta non in Sacriſtia, ſed in loco viciniori Altari, putà ùt ſuprà, retro illud; tunc accedunt ad Altare, Ceroferariis non deferentibus Candelabra, neque Thuriferario Thuribulum. Biſſus *ſuprà lit. S. n. 6.* §. 18.

XX. Gav. pag 221. col. 1. n. 10. *An verò in Miſſa de Dominica Septuageſimæ ſint tenendæ Candelæ accenſæ, &c.)* In ſupracit. Rubrica 7. præſcribitur Ritus peculiaris, ſervandus in Miſſa ſollemni hujus diei, nimirum, quòd dum legitur Evangelium, debent omnes tenere Candelas accenſas; cantato autem Evangelio extinguuntur. Sed iterum tenentur accenſæ ad elevationem SS. Sacramenti, uſque ad completam Communionem Sacerdotis Celebrantis, aliorumque, ſi adſint communicandi. Diaconus tamen, & Subdiaconus nunquam tenent prædictas Candelas accenſas, ſed Celebrans ſolùm, dum cantatur Evangelium, & non ampliùs, ſuam Candelam accenſam tenet. Ex Biſſo *lit. M. n.* 248. §. 1. & Halden *part. 2. tit. 2. de Feſtis menſis Februarii 2. ejuſdem.*

Cùm igitur Candelæ teneantur accenſæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti, ideò paulò ante Evangelium, & ante elevationem SS. Sacramenti, Acolythus, aut aliquis alius Miniſter, ſumpto lumine de Candelabris Ceroferariorum, accedit ad Chorum, cum debitis reverentiis, & primam Candelam cujuſcunque Ordinis accendit; alii verò Clerici ſibi mutuò Candelas accendunt. Bauldry *ſuprà n.* 10.

Celebrans autem, data benedictione Diacono ante Evangelium, ſtans in cornu Epiſtolæ, accipit ab aliquo Ceremoniario, vel Acolytho Candelam ſuam accenſam, cum oſculis ab ipſo Acolytho præſtitis, eamque tenet ad Evangelium à Diacono cantandum, quo cantato, reddit eandem ei, à quo accepit, antequàm librum oſculetur. Ex Bauldry *ſuprà num.* 11.

Movet dubium Gavantus *hoc num.* 10, an in Miſſa de Dominica Septuageſimæ tenendæ ſint prædictæ Candelæ accenſæ, &c. & in progreſſu ex Textibus Rubricarum dicit, inferri poſſe, Candelas accenſas teneri in honorem Beatæ Virginis, & conſequenter in ejuſdem Miſſa tantùm; & reverà, ùt innuimus ſuprà, hoc idem colligitur clarè ex Cerem. Epiſc. in quo præſcribitur, quòd ſi fiat de Dominica Septuageſimæ, &c. Candelæ non accenduntur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem; & idem docet Halden *ſuprà*, necnon Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 1. §. *Diaconus.* Item ſequitur, quòd accendi non debent dictæ Candelæ, ſi cantetur Miſſa de alio Feſto, Patrono, vel Titulari, ùt optimè obſervant Bralion *ſuprà n.* 19. Biſſus *ſuprà*, & clarè deducitur ex Ceremoniali Epiſc. *ſuprà.*

Reliquum eſt, ut obſervemus, quòd ſupradictæ Candelæ, quando tenentur accenſæ poſt elevationem, tenendæ ſunt non à genuflexis, ſed à ſtantibus, ùt notat Halden *ſuprà.*

De

## De prædictis Ritibus ſervandis in Eccleſiis Minoribus.

### De præparandis pro Benedictione Cereorum. §. I.

Super aliquam Menſam parentur Cerei benedicendi, Thuribulum cum Navicula, Vas aquæ benedictæ, aliud Vas cum aqua, & manutergium, pro lotione, & exterſione Celebrantis, ùt ſuprà; tunc ſi unus, aut tres tantùm ſint Sacerdotes, Celebrans paratus Alba, & Stola tantùm, vel etiam Pluviali violaceo, tecto capite, & junctis manibus, accedit ad Altare, cum tribus Acolythis, qui procedunt nudo capite, & junctis manibus, facta debita reverentia, vel genuflexione Altari, proùt congruit; & dictus Celebrans ad illud aſcendit, eoque oſculato, ſe recipit ad cornu Epiſtolæ, ubi benedicit Candelas paulò antè detectas ab aliquo Acolytho, cum cantu, ſi adſint Cantores, aut ſine cantu, ſi non adſint Cantores. Aliquis Acolythus, ſtans à cornu Epiſtolæ, elevabit anteriorem partem Pluvialis Celebrantis, dum format ſignum Crucis ſuper Candelas. Si ſit dies Dominica, fieri debet priùs aquæ benedictio, & aſperſio, ùt ſuprà, ùt diximus in Dominica Palmarum.

### §. II.

In fine benedictionis, impoſito, & benedicto thure, Acolythis miniſtrantibus, Celebrans aſpergit, & incenſat Candelas, ùt ſuprà, deinde in medio Altaris eas diſtribuit (accepta priùs ſua à Presbytero, ſi adſit) Clero ad ipſum Altare, & Laicis ad Cancellos, debitis reverentiis ſervatis Altari, & Celebranti. Dum fit diſtributio Candelarum, cantatur Antiphona *Lumen ad revelationem gentium*, & Canticum *Nunc dimittis* in Choro, ùt ſuprà, &c. ſi adſint Cantores, aliàs Celebrans eadem legit in cornu Epiſtolæ ante diſtributionem. Qua facta, Celebrans lavat manus, & deinde dicit Orationem, præmiſſo *Flectamus genua*, à ſe, ad quod genuflectit, & *Levate* ab Acolytho Miniſtro tunc ſurgente, ſi poſt Septuageſimam, & extra Dominicam peragatur talis functio.

### §. III.

Deinde in medio Altaris iterum imponit, & benedicit incenſum, accenduntur Cerei pro Proceſſione facienda, & versùs Populum Celebrans, tenens manu dextera Candelam accenſam, dicit: *Procedamus in pace, &c.* tunc fit Proceſſio, in qua Cantores canunt Antiphonas in Rituali notatas; vel ſi non adſint Cantores, ipſemet Celebrans eas legit alta voce. Crux proceſſionalis defertur ab aliquo Acolytho inter duos Ceroferarios, ſi iſti haberi poſſint, & in ingreſſu Eccleſiæ Reſponſorium: *Obtulerunt* decantatur, ſeu alta voce legitur ab ipſomet Celebrante.

### §. IV.

Finita Proceſſione, Celebrans Miſſam privatam celebrat, proùt convenit illi diei, ad cujus Evangelium, ſi celebret Miſſam de Feſto Purificationis, accenduntur Candelæ ad Evangelium, & ad elevationem Sacramenti, uſque ad peractam Communionem incluſivè, ùt ſuprà, Si autem dicatur alia Miſſa, quæ non ſit de Feſto Purificationis B. M. V. ùt diximus ſuprà, non accenduntur Candelæ.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XV. De Feſtis, in quibus cantandæ ſunt duæ Miſſæ in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis.

I. Gav. n. 1. pag. 221. col. 2. n. 1. *Et fuſiùs hac de re nos egimus in 3. parte tit. 11. &c.*) Nos quoque, Gavanti veſtigiis inſiſtendo, fusè pariter egimus de hac materia Miſſarum Conventualium, in noſtris novis Additionibus, & Obſervationibus ad eundem *tit.* 11. *n.* 4. *& ſequentibus.*

II. Gavant. pag. 222. col. 1. n. 13. *Non occurrit caſus, &c.*) Menſe Decembri addenda quoque eſt dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. ſemper Virginis, quando ea incidit in Feriam 4. Temporum. Item cantantur duæ Miſſæ in Feſto S. Euſebii Epiſcopi, & Martyris, ſi incidat in aliquam Feriam pariter 4. Temporum. Tandem cantantur duæ Miſſæ in Feſto Expectationis B. M. V. (in toto tamen tantùm Statu Eccleſiaſtico, & in aliis Regnis, & Provinciis, in quibus conceſſum eſt prædictum Officium) ſi occurrat in Feriis ſupradictis 4. Temporum.

III. Gavant. eodem n. 3. *in ſequenti verò Februario.*) In Menſe pariter Februario contingere poteſt caſus (ſi incidat in eundem Menſem initium Quadrageſimæ) in Feſto S. Andreæ Corſini, ſi transferatur, ùt accidit, quando prædictum Feſtum occurrit in Feria IV. Cinerum. Item in Feſtis S. Johannis de Matha, & Sanctæ Scholaſticæ.

IV. Gavant. pag. 222. col. 1. num. 4. *In Feſtis SS. Caſimiri, Thomæ Aquinatis, &c.*) Item in Feſto S. Johannis de Deo, Sancti Patricii. Et in Feſto ſeptem Dolorum B. M. V. ſi occurrat in Menſe Martii.

V. Gav. pag. 222. col. 1. n. 6. *In Aprili*) In Feſto S. Iſidori, ſi celebretur in Quadrageſima, & etiam in Feſto S. Vincentii Ferrerii, ſi celebretur ùt ſuprà, & demum in Feſto ſeptem Dolorum B. M. V. ſi celebretur pariter in Menſe Aprilis.

VI. Gavant. pag. 222. col. 2. n. 11. *Menſe Julio -- Vel transfertur Feſtum S. Apollinaris in Feriam ſecundam.*) Cùm Feſtum S. Apollinaris ſit Duplex, ſi incidat in Dominicam, non transfertur in Feriam ſecundam, & ideò, cùm prædictus caſus non ampliùs occurrat in Eccleſia univerſali, ceſſat obligatio prædicta cantandi duas Miſſas.

VII. Gavant. pag. 223. col. 1. num 14. *Vigilia S. Bartholomæi.*) Item ubi Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli celebratur die 24. Auguſti, occurrit caſus cantandi duas Miſſas in Vigilia S. ejuſdem Apoſtoli, hoc eſt, una de S. Philippo Benitio, alia de Vigilia, ſicut idem accidit, ubi celebratur die 25. Auguſti, quando anticipatur Vigilia Sancti Bartholomæi in Sabbato.

VIII. Gav. pag. 223. col. 1. n. 16. *Et S. Lini occurrere poſſunt, &c.*) Item occurrere poteſt in ſupradictis quatuor Temporibus Feſtum S. Thomæ de Villanova, in quo etiam cantari deberent duæ Miſſæ.

IX. Gav. p 223. col 1. n. 17. *Secunda Oratio A cunctis, &c.*) In Miſſa cantata de SS. Euſtachio, & Sociis, nulla nunc fit commemoratio, nec alia dicenda Oratio, quia prædictum Feſtum eſt Duplex.

X. Gavant. pag. 223 col. 1. n. 18. *In Novembri duæ Miſſæ cantantur in die Commemorationis, &c.* Quoniam Gavant. hoc loco agit de Miſſa ſollemni, & de aliis Miſſis privatis, nec non de Abſolutione ſollemni Defunctorum, quæ ſolent dici, & fieri in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, idcirco noſtri Auctoris veſtigia ſectando, etiam nos hoc loco de iiſdem agemus, præſertim ſubnectendo recentia Decreta, quæ pertinent ad prædictas functiones dictæ diei proprias.

Ad Miſſam igitur ſollemnem Defunctorum cantandam prædicta die, veriſſimum

eſt, quòd non debet cantari, niſi poſt Nonam, ſeu poſt Vigilias Mortuorum, & nullomodo poſt Primam; adeſt enim expreſſum Decretum editum à S. R. C. die 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium* ad ſecundum dubium, in quo declaratur, quòd in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſollemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, & datur tale Decretum in noſtro Indice ſub *n.* 549.

Ortum eſt dubium, utrùm occurrente in aliqua Diœceſi, vel Eccleſia, aliquo Feſto Duplici die tertia Novembris, in qua juxta Rubricas fieri debet Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, quando dies ſecunda dicti Menſis incidit in Dominica; ortum, inquam, eſt dubium, utrùm in dicto caſu debeat transferri Feſtum illud Duplex ad aliam diem non impeditam currentis Octavæ omnium Sanctorum; an verò, non obſtante Officio Commemorationis omnium Defunctorum, ſit recitandum Officium de prædicto Feſto Duplici, & præter Miſſas privatas de Requiem cum una ſollemni celebrandas pro omnibus Fidelibus Defunctis, dicenda ſit de tali Feſto tunc una Miſſa tantùm? S. R. C. ſub die 5. Octobris 1686. declaravit, quòd in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ſi alicubi occurrat Officium Duplex minus, Miſſæ ſunt celebrandæ de Requiem, quod Decretum datur in noſtro Indice ſub *n.* 488. Ita etiam eadem S. C. ſtatuit, in tali caſu faciendum eſſe Officium de Duplici, ſed Miſſas celebrandas eſſe de Requiem, ita die 19. Junii 1700. *in Curien.* & hoc Decretum datur in noſtro Indice ſub *n.* 543. quoniam verò ſub die 11. Julii 1716. *in una Oeniponti*, Patribus Societatis reſpondit, in tali caſu transferendum eſſe Officium S. Pirminii (quod ſub Ritu Duplici celebratur ibidem in eorum Eccleſia) in aliam diem, quando occurrit ſimul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, opinabar in meis Obſervationibus primæ partis *tit.* 5. per hoc ultimum Decretum datum in noſtro Indice ſub *num.* 631. derogatum fuiſſe duobus antedictis Decretis.

Verùm quia, poſtquàm prædicta folia fuerunt prælo ſubjecta, ſequens emanavit Decretum -- Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Congregationis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum Duplex minus etiam tranſlatum; ſed fiet Officium de Duplici, cum ſola Miſſa ſollemni poſt Tertiam: Officium verò Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub Ritu Duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in paramentis nigris -- S. R. C. 5. Maji 1736. & datum in noſtro Indice ſub *n.* 683. Quoniam, inquam, emanavit hoc Decretum, magis magiſque confirmantur duo priora Decreta mox à nobis allata; unde dicendum eſt, quòd illud tertio loco allegatum *in una Oeniponti* pro PP. Societatis Jeſu, non deroget prædictis duobus Decretis generalibus, ſed ſit particulare, & municipale pro earumdem PP. Eccleſia ejuſdem Civitatis Oeniponti, in qua Eccleſia, cùm aſſerventur inſignes, imò potiores reliquiæ S. Pirminii, cujus Officium celebratur ab eiſdem ſub Ritu Duplici, S. C. congruum cenſuit, in ſupra propoſita occurrentia talis Feſti cum Commemoratione omnium Defunctorum, eſſe transferendum Feſtum dicti Sancti, ut eo die poſſint celebrari omnes Miſſæ privatæ de eodem Sancto Pirminio.

Aliud extat dubium, in quo quæſitum fuit à S. C. an in die Commemorationis omnium Defunctorum, in qua quotannis occurrit dies Octava Dedicationis Eccleſiæ, ſint Miſſæ privatæ celebrandæ de Defunctis, vel de Octava? & reſponſum fuit à S. C. die 27. Septemb. 1698. Miſſas privatas dicendas eſſe de Mortuis, & concedendas eſſe duas Miſſas Conventuales, unam ſcilicet de Octava, & alteram de Mortuis, juxta Rubricas. Quando verò dies Octavæ incidat in Dominicam, omnes Miſſas celebrandas eſſe de Octava;



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cùm Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum tranſferatur in diem ſequentem; quod Decretum datur in noſtro Indice ſub *n.* 536. & conciliari poteſt cum ſuprà extenſo alio Decreto, quia in hoc ſecundo agitur de Feſto Duplici, quod non poteſt transferri, nempe de die Octava Dedicationis Eccleſiæ, in ſuperiori verò Decreto dubium verſabatur circa Feſtum Duplex transverſibile.

Pro prædicta die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum facit etiam ſubſequens Decretum, nimirum: Si aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit alia Miſſa, ùt in die obitus præſente Corpore; ita declaravit S. R. C. 14. Aprilis 1646. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 291.

XI. Gavant. pag. 223. col. 2. eodem n. 18. *Sacrificium Miſſæ Defunctorum hac die applicandum eſſe omnibus Defunctis, &c.*) S. R. C. die 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum* declaravit, quòd in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Sacrificia poſſunt à Sacerdotibus applicari ad libitum, ſc. vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantùm; & datur tale Decretum in noſtro Indice ſub *n.* 411. Quapropter non ſubſiſtit noſtri Auctoris ſententia, quòd Sacrificium Miſſæ in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum debeat ex intentione Eccleſiæ applicari pro omnibus Defunctis.

Nemini licet facere Octavas pro Defunctis ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ, neque intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia licet exponere Tabellam ſuper januam ipſius Eccleſiæ cum inſcriptione: *Indulgenza per li Morti*: ſed tantùm ſuper ipſo Altari privilegiato conſuetis verbis: *Altare privilegiatum pro Defunctis.* S. R. C. 13. Auguſti 1667. *in Romana Commemoration. Defunctorum, &c.* & datur in noſtro Indice ſub *n.* 431.

XII. Gav. pag. 223. col. 2. n. 19. *In Abſolutione ſollemni Defunctorum, &c.*) Poſt Miſſam ſollemnem Defunctorum in die Commemorationis omnium Fidelium, prædicta debet fieri Abſolutio ad Tumulum; de qua, & de cujus Ritibus ſervandis fusè loquuti ſumus cum Gavant. *ad tit. 13. part. 2. n.* 19. quapropter hìc nihil addendum eſt niſi ſequentia Decreta.

In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, poſt Abſolutionem, quæ fit ad Tumulum, non additur: Animæ omnium Fidelium Defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace, &c. ita S. R. C. die 2. Decembris 1684. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 477.

In Abſolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non eſt dicenda tota concluſio in Oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. & datur in noſtro Indice ſub *n.* 522.

XIII. Gavant. pag. 223. col. 2. n. 22. *Ubi celebratur Feſtum SS. Roſarii.*) Prædictum Feſtum ubique modò celebratur de præcepto, ex Decreto Clementis XI. die 3. Octobris 1716. & dabitur in noſtro Indice Decretorum ſpectantium ad Rubricas Breviarii; Miſſa verò dicitur, ùt in Feſto ad Nives, cum Oratione, Secreta, & Poſtcommunione propriis, ex Decreto R. R. C. die 10. Martii 1725. approbante Benedicto XIII. ſub die 26. ejuſdem Menſis & Anni.

Tit. XVI. De Rubricis Miſſarum communis Sanctorum, *caret novis Obſerv. & Additionibus.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XVII. De Rubricis Miſſarum votivarum in fine Miſſalis.

I. Gavant. pag. 226. col. 1. n. 5. *Miſſarum Votivarum de Trinitate, &c.*) Quia fuſo calamo diſſeruimus de Miſſis Votivis, & omnia ad eas ſpectantia colligimus in noſtris Additi-

onibus

onibus & Obſervationibus *ad tit. 4. primæ partis*, ideò evolvenda ſunt ea, quæ ibi tradidimus; nihilominùs etiam ſub hoc titulo ſequentia addemus.

II. Gavant. pag. 227. col. 1. n. 9. *Miſſa SS. Roſarii, &c.*) Si quis habet onus celebrandi ſupradictam Miſſam de SS. Roſario, vel S. M. de Monte Carmelo; Gavantus *hic n. 9* ait conſulendam eſſe S. R. C. quæ aliquando pro ea conceſſit Miſſam Votivam prout in Miſſali, nempe Miſſam illam B. V. quæ in fine Miſſalis deſignatur pro tempore occurrenti; verùm ſupra hoc dubium legantur ea, quæ à nobis dicta ſunt in noſtris Obſervationibus *ad tit. 4. primæ partis n.* 30. ubi reſolvimus, celebrari poſſe Miſſam propriam de SS. Roſario; & quamvis Gavantus *hoc tit. n.* 8. dicat, quòd quando exigitur Miſſa Votiva de Aſſumptione B. V. vel de Nativitate ejuſdem, & hujuſmodi, recitanda ſit una Miſſa de B. V. ex quinque Votivis, quæ ſunt in Miſſalis fine, cum intentione ad honorem B. V. nihilominùs magna eſt in utroque caſu diſparitas; ideò enim pro Votiva Aſſumptionis, & Nativitatis non eſt dicenda propria illarum Feſtivitatum, quia extra Octavam, & Feſtum prædictæ Aſſumptionis, &c. dedecet, ùt idem Gavantus adnotat, vel dicere: *Gaudeamus omnes in Domino, diem Feſtum &c.* vel immutare tunc verba *diem Feſtum* in *Commemorationem*; tum quia alia ſequerentur incongrua; ſed hæc incongrua profectò non ſequuntur in illa Miſſa SS. Roſarii, quæ nunc pro Eccleſia univerſali in Miſſali Romano in Dominica prima Octobris dicenda præſcribitur; adeoque poterit dici ab omnibus, quando exigitur Miſſa Votiva de SS. Roſario, & idem nunc dicerem de Miſſa Votiva B. V. de Monte Carmelo, niſi obſtaret Introitus, qui eſt idem, ac in Miſſa Aſſumptionis, &c. Si exigatur Miſſa Votiva B. M. V. de ſeptem Doloribus, poſſet dici illa, quæ nunc habetur in Miſſali Romano, additis iis, vel mutatis, quæ in eadem Miſſa notata ſunt. Cætera, quæ ſpectant ad Miſſas Votivas, ſuprà fusè tradidimus *ad tit ſupracit.*

III. Gavant. pag. 218. col. 1. n. 17. *Niſi urgenti de cauſa.*) Docet Gavantus, Miſſas Votivas dici poſſe quacunque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium Duplex; & addo, vel etiam dies, in quo excluditur quodcunque Officicium Duplex, ùt alibi cum eodem dixi, quales ſunt dies infra Octavas Epiphaniæ, Paſchatis, &c. ùt videre eſt apud eundem Gavantum *part. 1. tit. 4. lit.* o. Lohner tamen *part. 4. tit. 1. n.* 8. adſtruit, quòd ſecluſa ſpeciali prohibitione, probabile eſt, ob quamcunque rationabilem cauſam licitum eſſe, Miſſas Votivas, in quovis Feſto duplici, non majori ſaltem, legere; & adducit pro ſua opinione auctoritatem P. Gobat, qui *n.* 708. idem docet cum Henriquez, Tannero, & aliis. Porro pro cauſa rationabili idem Auctor, nimirum Gobat, ſequentes agnoſcit. Primò, ut ſatisfiat fundationi, quemadmodùm multi ſentiunt. Secundò, juxta alios, & nominatim juxta Jordanum *n.* 500. promiſſio, & ſtipendium acceptum pro certa Miſſa. Tertiò, malum publicum, vel privatum avertendum, bonumque procurandum. Quartò, quando ſacrum ordinarium eſt valdè longum, & nequit ſine incommodo notabili, vel ſacrificantis, vel audientis dici, quo modo facilè permittenda eſt mutatio Miſſæ, in qua Paſſio Dominica legitur, in Votivam de Paſſione, ſi audiens, vel ſacrificans debilitate capitis, oculorum, pedum, viſcerum laboret; Tambur. *lib. 2. cap. 6. §. 1. n.* 12. Quintò, ſingularis devotio, vel facturi, vel audituri ſacrum. Dico ſingularis, ſi enim vulgaris ſit, melior eſt conformatio cum Rubricis, quia per ſubjectionem gratius Deo obſequium præſtatur. Hæc Lohner ibidem; ego tamen non ita libenter admitto o[illegible]es prædictas cauſas, veluti ſufficientes [illegible] celebrandam Miſſam Votivam diebus [illegible]titis. Et pro nunc ſolùm ad-

mitto illam quarto loco poſitam, nimirum quando ſacrum ordinarium eſt valdè longum, & ob malam affectionem oculorum, vel aliam ſimilem cauſam non poteſt à Sacrificante legi ſine notabili incommodo Miſſa diei currentis.

IV. Gavant. pag. 228. col. 1. num. 19. *De Anniverſario Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi, &c.* ) Etiam apud antiquos vigebat iſta conſuetudo, ut Anniverſaria dies Conſecrationis Epiſcopi annua celebritate recoleretur. Dies hæc, ùt optimè notat Gavant. Natalis Epiſcopi vocabatur, & plurimi extant Patrum ſermones, ſingulis Annis, ea recurrente, habiti ad Populum. Præter Patres à Gavanto allegatos, etiam Auguſtinus, eum à ſe celebrari annuum ordinationis diem aſſerit, quaſi tunc primùm, graviſſima illi Epiſcopatus ſarcina eſſet impoſita. Hinc ut gratiam divinitus obtinerent, & vires ad dignè ſuſtinendas Apoſtolici muneris partes, ſe Fidelium precibus commendabant.

Circa hujuſce ſollemnitatis Ritum duo obſervanda occurrunt. Primum eſt, ordinem Epiſcoporum inter ſe ex tempore Conſecrationis ſemper fuiſſe ſervatum: Concilium Milevitanum Anno 402. celebratum *Can.* 13. necnon Africanum Anno 407. *Can.* 53. & ut hic ordo retineretur, ac ne lis aliqua ſuboriri poſſet de tempore Conſecrationis, ex cit. Concilio Milevitano Anno 402. *Can.* 14. & Africano *Can.* 56. Epiſcopi ordinati literas accipiebant ab Ordinatoribus manu eorum ſcriptas, cum Conſule, & die. Aliud quod obſervandum occurrit, circa Ritum inaugurationis Epiſcopi, eſt, quòd talis anniverſaria dies ſuæ Conſecrationis, tamquam ſollemnis, & feſtiva, à ſua Eccleſia celebrabatur, ùt colligitur ex Bouſac *in Noctibus Theologicis diſſert.* 28.

V. Gavant. pag. 228. col. 2. n. 20. *Si igitur venerit in die feſtivo.* ) Quamvis de hac Miſſa, quæ ſolet celebrari in die anniverſario Conſecrationis Epiſcopi, nonnulla diximus in Additionibus noſtris ad ſupradictum *tit.* 4. *primæ partis*, nihilominùs hic addere lubet, quòd hæc Miſſa ſollemnis celebratur vel per Epiſcopum ipſum, vel per aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum, ipſo Epiſcopo præſente; quæ quidem Miſſa, ſi dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi venerit in die aliquo feſtivo, celebrabitur de Feſto, cum paramentis eidem convenientibus, & cum Commemoratione pro Epiſcopo, juxta Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 35. ſed ſub unica concluſione, ùt præſcribitur in Rubrica talis Miſſæ. Si verò talis dies Conſecrationis Epiſcopi veniret in die non feſtivo, ſed feriali; tunc celebrabitur Miſſa prout in Miſſali, in paramentis albis, & cum unica tantùm Collecta pro Epiſcopo, nimirum; *Deus omnium Fidelium Paſtor & Rector, &c.* & ſi Epiſcopus celebret, dicat in Oratione: *Me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ, &c.* ſed in reliquis ſerventur ea, quæ in Miſſa ſollemni Epiſcopali, vel coram Epiſcopo celebrata ſervanda ſunt.

Quamvis S. R. C. die 28. Auguſti 1627. apud noſtrum Gavant. *prima parte tit.* 9. *n.* 16. *lit.* i. §. *Accidit etiam*, decreverit, quòd *Commemorationes pro publica cauſa non fiant in Feſtis primæ Claſſis*; excipitur tamen hæc Commemoratio Conſecrationis Epiſcopi, & ratio eſt, quia hæc Oratio non modò eſt pro publica cauſa, ſed cadit etiam ſub præcepto, cujuſmodi non eſt Commemoratio, de qua loquitur ſupradictum Decretum, quæ ſcilicet eſt Commemoratio purè Votiva; nec Commemoratio diſconvenit etiam aliquando in Feſtis primæ Claſſis, ùt patet de Commemoratione Dominicæ, quæ nunquam omittitur, etiam in Feſtis primæ Claſſis. Non adduco exemplum Commemorationis S. Anaſtaſiæ, quæ fit in ſecunda Miſſa die Nativitatis Domini, quia, ùt alibi dixi, talis Oratio introducta fuit ratione Stationis, quæ fiebat in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, quando celebrabatur dicta ſecunda Miſſa; unde rigorosè loquendo non eſt Commemoratio alicujus



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Feſti Simplicis. Dicta autem Commemoratio Conſecrationis Epiſcopi, quæ fit in Feſto etiam primæ Claſſis, facienda eſt, ùt dixi, ſub unica concluſione, cum Oratione Feſti.

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XVIII. De Rubricis Miſſarum pro Defunctis.

I. Gavant. pag. 231. col. 1. n. 6. *In die depoſitionis, & Anniverſario Summi Pontificis, &c.)* Dicitur Miſſa, proùt deſcribitur à Gavant, *hic*, cum Oratione: *Deus, qui inter Summos Sacerdotes, &c.* illa nempe, quæ eſt prima inter Orationes diverſas pro Defunctis, cum ſua Secreta, & Poſtcommunione. Vide Rubricam particularem poſitam in Miſſali ante has Orationes diverſas. Et ſi pro pluribus celebretur Anniverſarium, Oratio, ùt *ſuprà* dicitur in numero plurali. Pro Defuncto verò Epiſcopo item dicitur prima Miſſa, quæ eſt in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, cum unica Oratione, quæ erit pariter -- *Deus, qui inter Apoſtolicos, &c.* cum ſua Secreta, & Poſtcommunione, ùt habetur in Miſſali inter Orationes diverſas pro Defunctis. Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 29.*

II. Gavant pag. & col. ead. n. 7. *Pro Defuncto Cardinal.)* Pro hoc tam in die obitus, quàm in Anniverſario, dicitur eadem prima Miſſa, ſed avertere oportet, ſi ſit Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus Cardinalis, ùt advertimus in noſtris Additionibus ad *tit. 5. 1. part, ſub n. 11.*

III. Gav. pag. ead. col. ead. n. 8. *Quid pro Sacerdote Defuncto, &c.)* Supradictam primam Miſſam ſic reſtringit Guyetus infrà citandus, ut non pro omnibus univerſim Sacerdotibus in die eorumdem obitus, vel Anniverſarii impendatur, ſed pro inſignioribus dumtaxat, his videlicèt, qui in dignitate aliqua, putà Abbatis, Generalis Ordinis, Præpoſiti, Decani, Archipresbyteri, Archidiaconi, & ſimilibus conſtituti, celebriores obtinent Exequias: quales itidem, immò & multò ampliores adhiberi mos eſt in Funeribus Imperatorum, Regum, Principum, & Magnatum, quibus proinde ſi quis eandem primam Miſſam pari ratione tribuendam aſſerat, nihil illi repugnat; ita ſupracitatus Guyetus *lib. 4. cap. 23. quæſt. 27. n. 11.*

IV. Gav. pag. 231. col. 2. n. 15. *Pro eo, qui proximè obiit &c.)* Diximus ſuprà in noſtris Additionibus *ad tit. 5. 1. partis*, quòd cùm primùm habita fuerit notitia obitus alicujus perſonæ defunctæ in loco diſtanti, cantari poteſt Miſſa ſollemnis *de Requiem*, ùt in die obitus, pro tali Defuncto, etiam in die Feſto Duplici quod non ſit de præcepto, & ibi allegavimus Decretum S.R.C. editum *die 4. Maji 1686.* quo confirmata fuit hæc ſententia.

Reliqua ſpectantia ad hujuſmodi Miſſas Defunctorum, vide in noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad ſupradictum *Titulum 5. 1. partis.*

Quoniam verò ibidem ſub *num.* 8. noſtrarum Obſervationum, & Additionum, varia innuimus Decreta, ſpectantia ad Miſſas Defunctorum in Altari Privilegiato celebratas, lubet ſuperaddere hic ſequens Decretum à S. Conc. Congregatione emanatum ſub die 3. Julii 1706. & à Clem. XI. S. M. confirmatum; unde habetur in ſuo Bullario particulari *part. 3. Conſtit.* 2. & in Bullario editionis Luxemburgenſis *tom. 8. part. 2. Decreto* 2. Refero Decretum hìc proùt jacet -- Cùm in Brevibus Conceſſionis Indulgentiarum pro Altaribus Privilegiatis apponi ſoleat Clauſula -- *Dummodo in illa Eccleſia tot Miſſæ quotidie celebrentur*, & aliquando ex accidenti idem Miſſarum numerus præfixus non poſſit in eiſdem Eccleſiis haberi: ideò quæritur: *Primò* -- An abſentibus Religioſis ex Cauſa Prædicationis tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, à Superioribus ad celebrandum aliò tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ

cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas Cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potiùs remaneant in ſuo robore? *Secundò:* An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Secularium, quàm Regularium? *Tertiò:* an pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente numero Miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Secularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & Menſes? *S. Cong. Concilii cenſuit* ad primum, *quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodò rarò contingat*; ad ſecundum, *non remanere ſuſpenſas*; ad tertium, *ſatis proviſum in primo.*

## Novæ Obſervationes, & Additiones ad Gavanti

### Tit. XIX. De Rubricis Benedictionum.

I. Gavant. pag. 232. col. 1. poſt Rubr. n. 6. lit. a *Nunquam omittitur in Dominicis &c.)* Triplex genus Aquæ Benedictæ reperitur, ùt optimè notat celeberrimus Cardinalis Johannes de Turrecremata *in tract. de Aqua Benedicta*, quem inſertum reperio in calce ordinis Miſſæ pro informatione venerab. Sacerdotum, elucubrati à Johanne Burcardo, & Romæ impreſſi anno 1559. Triplex, inquam, genus Aquæ Benedictæ reperitur, cujus uſum Chriſtianæ Religionis Ritus devotè amplectitur, & obſervat. Prima Aqua Benedicta, eſt, quæ divinis precibus, nec non commixtione Vini, Salis, & Cineris ſacratur, & benedicitur in Dedicatione Eccleſiæ, vel Altaris, de qua fit mentio expreſſa in Pontificali Romano, in quo præſcribuntur omnes Ceremoniæ, & Ritus ſervandi in præfatis Conſecrationibus Eccleſiæ, & Altaris. Secunda Aqua Benedicta, eſt Fontis Baptiſmalis, de qua ſermonem habuimus, agentes de Ritibus ſacris, qui exercentur in Sabbato Majoris Hebdomadæ. Tertia Aqua Benedicta, eſt, qua communiter in Eccleſia aſpergimur, de qua fit expreſſa mentio *in cap.* 10. *Aquam Sale conſperſam de conſecr. diſt.* 3. De benedicenda hac Aqua qualibet die Dominica præceptum urget adeò rigoroſum, ut Gavant. *hìc* conſtanter aſſeveraverit, nunquam omitti debere tali die hujuſmodi aſperſionem, & præcedenter Benedictionem; circa quam obligationem extat apud Burchardum Vormacenſem *lib.* 2. *cap.* 12. Canon antiquiſſimus Concilii Nanatenſis, in quo diſertè præſcribitur, ut -- *Omnibus diebus Dominicis, unuſquiſque Presbyter in ſua Eccleſia, ante Miſſarum ſollemnia, aquam benedictam faciat, in vaſe nitido, tanto Myſterio convenienti, de qua Populus intrans Eccleſiam aſpergatur* - Similia leguntur in Capitularibus Caroli Magni *l.* 5. *c.* 210. nimirum: *Ut omnis Presbyter die Dominico cum Pſallentio circumeat Eccleſiam ſuam, unà cum Populo, & aquam benedictam ſecum ferat &c.* Ex quibus apparet, quòd non tantùm fieri debet aſperſio ex hac aqua, ſed etiam nova Benedictio, quolibet die Dominico, contra malam Conſuetudinem nonnullarum Eccleſiarum, etiam Cathedralium, in quibus utique fit aſperſio, ſed ex aqua jam præcedentibus diebus benedicta, quod apertè eſt contra Ritum præſcribentem hanc renovationem Aquæ Benedictæ, qualibet hebdomada faciendam, ad evitandam facilem ejus corruptionem, & commixtionem cum ſordibus; pura enim difficilè remanet Aqua extra ſuum Fontem expoſita per integram hebdomadam. Præterea hæc renovatio Aquæ ſuum habet Myſterium, ſignificando ſingulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptiſmatis. Quarti *tit.* 3. *de Benedict. ſimplici dub.* 4. & Baruffaldus *de Ordine ad faciendam Aquam Benedictam tit.* 45 § 1. *n.* 13. *& ſeqq.* A prædicta tamen regula benedicendi Aquam qualibet

Domi-

Dominica excipiuntur Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, in quibus non ſervatur hic Ritus benedicendi Aquam ab illis Eccleſiis, ubi adeſt Fons Baptiſmalis, quia, ùt adnotavimus *ſuprà* in noſtris Additionibus ad Commentaria Gavanti in Rubricas Sabbati Sanctioris, aſpergitur Clerus, & Populus in prædictis duabus Dominicis cum Aqua pridie Benedicta in Fonte Baptiſmali, ad hunc finem reſervata in aliquo vaſe, qui Ritus clarè præſcribitur in Miſſali, ubi ſermo habetur de Benedictione Fontis Baptiſmalis.

Rurſus adnotare libet, quòd etiam alio die à Dom. benedici poſſit dicta Aqua, proùt expreſsè habetur in Rituali Romano, nimirum quandocumque opus fuerit, etiam infra hebdomadam, quando Aqua in Dominica præcedenti benedicta, jam conſumpta, vel putrefacta ſit.

II. Rubr. n. 6. pag. 232. *In Sacriſtia præparato ſale, & aqua benedicenda, &c.*) Loca præſignata ad faciendam iſtam aquam benedictam, ſunt Eccleſia, vel Sacriſtia, ùt patet ex hac Rubrica. De facto loca ſacra magis conveniunt rei ſacræ. Nihilominùs extendi poteſt hæc benedictio etiam ad domos privatas, ita ut hæc aqua ubique locorum benedici poſſit, tum validè, tum licitè; quia non eſt in ſuperiori ordine rerum ſacrarum, cùm ſæpiſſimè contingat aquam iſtam, licèt benedictam, in terram cadere quando illa aſperguntur Fideles, nec ulla adhibetur cautela ad impediendum, ne à prætereuntium pedibus teratur. Quarti *up. dub. 6.*

Idem Auctor curioſam promovet quæſtionem *dub. 2.* ſcilicet, utrùm unica benedictione poſſent benedici plures fontes aquæ inter ſe diſtantes? Et reſpondet, poſſe validè, & licitè benedici omnes aquæ fontes, qui ſunt coram Sacerdote benedicente, intra viginti paſſus; modò idem Miniſter poſt Orationes, vel Exorciſmos, accedat ad ſingulos, quando facienda eſt mixtio ſalis cum aqua. Ratio eſt, quia ſufficit præſentia moralis materiæ, quæ benedicitur coram Miniſtro, quæ præſentia judicio Prudentium ſalvatur intra viginti paſſus; quæ doctrina valet etiam ad reſpondendum illi dubio: An res quæcumque benedicendæ debeant eſſe præſentes Miniſtro, à quo fit benedictio? Circa quæ vide ſupracit. Quarti *tit. 1. de Benedict. in genere ſect. 2. dub. 4.* Baruffaldum *ſuprà à n. 27. uſque ad 31.*

III. Gavant. pag. 233. col. 2. n. 8. *Priùs autem quàm à Clemente, &c.*) Ab antiquis, & quidem à Gentilium Ritu, ortum ſuum cognoſcit hæc aqua, quæ ideò luſtralis dicebatur, quia à Sacerdote purgationis cauſa aſpergebatur ſupra Victimas, & ſupra Populum Templa ingredientem; qui actus poſteà ab Eccleſia ſanctificatus fuit uſque ab ejus exordiis; nam conta nonnullorum opinionem, qui cenſent, Alexandrum I. Summum Pontificem fuiſſe inventorem hujus aquæ benedictæ, clarè Marſilius Columna, ùt optimè notat Gavant. *hic*, in ſua Hydragiologia *ſect. 2. cap. 2. à num. 38.* demonſtrat, inſtitutionem prædictæ aquæ tribuendam eſſe Divo Matthæo Apoſtolo; verùm non potiùs à Matthæi, quàm à cæterorum Apoſtolorum traditione emanaſſe hunc Ritum, piè credendum eſt, quam quidem aquam deinde Alexander I. ſollemniter præcepit benedici, ait Caſalius *de veteribus Sac. Chriſt. Ritibus cap. 36.* idque colligit ex ejusdem Epiſtola ad omnes Orthodoxos, ubi legitur: *Aquam ſale conſperſam Populis benedicimus, ut eâ cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus, &c.* Quæ quidem verba ſunt prorſus eadem, quæ leguntur in ſuprà allegato *cap. 10. de Conſecrat. d. ſt. 3.* ſed prædictam Alexandri I. Epiſtolam, quia habet plura ex aliis ſubſequentium Seculorum Conciliis, & Patribus; præſertimque inſignem locum ex Idatio, & ex Epiſtola ſuppoſititia Benedicti I. rejiciunt Petrus de Marca, Chriſtianus Lupus, aliique Viri clariſſimi, qui pariter non admittunt tan-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quam genuinas alias duas ejusdem Pontificis Epiſtolas, quarum una ſcripta eſt ad omnes Epiſcopos, alia verò ad omnes Sacerdotes. Decrevit quidem præfatus Pontifex, ut aqua benedicta in habitaculis hominum aſſervaretur, ſicùt tradit Anaſtaſius, ſive alius Auctor libri Pontificalis in ejus Vita; quod vas aquæ benedictæ ab Apoſtolis traditione derivatum, & ejusdem Alexandri I. Decreto ſtabilitum, probat Baronius ad Annum 132. Qui plura ſcire deſiderat de hujus aquæ benedictæ origine, Ritu, myſteriis, virtute, & effectibus, legat ea, quæ tradunt Caſalius *loc. cit.* & nuper Sarnellius Epiſcopus Vigilienſis *in Epiſt. Eccleſiaſt. tom.* 4. *epiſt.* 18. Cardinalis Valerius *in Theſauro piarum Inſtitutionum pag.* 237. *&* 240. Caſtaldus *lib.* 1. *ſect.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. *& lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Corſettus *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 14. *& in Indice Rationali Sacrorum Myſteriorum v.* Aqua; Baruffaldus *loc. ſupra cit.* præſertim verò Quarti *de Benedict. tit.* 3. qui luculenter exponit omnia ſpectantia ad hanc materiam.

IV. Gavant. pag. & col. ead. num. 9. *Sal ante aquam benediciur, &c.)* Baruffaldus *loc. ſupracit. num.* 21. miratur, quòd noſter Quarti, alioquin diligentiſſimus, qui in ſuo Aureo opuſculo adeò luculenter ſcripſit de Benedictionibus, & præſertim de Benedictione Aquæ Luſtralis, nullam omnino mentionem faciat de ſalis benedictione, neque in actu Baptiſmi, neque in actu conficiendæ dictæ Aquæ Luſtralis; ſed rationabiliùs dicerem, me in majorem admirationem adduci, quòd ipſe Baruffaldus non legerit ea, quæ tradit citatus Quarti *tit.* 3. *ſect.* 1. *præludio* 2. ubi expreſſum ſermonem habet de ſalis benedictione, quæ præmitti debet ad benedictionem aquæ, & ibidem explicat, quid ſignificet aqua, & quid ſal benedictum; ait enim: Aqua à ſordibus mundat, ſal putredinem fugat; aqua nitorem præbet, ſal adhibet ſinceritatem. Aqua fœcundat, ſal à corruptione præſervat. Aſperſione igitur Aquæ Luſtralis monentur Fideles, ut aqua lacrymarum, ſeu compunctionis, Animam à ſordibus peccatorum mundent, & ſale timoris Domini putredinem malitiæ fugent. Petant à Deo aquam gratiarum, qua fœcundentur virtutibus, & ſalem ſapientiæ, quo à corruptione præſerventur - - Hæc omnia, quæ ex Raban. *de Inſtitut. Cleric. lib.* 2. *cap.* 55. deſumpſit Quarti, conſignat loco citato. Deinde ſubdit, quòd priùs benedicitur ſal, quàm aqua: poſteà miſcentur ad invicem; quia per ſal intelligitur amaritudo pœnitentiæ, per aquam verò gratia ſanctificans, & emundans Animam, ſive in Baptiſmo, ſive in Sacramento Pœnitentiæ. Cùm ergo pœnitentia, ſeu cordis contritio debeat præcedere Baptiſmum, & ſimiliter abſolutionem Sacerdotis, qua per gratiam fit peccatorum remiſſio, meritò benedictio ſalis præmittitur benedictioni aquæ. Deinde miſcetur ſal cum aqua, &c. Hæc Quarti *cit. oc.* quæ deſumſipt ex Durand. *Rational. lib.* 4. *cap.* 4. ſi hæc legiſſet Baruffaldus apud prædictum Auctorem, ſicùt multa alia, & legit, & deprompſit, profectò peperciſſet ſuæ admirationi, & literis non mandaſſet, Paulum Mariam Quarti nullam mentionem facere de ſalis benedictione, neque in actu Baptiſmi, neque in actu conficiendæ Aquæ Luſtralis. Igitur benedictio ſalis, ùt notat etiam cit. Baruffaldus, duplex eſt, una de ſale inſerviente ad Baptiſmum, altera de ſale adhibendo in benedictione aquæ prædictæ, quamvis ſignificationes, & myſteria ſint eadem, ùt explicant allegati Auctores apud Quarti. Pro utraque benedictione ſal debet eſſe naturalis, albus ſi fieri poteſt, ſiccus, non verò humidus. De prædicta ſalis benedictione eruditè loquitur Claudius de Vert *tom.* 2. *ſuper cap.* 2. & Auctor Tractatus de Miſſa Parochiali *cap.* 5. *art.* 4. *& ſeqq.*

V. Rubr. n. 10. pag. 233. *Ter mittit ſal in aquam, &c.)* Aqua verò, in quam benedicendam ter immittitur ſal, debet eſſe natura-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

turalis, ſive è Fonte, ſive è Fluvio, ſive è Puteo, ſivè è Ciſterna pluviali, dummodò ſit pura, & munda, ob dignitatem rei ſacræ, ad quam inſervire debet, & ne inquinet res, ſeu perſonas, ſuper quas projicitur; nec licitum eſt, quidquam extranei liquoris cum iſta aqua admiſceri, niſi ſit in parva quantitate, & ad decentiam dictus liquor congruus, veluti aqua roſacea, ob fragrantiam odoris, quia in hac nulla apparet indecentia, & obtinuit tolerantiam in Eccleſia, quæ tolerantia cùm ſit tacitus conſenſus, facit, ut Sacramentalia, quæ pendent ex arbitrio Eccleſiæ, non alterentur. Ex Quarti *ſup. dub. 5.* & Baruffald. *ſup. à n. 22. uſque ad n. 24.*

In prædictam autem aquam ter Sacerdos mittit ſal in modum Crucis, quia ter debet fieri ſignum Crucis cum manu, pugillo ſal tenente, unde ſequitur, ut ter quoque mixtio, ſeu immiſſio ſalis fieri debeat, ex Baruffald. *ſup. n* 40. *& ſeqq.*

VI. Gavant. pag. 233. col. 1. n. 12. *Dictâ Tertiâ, fit aſperſio, &c.)* Non ante Tertiam ſollemniter cantatam, ſed poſt eam, ùt optimè adnotat noſter Gavant. Sacerdos, qui Miſſam celebrare debet Conventualem, juxta Decreta edita die 27. Novembris 1632. & 16. Novembris 1649. data verò in noſtro Indice ſub *num.* 268. *&* 299. etiamſi Celebrans ſit prima Dignitas, vel ſuperior, indutus Pluviali, ùt præſcribit Rubric. ſuperior, coloris Officio convenientis (ſi commodè haberi poteſt Pluviale, aliàs ſine Caſula) & ſuper Albam Stola in modum Crucis, ùt in Miſſa, aptata; & etiam ſi Pluviale non haberet, eam ſic in modum Crucis gerere debet, & ita præſcribit etiam S. R. C. in ſuo Decreto edito die 30. Decemb. 1679. & dato in noſtro Indice ſub *n.* 454. & quidem eſt ſolius Epiſcopi, ut Stola ante pectus pendeat ſuper Albam, Manipulus verò nunquam, ùt præſcribit Rubr. & alibi nos innuimus, cum Pluviali portatur. Diaconus, & Subdiaconus, ſimiliter indui debent Dalmatica, & Tunicella, vel Planetis plicatis, juxta temporum diverſitatem, ſed ſine Manipulis. Regulare eſt enim, ùt colligi poteſt ex Ceremon. Epiſc. & ex noſtro Gavant. *in Rubr. pro Benedict. Palmarum*, ut illos non accipiant, cùm Celebrans eo non utitur, niſi Cantaturi ſint Epiſtolam, vel Evangelium, ùt in Benedictione Palmarum. Cùm verò Celebrans non induitur Pluviali, ſacri Miniſtri non induuntur Dalmatica, & Tunicella reſpectivè, niſi poſt factam aſperſionem, quando ipſemet Celebrans ſumit Planetam, & tunc procedunt ad Altare, immediatè ante ipſum Celebrantem, unus poſt alium, ex Bralion *part. 3. cap. 1. n. 3.*

Finita Tertia, ùt dixi *ſuprà*, Celebrans, & Miniſtri Sacri, induti Paramentis, ùt *ſuprà* notatum eſt, ipſi, & omnes alii nudis Capitibus, Cruci, ſeu Imagini Principali, quæ eſt in Sacriſtia, profundam faciant reverentiam, & poſteà Celebrantem ſalutant, qui etiam eis aliquantulùm ſimplici inclinatione tecto Capite reſpondebit, & ſtatim procedunt ad Altare ſequenti Ordine, videlicèt: primò procedit Miniſter, ſeu Acolythus cum vaſe Aquæ benedictæ, & Aperſorio, nudo Capite (Thuriferarius enim in diebus Dominicis non geſtat Thuribulum, niſi poſt factam aſperſionem) ſupradictus Acolythus deferens prædictum vas aquæ benedictæ, ipſum tenet ſiniſtra per partem inferiorem, aliquantulùm elevatum uſque ad pectus, mediocriter tamen ab eo remotum, dextera verò Aſperſorium inter Pollicem & Indicem, firmans illud ſuper labrum dicti Vaſculi, ex Bauld. *part. 1. cap. 16. num. 2.* Tunc ſequuntur Ceroferarii cum Candelabris accenſis, poſteà Ceremoniarius, & denique Celebrans, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, anteriores fimbrias Pluvialis ejus levantes manu proximiori, altera infra pectus admota, unumquemque à parte ſua, & hi tres tecto Capite procedunt, Celebrans verò manus junctas tenet ante pectus; ita procedunt, quando Celebrans eſt



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pluviali indutus, aliàs procedunt, ùt *ſuprà* innuimus, obſervatis illis omnibus, quæ diximus ſuo loco de egreſſu Celebrantis à Sacriſtia, progreſſu, & acceſſu ad Altare pro Miſſa ſollemni.

Obſervandum hìc occurrit, quòd quando Celebrans cantat ſollemniter Tertiam in Choro, ùt mos eſt in nonnullis Eccleſiis; tunc ita paratus cum ſuis Miniſtris egreditur è Choro ad Altare, ad faciendam aſperſionem Aquæ Benedictæ.

VII. Rubr. n. 11. pag. 233. & Gavant. pag. 234. col. 1. lit. e *ibi ad gradus, hoc eſt in infimo ejus gradu &c.*) Cùm verò prædicti omnes ante infimum Altaris gradum pervenerint, ſtant in Plano omnes in recta linea, Celebrans ſcilicet in medio, Diaconus à dexteris ejus, Acolythus, ſeu Miniſter cum vaſe Aquæ Benedictæ à dexteris Diaconi, & primus Ceroferarius à dexteris dicti Acolythi; Subdiaconus verò à ſiniſtris Celebrantis, & ſecundus Ceroferarius à ſiniſtris Subdiaconi. Ceremoniarius autem ſtat in Plano à latere Epiſtolæ, Bauldr. *part.* 3. *cap.* 11. *art.* 4. *num.* 8. & Biſſus *lit. C. num.* 197. §. 1.

Tum Celebrans, detegens Caput, dat birretum Diacono, qui ſtatim accipit cum quaſi oſculo illius, & Ceremoniario, ſeu alteri Miniſtro, eo deficiente, tradit, & ſuum ſimiliter, ſicùt Subdiaconus etiam ſuum ex altera parte, porrigit, quæ birreta, poſt factam genuflexionem, ponuntur ſuper ſcamnum deputatum ad ſedendum, vel ſi ſcamnum, ſive ſedilia non ſint parata, quia forſitan propter reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti non eſt ſedendum, tunc birreta collocantur in alio decenti loco, nunquam verò ſuper Credentiam, & multo minùs ſuper Altare. Biſſus *ſup* §. 4.

Tum omnes debitam faciunt reverentiam Altari, proùt diximus in Miſſa ſollemni, qua facta, Ceroferarii deponunt Candelabra ſuper Credentiam, & locant ſe apud illam. Biſſus *lit. A. num.* 467. §. 2.

VIII. Gavant. pag. 234. col. 1. eadem lit. e *Genuflexus, &c.* Poſteà Celebrans, medius inter Miniſtros ſacros, genuflectit cum ipſis, etiam tempore Paſchali, ſuper infimum gradum Altaris utroque genu, Acolythus verò cum vaſe Aquæ Benedictæ genuflectit in plano à dexteris Diaconi. Biſſus *ſuprà.*

Et ita omnibus diſpoſitis, Diaconus accipit ab Acolytho Aſperſorium madefactum aqua benedicta, abſque oſculis Aſperſorii, & manus Diaconi, quæ præſtari poſſent à dicto Acolytho. Diaconus autem, accepto Aſperſorio, illud tradit Celebranti, cum oſculo Aſperſorii in ima parte Manubrii, & deinde dexteræ Celebrantis in parte exteriori. Bauldr. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 5. & Biſſus *ſup* §. 3.

IX. Rubric. num. 11. pag. 233. & Gav. pag. 234. col. 1. lit. f *Ter aſpergit Altare, &c.*) Celebrans, accepto Aſperſorio à Diacono, genuflexus manens, etiam tempore Paſchali, intonat Antiphonam, ſcilicet: *Aſperges me, &c.* extra tempus Paſchale, & tempore Paſchali: *Vidi Aquam, &c.* quam Cantores proſequuntur; & notandum, quòd dum Celebrans intonat Antiphonam, ter aſpergit Altare, primò in medio, deinde versùs Cornu Evangelii, & denique versùs Cornu Epiſtolæ, ùt optimè adnotat hìc Gavant.

X. Rubric. n. 11. pag. 233. & Gavant. pag. 234. col. 1. lit. g *Et erectus Miniſtros, &c.*) Poſtquàm Celebrans, genuflexus manens, aſperſit Altare, & deinde ſeipſum, ſignans Aſperſorio madido ſuam frontem, mox ſurgit, & aſpergit Miniſtros Sacros, & primò quidem Diaconum, & poſteà Subdiaconum, adhuc genuflexos, qui deinde pariter ſurgunt, Bauldr. *ſup. num.* 1. Biſſus *ſup* §. 3. Caſtaldus *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. & Turrinus *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 4. *de aſperſione aqua benedicta.*

XI. Rubric. num. 11. pag. 233. & Gav. pag. 234. col. 1. lit. h *Incipiunt Antiphonam, &c.*) Si ſcrupuloſè nimis attendere velimus ad litteram Rubricæ verba, facilè Intonationem Antiphonæ poſtponemus Aſperſioni, cùm Rubrica dicat; poſt aſperſum ſe, & Miniſtros ſacros, inchoandam eſſe Antiphonam; ſed ſi ſequi velimus noſtrum Gavantum, Bauldr. *part. 2. cap. 8. num. 6.* Turrin. *part. 3. ſect. 1. cap. 4. §. incipit:* & alios, præmittemus Antiphonam actioni aſperſionis, ob verbum futuri temporis *Aſperges.* Meliùs fortè hæ oppoſitæ ſententiæ conciliabuntur, ſi inhæreamus Ceremoniali Epiſc. *lib. 2. cap. 31. §. 3.* Nec præmittenda igitur, nec poſtponenda, ſed inter aſpergendum intonanda eſt prædicta Antiphona. Præter Ceremoniale Epiſc. habemus Regulam Generalem in Benedictionibus, tam Cinerum, quàm Ramorum, & Candelarum, componendi verba cum actionibus, ùt colligitur ex propriis Rubricis Miſſalis, in quibus habetur, quòd Celebrans aſpergit Cineres, Ramos, & Olivas dicendo: *Aſperges me, &c.* Hoc deprecativum verbum eſt, unde non denotat mox futuram aſperſionem, ſed Celebrans rogat mundari in Corde à Domino, dum aſpergitur in Corpore.

XII. Rubric. n. 11. pag. 233. & Gavant. pag. 234. col. 2. lit. i *Aſpergit Clerum, &c.*) Celebrans poſtquàm aſperſerit Miniſtros Sacros, tradit Aſperſorium Diacono, qui illud cum debitis oſculis recipit, & poſteà tradit Acolytho, de eo inſervienti; tum ab omnibus Miniſtris factis debitis reverentiis, juxta morem, Altari, & Cruci, procedunt ad partem illam Chori, ubi eſt dignior de Clero, pro aſperſione ejusdem (ad quam aſperſionem omnes ſtant) hoc modo: Ceremoniarius præcedit cum Acolytho, deferente vas aquæ Benedictæ, cum Aſperſorio, ita tamen, ut hic Acolythus ſit vicinior Diacono, quaſi à dextris ipſius, poſteà ſequitur Celebrans, medius inter Miniſtros Sacros, elevantes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis, ibique facta ab omnibus debita inclinatione Clero illius partis, ubi eſt dignior, Diaconus accipit Aſperſorium, illudque tradit cum debitis oſculis Celebranti, qui illo accepto manu dextera, accedit ad digniorem de Choro, quem ſtatim ſalutat cum pari inclinatione antè, & poſt, & eum ſeparatim aſpergit; poſt Superiorem Chori, ſalutat reliquos de Choro unica inclinatione, deinde eos aſpergit, vel quaſi in circulum, vel ſingillatim, pro Eccleſiarum conſuetudine; putat tamen Biſſus, quòd ſi Clerus ſit valdè numeroſus, aſpergendus ſit ab utraque parte Chori quaſi in gyrum, nimirum unica aſperſione omnes, ſi verò ſit exiguus, tunc convenire, quòd omnes ſeparatim aſpergantur.

XIII. Gavant. pag. 234. col. 2. ead lit. i *Canonici ſingillatim aſpergi poterunt, &c.*) Cum Gavanto convenit Biſſus, qui cenſet, quòd Canonici debeant ſingillatim aſpergi juxta Decretum editum die 20. *Decembris* 1601. quod in noſtro Indice non reperitur, quia S. C. Regeſta non incipiunt, niſi ab Anno 1602. ſed legitur tale Decretum apud Barboſam *de Canonicis, & Dignitatibus cap. 34. ſub num. 22.* & apud Gavant. in Manuali Epiſc. Verb. *Canonicorum munera, & præſertim in Choro, ſub num. 15. in Addition.* in quo Decreto hæc habentur -- Aquæ Benedictæ aſperſio in Dominicis fieri debet ſingillatim quibuſcumque Dignitatibus, & Canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextro cornu exiſtunt; non verò uno ictu in Circulum; in quo caſu, ſi ſingillatim Canonici aſpergerentur, hoc debet fieri cum Capitis inclinatione ante, & poſt quemcumque Canonicum aſperſum. Biſſus *lit. A. n. 465. §. 1. & 7.* & Bauldr. *ſup. n. 7.*

XIV. Rubric. n. 11. pag. 233. *Deinde Populum, &c.*) Poſt aſperſionem Cleri proſequitur Celebrans aſpergere Populum, quæ Populi aſperſio fiet ſecundùm conſuetudinem Eccleſiarum, vel procedendo per principa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lem Navem, vel in aditu Chori, ſi eſt ante Altare, vel juxta Cancellos Presbyterii aſpergendo illuc confluentes; idque videtur convenientius, præſertim ſi Celebrans ſit in aliqua Dignitate conſtitutus; Nicolaus de Bralion *ſuprà num. 9.* ex quo etiam *num.* 1. colligitur, quòd Celebrans in tota aſperſione manum ſiniſtram tenere debet ſupra pectus. Quando autem aſpergit Populum, hoc facit ter, ſeu triplici ictu, ſcilicet in medio, à dextris, & à ſiniſtris.

XV. Rubric. n. 11. pag. 233. & Gavant. pag. 234. col. 2. lit. m *Pſalmum, id eſt, totum Pſalmum, &c.*) Dum fit aſperſio Cleri, & Populi, Celebrans cum Miniſtris Sacris dicit alternatim ſubmiſſa voce totam Antiphonam *Aſperges me, &c.* vel *Vidi Aquam, &c.* & totum Pſalmum *Miſerere mei Deus.* Ita Rubr. Miſſalis, quæ tamen non præſcribit, ut dicatur totus Pſalmus *Confitemini Domino, &c.* tempore Paſchali, ſed ſi Celebrans, & Miniſtri eundem memoriter ſcirent, congruum eſſet, ut dictum quoque Pſalmum recitarent. Dum Celebrans tranſit ante medium Altaris, ſemper facit illi debitam reverentiam cum ſuis Miniſtris. Bauldry *ſuprà num.* 8. Notandum inſuper, quòd ſupradicta Antiphona *Aſperges me*, vel *Vidi Aquam*, quæ præcedit Pſalmum, dici debet integra, etiamſi Officium diei non ſit Duplex, ſcilicet eam poſt intonationem proſequendo, quod item faciunt Miniſtri, & in fine Pſalmi poſt *Gloria Patri*, repetitur Antiphona. Nicolaus de Bralion *ſup. n.* 10.

XVI. Rubr. n. 14. pag. 234. & Gavant. ibid. col. 1. lit. n *Gloria Patri omittitur, &c.*) In Dominicis Paſſionis, & Palmarum non dicitur *Gloria Patri*, ſed poſt Pſalmum *Miſerere mei Deus* repetitur Antiphona *Aſperges me, &c.* ex Rubricis Miſſalis.

XVII. Gavant. pag. 235. col 1. poſt Rub. num. 15. *Hæc eadem Ordo Romanus, &c.*) Quamvis, ùt ſuprà adnotavimus, quolibet die Dominico benedicenda ſit aqua, excipiuntur tamen à prædicta regula, ùt etiam ibi advertimus, Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, præſertim in illis Eccleſiis, in quibus adeſt Fons Baptiſmalis, quia ibi recurrentibus dictis Dominicis non benedicitur hæc aqua, ſed tam Clerus, quàm & Populus aſperguntur cum aqua pridie benedicta in Fonte, ad hunc finem reſervata, ante infuſionem Olei, & Chriſmatis, ùt claré loquitur ſupradicta Miſſalis Rubrica.

XVIII. Rubr. n. 16. pag. 235. & Gavant. ibid. col. 1. lit. p *Reverſus ad Altare, &c.*) Celebrans, terminata Populi aſperſione, & reverſus ad Altare cum debitis reverentiis, aſpergit Acolythos, Ceroferarios, & ipſum Miniſtrum de vaſe, niſi priùs cum aliis Clericis eos aſperſerit; quo facto, ſtans in plano erectus, medius inter Sacros Miniſtros, ibique reddito priùs Aſperſorio Diacono (& ab hoc Acolytho, qui illud cum vaſe aquæ benedictæ deponit ſuper Credentiam, & accipit librum; quem porrigit Diacono, facta tamen priùs Altari genuflexione antè, & poſt) ante infimum Altaris gradum, ad idem Altare converſus, junctis manibus expectat. Biſſus *ſuprà* §. 8.

XIX. Gavant. pag. ead. col. 1. n. 17. *Tenent autem Miniſtri librum, &c.*) Librum, quem ab Acolytho de vaſe accepit Diaconus, apertum hinc inde Miniſtri Sacri tenent ante Celebrantem, qui dicit in cantu ℣. *Oſtende nobis &c.* cui tempore Paſchali additur *Alleluja*, & poſtquàm Chorus reſponderit alium ℣. ſubnectit preces, & Orationem, prout in Miſſali. Cerem. Epiſc. *lib. 2. cap.* 13. §. 3. & ex eo Biſſus *ſuprà*.

XX. Gavant. eod. n. 17. *Poſt Orationem Exaudi; deponitur &c*) Profectò non convenit, quòd Celebrans ante Altare, adjuvantibus Diacono, & Subdiacono, Pluviale deponat, & Manipulum, ac Planetam pro

Miſſa

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Miſſa celebranda accipiat, ùt fit in quibuſdam Eccleſiis abuſivè. Soli enim Epiſcopi ante Altare ſacris paramentis induuntur; immò, juxta Bralion infrà citandum, ſoli pariter Epiſcopi à Diacono, & Subdiacono paratis, ſollemniter celebraturi adjuvantur, quando paramentis ſacris induuntur; ſed circa hoc non ſunt conformes omnium Eccleſiarum Cathedralium, & etiam aliarum conſuetudines. Reſumendo intermiſſum ſermonem, debet Celebrans, facta reverentia Altari, & Choro (ſi eſt ante Altare) cum Miniſtris ſe recipere versùs cornu Epiſtolæ (vel retro Altare, ſi parieti non adhæreat) ibique à Ceremoniario, & aliquo Acolytho in prædictis adjuvari, & interim Miniſtri Sacri ſuos Manipulos accipiunt. Revertuntur poſteà cum debitis reverentiis, primò Choro, deinde Altari, ante ipſum, ad incipiendam Miſſam. Nicolaus de Bralion *ſuprà num.* 15. Quòd præfatus Celebrans non debeat deponere Pluviale, & ſumere Planetam in medio ante Altare, confirmatur ex Cerem. Epiſc. infrà cit. noviſſimè à Benedicto PP. XIII. recognito, in quo habetur, quòd Celebrans in ſolito ſcamno (& non in medio Altaris) poſito in cornu Epiſtolæ, depoſito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam: Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. ſicùt etiam Biſſus *ſuprà* § 9. contra quoſdam, qui contrarium docent, & præſertim contra Turrinum *ſuprà* §. *Exſpoliatur*, qui putat, non eſſe inconveniens, quòd Celebrans deponat Pluviale, & Planetam ſumat in medio ante Altare.

Interim Ceremoniarius collocat Miſſale apertum in cornu Epiſtolæ pro Miſſa cantanda. Turrinus *ſuprà*; & Miniſter de vaſe aquæ benedictæ defert Pluviale Celebrantis in Sacriſtiam cum debitis reverentiis, &c. & repoſito Pluviali in loco ſuo, accipit Thuribulum cum Navicula, cum quibus mox ad Altare redibit, Bauldry *part.* 1. *cap.* 16. *num.* 3. *& part.* 2. *cap.* 8. *num.* 11.

XXI. Ne verò aliquid deſiderandum remaneat, pro exacta praxi Rituum, ſervandorum in prædicta aſperſione aquæ benedictæ, nonnulla lubet hìc colligere.

Et primò, quòd ſi adſit Epiſcopus, qui Miſſæ aſſiſtat, aut alii Prælati in locis ſuæ jurisdictionis, aut Cardinalis ubique terrarum, aſperſo Altari, ſolus Celebrans comitatus à Ceremoniario, & Acolytho cum vaſe aqua benedicta pleno (remanentibus Miniſtris Sacris ad Altare genuflexis) accedit ad Epiſcopum, cui facta profunda reverentia, & genuflexione à comitibus ſuis, Aſperſorium oſculatum, cum debita reverentia, & oſculo manus, porrigit; ipſe verò Epiſcopus primò ſeipſum, deinde Sacerdotem Celebrantem, poſteà Aſſiſtentes, & ſolii Miniſtros aſpergit, & ſtatim eidem Celebranti reddit Aſperſorium, qui primò manum Epiſcopi, deinde illud oſculatur, & facta eidem profunda inclinatione, & genuflexione à ſuis ſupradictis Miniſtris, cum eisdem revertitur ad Altare, factisque debitis reverentiis, aſpergit Miniſtros ſuos Sacros adhuc genuflexos, qui ſtatim ſurgunt, & poſteà cum Celebrante procedunt ad aſpergendos Canonicos, Beneficiatos, & Clericos ex utraque parte Chori, omneſque alios in Choro permanentes, & Populum, ùt ſuprà adnotavimus. Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 3. & Bauldry *ſuprà num.* 14.

Præcipitur in Ceremoniali Epiſc. ut ſolus Celebrans, hoc eſt ſine Miniſtris Sacris, procedat ad ferendum Aſperſorium cum aqua benedicta Epiſcopo, quod fit ob reverentiam Epiſcopi præſentis, ut coram eo Celebrans minori cum pompa procedat. Bauldry *ſuprà num.* 16. Quòd ſi adeſſent alii Prælati, ùt *ſuprà*, poteſt Celebrans illis aquam benedictam dare, non quidem eos aſpergendo, ſed cum convenienti reverentia, & oſculo Aſperſorii antè, & poſt, præſtando illis Aſperſorium, ex quo indice digito aquam accipient, & ſibi ipſis in fronte in modum Crucis impo-

ponent. Nicolaus de Bralion *ſuprà part.* 3. *cap.* 1. *n.* 7.

Quòd ſi prædicti Prælati innuant, ut ipſe Celebrans eos aſpergat, facta tunc antè, & poſt, profunda inclinatione, eos aſperget, quod præcipuè fit, quando ſunt plures Prælati ejusdem Ordinis, & Dignitatis, Bauldry *ſuprà n.* 15. ita etiam docet Biſſus *loc. cit. n.* 7. de Epiſcopis, & ſuis Abbatibus, nempe ſi velint aſpergi à Celebrante, tunc Celebrans debeat eis obtemperare.

Si adſit aliquis Princeps ſupremus non habens Superiorem, aut Principiſſa in loco ſuæ jurisdictionis temporalis, ante omnes alios aſperguntur à Celebrante, eo ordine, quo incenſantur. Bauldry *ſuprà n.* 17. & Biſſus *ſuprà* §. 14. Solarius verò *in PP. Minimorum Cerem. part.* 3. *cap.* 5. *n.* 7. adſtruit, quòd ſi in Presbyterio adeſſet aliquis Magnus Princeps, aſpergatur ſolus à Celebrante cum debita inclinatione antè, & poſt, antequàm in Choro proficiſcatur; immò ante ipſos Miniſtros, quod tamen ego non admitterem. Magiſtratus verò inferiores, & Domini Minores aſperguntur ab eodem Celebrante poſt Chorum, ante Populum, cum debita inclinatione.

XXII. Idem Solarius *loc. cit. num.* 8. docet, quòd quando Chorus eſt valdè diſtans ab Altari, quò commodè Celebrans non valet accedere, tunc alter Sacerdos Superpelliceo indutus adſit, qui, ſtatim ac Celebrans Miniſtros aſperſerit, aſpergillo de manu illius cum debitis oſculis deſumpto, in Chorum pergat, & cunctos, ùt ſuprà dictum eſt, aſpergat. Celebrans verò, altero aſpergillo de manu Diaconi deſumpto, aſpergat Populum ad Presbyterii aditum confluentem; & hæc omnia mox cit. Solarius deſumpſiſſe fatetur ex Alcozer *tract.* 4. *gloſſ.* 9. *poſt medium.*

Hoc idem docet Biſſus *ſuprà* §. 10. ſed magis limitatè, dicendo nimirum, quòd ſi celebraturus Miſſam eſſet Antiſtes, vel Prælatus, tunc hujusmodi aſperſionem fieri debere à ſimplici Sacerdote induto Superpelliceo, & Stola coloris convenientis, cum uno tantùm Acolytho deferente vas aquæ benedictæ, quod colligitur, ait ipſe, ex Marc. Ant. Genuenſ. in praxi Archiepiſc. *cap.* 65. *edita Romæ Anno* 1616. ubi habetur (ùt etiam tradit Gavant. *hoc tit. lit.* i.) Gregorium XIII. 30. Decembris 1573. decreviſſe, ne in Eccleſiis Hiſpaniarum Antiſtites, vel aliæ perſonæ privilegiatæ, aſpergerent Clerum, & Populum, diebus Dominicis, ſed id fieret ab alio ſimplici Sacerdote, & licèt id fuerit ſtatutum peculiariter pro Antiſtitibus Hiſpaniæ; nihilominùs benè etiam aliis ob rationis identitatem aptatur - - Hæc Biſſus, qui tamen putat, caſum rarò eventurum, & fortè nunquam, quando maximè eſt celebraturus Epiſcopus; cùm tunc hujusmodi aſperſio omittatur, juxta diſpoſitionem Cerem. Epiſc. *lib.* 2. *cap.* 31. §. 4. quaſi ſufficiat ipſius Epiſcopi benedictio, quam (loco aſperſionis) Clero, & Populo impertitur, procedens ad Altare.

## De eodem Ritu aſperſionis ſervando in minoribus Eccleſiis.

XXIII. In minoribus Eccleſiis, in quibus pauci ſunt admodùm Clerici, & fortè ſolus Parochus, atque adeò non cantatur Miſſa, ſed dicitur tantùm Miſſa Privata Parochialis loco ſollemnis, quæ tamen tenet locum Miſſæ Conventualis, debet ante prædictam Miſſam Privatam, diebus Dominicis, à Celebrante, induto Pluviali coloris tempori convenientis, vel ſaltem Stola ſuper Albam ſine Manipulo, miniſtrante vaſculum aquæ benedictæ Acolytho, vel ipſo Miniſtro Miſſæ Privatæ, fieri aſperſio Altaris, ipſiuſmet Sacerdotis, & Miniſtri, poſteà Cleri (ſi aderit) ac denique Populi intereſſentis in Eccleſia. Aſperſione completa, Sacerdos ante Altare reverſus dicet ℣. & Orationem, prout in Miſ-

Miſſali, quibus recitatis, facta Altari reverentia, retrahet ſe versùs cornu Epiſtolæ, vel redibit ad Sacriſtiam, ubi depoſito Pluviali, accipit Manipulum, & Planetam, & reverſus ad Altare cum debita reverentia, Miſſam celebrabit. Caſtaldus in Praxi Ceremoniarum *lib. 2. ſect. 2. cap. 1. n. 5.* Quarti *tit. 3. de Benedict. ſimplic. in partic. dubit. 4. in fine*, Baruffaldus *ſuprà §. 5. num. 45. & 46.* Bauldry *ſuprà num. 23.* & Corſettus *tract. 1. part. 2. cap. 14. n. 7.*

XXIV. Gavant. pag. 235. col. 1. n. 19. *Benedictio Agni ad communem Menſam, &c.)* De antiquitate hujus Benedictionis conſtat ex vetuſtiſſimo ordine Romano, ubi Ritus præſcribitur benedicendi hunc Agnum in Paſcha, ut poſt quadrageſimale jejunium (ſicùt adſtruit Durandus *in Ration. Divinor. Officior. lib. 6. cap. 86. §. 7.*) ſumatur à Fidelibus aliquod de Carnibus Agni benedicti, priusquàm aliæ Carnes guſtentur, & quidem cum gaudio, & lætitia, ob adimplementum Scripturarum, quæ jam promiſerant Agnum eſſe venturum, & ſanguine ſuo humanum genus redempturum. Qui alia ſcire deſiderant, ſpectantia ad prædicti Agni, & aliarum rerum benedictiones, adire poterunt P. Quarti, qui præclariſſimum opus edidit inſcriptum de Benedictionibus, ubi *Tit. 3. ſect. 3. præludio 1.* agit de prædicta benedictione in Paſcha. Item adire poſſunt Baruffaldum, qui toto *tit. 17.* tractat pariter de Benedictionibus.

XXV. Gavant. pag. 235. col. 2. num. 21. *Putantes hoc ſufficere vice benedictionis propriæ; quod nullatenus eſt permittendum.)* Docet tamen Diana *tract. 4. de celebr. Miſſ. reſol. 69.* quòd Paramenta bona fide adhibita ante benedictionem eorumdem, non egent ampliùs benedictione, ſed cenſentur benedicta ex uſu eorum ſacro; quod eſt probabile.

XXVI. Gavant. pag. 235. col. 2. n. 22. *Abbates, & alii Regularium Superiores, &c.)* *Gavant. Rubr. Miſſ.*

Proponit quæſtionem Gavant. utrùm Abbates, & alii Regularium Superiores, ex privilegio benedicere poſſint Indumenta Sacerdotalia Eccleſiarum non ſibi ſubditarum, & adductis S. C. Decretis editis die 24. Auguſti 1609. & die 30. Septembris 1628. reſolvit negativè, quibus Decretis addi poſſunt etiam alia Decreta, ab eadem S. R. C. poſteriùs edita, quorum primum editum die 13. Martii 1632. ita ſtatuit -- Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate Jeſu, habentes privilegium benedicendi Veſtes Sacras, & Cœmeteria, ac ſimilia, dicto privilegio uti poſſunt, niſi non in his rebus, in quibus ſacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio dumtaxat Monaſteriorum, & propriarum Eccleſiarum -- Quamvis prædictum Decretum non reperiatur in Regiſtris S. C. ſaltem ſub prædicta data diei, Menſis, & Anni, nihilominùs illud referunt Murgas *in Comment. ad Conſtit. Apoſt.* poſt Conſtitutionem quartam *§. 2. ſub n. 7.* Lezana *in Summ. Quæſt. Regul. tom. 3. verb.* Altare *ſub num. 3.* & noſter Paſqualigus *de Sacrificio novæ legis tom. 2. quæſt. 803.* Præter mox allegatum Decretum, aliud reperitur profectò authenticum, editum à S. R. C. & approbatum ab Alexandro VII. die 27. Septembris 1659. in ſuo Decreto generali, & videre eſt in noſtro Indice ſub *n. 355.* in quo declaratur & ſtatuitur, quòd -- Prælati Epiſcopis inferiores, qui Pontificalium uſu fruuntur, Eccleſiaſticam ſupellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant -- & *num. 356.* pariter declaratur, quòd -- Pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, exercere non valeant benedictiones Campanarum, Calicum, & ſimilium, in quibus ſacra unctio adhibetur, &c. Recurrentibus deinde Abbatibus Congregationis Caſſinenſis, & aſſerendo, ſe obtinuiſſe prædicta privilegia etiam pro benedicendis Paramentis alienarum Eccleſiarum, S. R. C. habita coram eodem Summo Pontifice Alexandro VII. die 20. Julii 1660.

hæc reſpondit - - Ad §. 19. quòd vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſuppellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum ; aſſerentibus Monachis, etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico Indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſupellectilem benedicere, S. C. mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtinere - - De quo Indulto aſſerit Eminentiſſ. Cardinalis de Lambertinis in fine ſuæ Inſtructionis Paſtoralis, quæ eſt ſub *num.* 20, nunquam dictum privilegium exhibitum fuiſſe; quapropter corruit ſententia, quam Paſqualigus *tom.* 2. *de Sacrific. novæ legis quæſt.* 803. & Quarti *part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* 3. tradunt, aſſerentes in ſui favorem Barboſam, Portel, Mirandam, Aſcanium Tamburinum, & alios; donec enim non conſtet de prædicto aſſerto privilegio, quod prætenditur conceſſum prædictis Abbatibus, & aliis Prælatis Regularibus, hi debent abſtinere à benedictione ſacræ ſupellectilis ſpectantis ad alienas Eccleſias.

XXVII. Gavant. pag. 235. col. 2. n. 23. *Et in praxi S. R. C. ſæpiùs requiſita fuit, &c.)* De eadem praxi, & facultate ab Epiſcopis petita, & eiſdem conceſſa, pro ſubdelegandis aliis Sacerdotibus ad prædictam benedictionem impertiendam, nonnulla tradit in notificatione, ſeu inſtructione mox allegata, idem ſapientiſſimus Cardinalis de Lambertinis.

XXVIII. Gavant. pag. 236. col. 2. n. 24. *Et hic finis totius Miſſalis, &c.)* Ita Deo favente, inhærentes præclariſſimi Gavanti veſtigiis, etiam nos finem imponimus noſtris Additionibus, & Obſervationibus ad Rubricas totius Miſſalis, & ejuſdem Gavanti doctiſſima Commentaria, nihil addendo ad hujus Authoris Appendicem, quam partem V. inſcripſit.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX DECRETORUM,

## A SUMMIS PONTIFICIBUS,

*Præſertim vero à S. R. C. ad Miſſalis Romani Rubricas clariùs explanandas, & ad Sacras Functiones rectè, & rite peragendas, emanatorum, ab Anno 1602. uſque ad Annum 1737. ordine temporis regulariter ſervato, quo ſancita fuerunt. Quæ quidem Decreta omnia, & ſingula excepta, & iterum diligenter collata ſunt cum ſuis Autographis, ſeu Originalibus, quæ extant in Regeſtis Decretorum memoratæ S. R. C. Pauca alia, quæ ab Auctoribus Rubriciſtis, & in aliquibus locorum Kalendariis ſparſim referuntur, cùm non conſtet de eorundem authenticitate, quia in præfatis Regeſtis reperiri minimè potuerunt, idcirco in hoc Catalogo non recenſentur. Ea verò, quæ in Indice edito à præclariſſimo Gavanto allegantur, in præſenti copioſiori Indice pariter adducuntur, & prænotantur hoc acteriſco *.*

1 CLerici parati ratione Paramentorum thurificandi ſunt ante Beneficiatos. S. R. C. 10. Junii 1602. *in Lauretana.* Vide n. 9. 19. 29. 53. 62. 63. 70. 73. 75. 85. 86. 87. 93. 133. 151. 158. 168. 174. 294. 312. 352. 540.

2 Monachi Congregation. Caſſinenſis non ſunt ullo modo cogendi accedere, niſi ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti juxta eorum antiquam conſuetudinem, quam eis ubique conſervandam eſſe cenſuit, & declaravit S. R. C. die 10. Junii 1602. *in Placentina.*

Refertur hoc Decretum à Margaren. in Bullario Caſſinen. tom. 1. Conſtit. 253. quæ incipit: *Pro Monachis.* Confirmavit pariter hoc Decrerum Urbanus VIII. in ſua Conſtit. 255. quæ incipit: *Nuper*, edita 1638.

3 Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, ut faciant commemorationem ipſius in ultima Collecta. S. R. C. 10. Junii 1602. *in Egitanien.*

4 Conſuetudo immemorialis, ut præter Diaconum, & Subdiaconum, Canonico celebranti aſſiſtat unus Cappellanus cum Pluviali, ſervanda eſt. S. R. C. 19. Junii 1602. *in Mantuana.* Vide n. 35.

5 Uſus ſemel introductus juxta Regulas libri Ceremonialis ſervandus eſt, & Pax cum oſculo omnibus Viris Eccleſiaſticis in Choro ſedentibus danda eſt. S. R. C. 8. Julii 1602. *in Meſſanen.* Vide n. 39.

6 Aſſiſtentia, quæ à Canonicis Diaconis debetur per viam, Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam, pro Miſſa, & Veſperis celebrandis, fiat tantùm, quando Epiſcopus pergit intra, vel extra eandem Eccleſiam cum Pluviali, & Mitra, non verò quando incedit cum Cappa. S. R. C. 3. Auguſti 1602. *in Æſina.* Vide num. 19. 21. 30. 35. 37. 48. 64. 65. 78. 88. 98. 106. 129. 146. 154. 164. 176. 180. 269. 279. 286. 295. 306. 312. 317. 327. 332. 618. 659. 663. 665. 672. 673.

7 Cappellani, ſeu alii Miniſtri Eccleſiæ, quocunque nomine appellentur, ſolitas functiones facere debent, licèt Ceremoniale ad eas exercendas eos nomine proprio non appellet. S. R. C. 3. Auguſti 1602. *in Patavina.*

8 In Regno Caſtellæ, & Legionis, ſervandum eſt Ceremoniale Epiſcoporum etiam in generalibus Proceſſionibus, ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, ſeu Clerici Seculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant; Superiores verò dictorum Regularium numerum debitum, decentem, & conſuetum Fratrum ad easdem Proceſſiones mittant. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in una Caſtiliæ, & Legionis.* Vide num. 36. 46. 54. 66. 72. 89. 156. 157. 223. 224. 225. 239. 240. 243. 45⁄4. 497. 503. 627.

9 Beneficiati parati incenſentur ante non paratos. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in Calaritana.* Vide num. 1. & alios ibi notatos.

10 Baldacchini haſtæ in Eccleſia deferendæ ſunt, ùt dicitur in libro Ceremoniali Epiſcoporum. S. R. C. 30. Auguſti 1602. *in Melphiten.* Vide Cerem. Epiſc. lib. 1. cap. 14.

11 Genufleĉtendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S. R. C. 14. Decembris 1602. *in Pacen.* Vide n. 178. 456. 457.

12 Subſtitutus Archipresbyteri non debet cantare Miſſas, quæ ad ipſum Archipresbyterum pertinent, nec locum, & honorem incenſi, & pacis ipſius Archipresbyteri prætendere. S. R. C. 14. Decembris 1602. *in Marugen. nullius.*

13 Poteſt Epiſcopus etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos. S. R. C. 25. Januarii 1603. *in Firmana.*

14 Vicarius Generalis præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, dummodò non ſint parati Sacris Paramentis, & dummodò dictus Vicarius non ſit ex numero Dignitatum, vel Canonicorum ejusdem Eccleſiæ, & velit tamquam Digr.ras, vel Canonicus in Choro aſſiſtere, diſtributiones quotidianas lucrandi gratia, quia tunc ſedere debet in ſtallo, ſeu loco ſuæ Dignitatis, vel Canonicatus. S. R. C. 12. Aprilis 1603. *in Pennen.* Vide num. 25. 36. 41. 49. 89. 102. 103. 104. 107. 108. 109. 111. 112. 115. 122. 125. 135. 139. 147. 148. 161. 170. 172. 173. 181. 183. 185. 186. 240. 261. 262. 270. 280. 287. 295. 314. 318. 320. 334. 335. 337. 429. 445. 464. 467. 480. 489. 492. 493. 496. 664. 665.

15 Ceremonialis liber, nec Laicis, nec Clericis prohibet, quominùs in Proceſſione SS. Sacramenti deferant intortitia, vel candelas accenſas. S. R. C. 12. Aprilis 1603. *in Adrianen.* Vide n. 8. & alios ibi citatos.

16 * In Dominicis, & Feſtis, poteſt celebrari Miſſa de Requiem pro Defunctis, inſepulto Cadavere. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hoc Decretum intelligitur de Miſſa Sollemni, non verò de Privatis. Vide n. 69. 315. 333. 396. 422. 430. 505. 511. 514. 524. 525. 526.

17 * Cineres diſtribuendi in Feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi, non verò in modum luti. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.*

18 * Si Proceſſio Litaniarum Majorum terminetur ad Eccleſiam Sancti Marci, cantetur ibi Miſſa de S. Marco, non verò de Rogationibus. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Hiſpalen.* Vide num. 490. 507. 530. 679.

19 Aſſiſtentes Epiſcopo, licèt minùs digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates ſunt thurificandi. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana.* Vide num. 1. & alios numeros ibi notatos, & num. 6. aliosque ibi notatos, quoad aſſiſtentiam.

20 Officium Anniverſarium, vel ſeptenarium, vel trigenarium Defunctorum poſt obitum, ſi cadat die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſollemnitate. S.R.C. 23. Maji 1603. *in Egitanien.* Vide n. 92. 143. 422. 472. 483. 485. 524. & 547.

21 Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum; ſed quilibet debet accedere ſecundùm prærogativam ſui ordinis. S. R. C. 23. Maji 1603. *in Nolana.* Vide n. 90.

22 Ubi adeſt conſuetudo, quòd Canonici, & Dignitates miniſtrent Epiſcopo Mitram, Gremiale, Thuribulum, & id genus alia, debet ſervari; ſicùt etiam ſi adſit conſuetudo, quòd Dignitas, ſeu Canonicus geſtet Baculum ante Epiſcopum, in quibusdam ſollemnitatibus. S.R.C. 5. Julii 1603. *in Lamecen.* & 14. Novembris 1676. *in Biſuntina.*

23 Non tenentur omnes Canonici aſſociare Epiſcopum ab eo Altari, in quo Miſſam planam celebravit, ad Sedem Epiſcopalem, ſi voluerit Miſſæ Conventuali aſſiſtere. S. R. C. 5. Julii 1603. *in Tipherna-ten.* Vide n. 6. 94. 672. 673.

24 Deſtinatus ad regendum Chorum, non eſt dimovendus à Choro, ut aſſiſtat Epiſcopo. S. R. C. 6. Septembris 1603. *in Monopolitana.* Vide n. 325.

25 Vicarius Generalis ſupra Dignitates, & Canonicos paratos, nullam habeat præcedentiam, ſed tantùm aliis præcedat, quando ſunt in habitu Canonicali ordinario, & ſine Paramentis. S. R. C. 6. Sept. 1603. *in Lauretana.* Vide n. 14. & num. ibi notatos.

26 Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci Feria VI. in Paraſceve, dentur Magiſtris Ceremoniarum, ſervanda eſt. S. R. C. 29. Novembris 1603. *in Beneventana.*

27 Epiſcopus non debet in Eccleſia ſalutare Canonicos, aperiendo caput, ſed benedicendo manu. S. R. C. 10. Januarii 1604. *in Elven.*

28 Dignitates, quæ habent præbendas cum onere cantandi Evangelium, ſeu Epiſtolam, non tenentur miniſtrare inferioribus. S. R. C. 10. Januarii 1604. *in Salamantina.*

29 In Eccleſia Collegiata exempta, præſente uno Canonico Cathedralis cum Epiſcopo, & Abbate Collegiatæ ejusdem cum ſuis Canonicis, priùs incenſetur Canonicus, quàm Abbas. S. R. C. 7. Februarii 1604. *in Alexandrina.* Vide n. 1. 9. & alios ibi notatos.

30 Epiſcopo ſuffraganeo tenentur Canonici aſſiſtere, quando nomine proprii Epiſcopi functiones Epiſcopales exerceat. S. R. C. 21. Februarii 1604. *in Bracaren.* Vide n. 6. & num. ibi notatos.

31 Canonicus celebrans in aliqua Eccleſia Collegiata de Urbe, præſente proprio Vicario illius Eccleſiæ, ad Miſſam Conventualem, non tenetur in fine Miſſæ ante bene-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

benedictionem reverentiam facere ipſi Vicario. S. R. C. 21. Februarii 1604. *in una Urbis.*

32 Una clavis Reliquiarum Sanctorum concedi poteſt Magiſtratui Seculari. S. R. C. 8. Maji 1604. *in Lecteren.*

33 Ubi adeſt conſuetudo, ut Cappellani miniſtrent Canonicis Cappas, vel Pluvialia, capite detecto, ſervanda eſt. S. R. C. 19. Junii 1604. *in Burgen.*

34 Epiſcopus poteſt habere feneſtram ex Domo, reſpicientem in Eccleſia. S. R. C. 19. Junii 1604. *in Elboren.*

35 Canonico ſollemniter celebranti datur aſſiſtens, ſi eſt immemorabilis conſuetudo. S. R. C. 19. Junii 1604. *in Mantuana.* Vide n. 4. 6. & alios ibi notatos.

36 Clerus Eccleſiæ Cathedralis unitus, ultimo loco incedere debet in Proceſſionibus, nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Andrien.* Vide n. 14. & ibi notatos, necnon num. 8. aliosque ibi notatos quoad Proceſſionem.

37 Non debet aſſiſtens Epiſcopo deponere illi birretum de capite, ſed ipſe ſibi detrahat. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Savonen.* Vide n. 6. & num. ibi notatos.

38 Poteſt Epiſcopus ex cauſa neceſſitatis Olea Sacra conficere cum minori numero Miniſtrorum, quàm præſcribitur in libro Pontificali. S. R. C. 21. Auguſti 1604. *in Curien. Rhetiorum.*

39 Ceremoniale Epiſcoporum non tollit immemorabiles, & laudabiles Eccleſiarum conſuetudines. S. R. C. 11. Junii 1605. *In una Hiſpaniarum.* Vide num. 5. 50. 647.

40 Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non ſunt recitandæ inter Miſſarum ſollemnia, ne Miſſæ Sacrificium interrumpatur. S. R. C. 11. Junii 1605. *In Oſcen.*

41 Canonicus, vel Dignitas, factus Epiſcopus cum retentione Canonicatus, vel Dignitatis, debet præcedere omnibus Dignitatibus, & Canonicis, etiam ipſo antiquioribus. S. R. C. 24. Septembris 1605. *in Ruthenen.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

42 Conſuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut Campanæ in ſalutatione Angelica non pulſentur ante pulſationem in Eccleſia Matrice, ſervanda eſt. S. R. C. 24. Sept. 1605. *in Giennen.*

43 Magiſter Ceremoniarum, non autem Sacriſta, debet vocare Vicarium, ut hora debita, ſi voluerit, ad Eccleſiam accedat. S. R. C. 26. Novembris 1605. *in Urbinaten.*

44 * Canonici debent aſpergi ſingillatim Aqua benedicta in Dominicis. S. R. C. 23. Decembris 1605.

Hoc Decretum allatum à Gavanto in ſuo Indice, non reperitur in Regeſto S. R. C. ſed quod præſcribit, conſonat diſpoſitionibus, quæ habentur in Cerem. Epiſc. unde ſervari debet.

45 Abbas ſemel benedictus cum uſu birreti, ſi transferatur ad aliam Abbatiam cum uſu Mitræ, non indiget alia benedictione, ſed poteſt per ſe ipſum Mitram capere. S. R. C. 25. Februarii 1606. *in Biſuntina.*

46 Cappellanus Confraternitatis non poteſt ſuo arbitrio, ſine expreſſa licentia Epiſcopali, Proceſſiones facere. S, R, C. 4. Martii 1606. *in Mileten. Galatri.* Vide n. 8. & n. ibi notatos.

47 Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper Altari, ſed in quibusdam tantùm ſollemnitatibus. S. R. C. 4. Martii 1606. *in Placentina Provinciæ Caſtellanæ.*

48 Aſſiſtentia duarum Dignitatum, vel duorum Canonicorum, Epiſcopo loci Ordinario

nario tantummodò convenit. S. R. C. 9. Maji 1606. *in Cæſarauguſtan*. Vide n. 6. & alios ibi notatos.

49 Poſita præbendarum diſtinctione in Presbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, qui de novo obtinuerit Presbyteralem, præcedere debet habentes Diaconales. S. R. C. 17. Junii 1606. *in Tropien.* Vide n. 14. & ibi notatos.

50 Decretum de die 11. Junii 1605. quòd Ceremonialis liber non tollat laudabiles & immemorabiles conſuetudines, habet locum in omnibus Regnis, & locis Chriſtianitatis. S. R. C. 17. Junii 1606. *in Elboren.* Vide num. 39. & alios ibi notatos.

51 Baculi, & Mitræ uſus ſunt correlativa, & cui unum conceditur, alterum etiam concedendum videtur. S. R. C. 7. Octob. 1606. *in Argentina*, & 8. Januarii 1605. *in Treviren.*

52 Vicario non licet dare benedictionem Diacono, antequàm cantet Evangelium, neque benedicere Prædicatori, antequàm Pulpitum aſcendat. S. R. C. 17. Martii 1607. *in Pacen.*

53 Archidiaconus, ſi ſuſtinet baculum Epiſcopi, thurificandus eſt immediatè poſt Presbyterum, & Diaconos Aſſiſtentes. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Bracharen.* Vide n. 1. & ibi notatos.

54 Primicerius licèt dubitetur, an ſit Dignitas, debet in Proceſſionibus capere Pluviale ſicùt Dignitates, & non planetam ſicùt Canonicus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Capuana* Vide n. 8. & alios ibi notatos.

55 Benedictio, diſtributio Candelarum, & Palmarum, regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis, tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Secularibus, quàm Regularibus. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Oſtien.* Vide n. 565.

56 Epiſcopus concionaturus in aliena Diœceſi coram Ordinario, etiam Cardinali, non debet petere benedictionem, ob ſupremam Epiſcopalem Dignitatem. S. R. C. 28. Aprilis 1607. *in Neapolitana.*

57 * *Gloria in Excelſis* cum *Credo* omittitur in votivis pro re gravi, quando dicuntur cum Paramentis violaceis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.*

58 * Res gravis pro licita votivæ ſollemnis decantatione, ea eſt, pro qua convenit Clerus cum Epiſcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis generalibus, ſeu Provincialibus, cùm cantatur Miſſa pro re eorundem judicio gravi. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide n. 462. 606. 401. 431.

59 Genuflectendum non eſt ad Orationes in Miſſa ſollemni, in qua dicitur *Gloria*, & *Credo*. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.*

60 Septimum Candelabrum Epiſcopo celebranti adhibeatur in Miſſis tantùm ſollemnibus, non verò in Veſperis, neque etiam in Miſſis Defunctorum. S. R. C. 19. Maji *in Placentina.*

61 Canonicus primus Presbyter debet Epiſcopo Aſperſorium miniſtrare, ſi præbendæ ſint diſtinctæ; Si verò non ſint diſtinctæ, Prima Dignitas, vel primus Canonicus in ordine id facere debet. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide num. 84. 121. 241. 160. 263. 292. 309. 425. 574.

62 Canonici omnes ex utraque parte Chori thurificandi ſunt ante Manſionarios, non obſtante conſuetudine in contrarium. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide n. 1. & ibi notatos.

63 Aſſiſtens Presbyter debet Epiſcopum thurificare ad Sedem, quicumque ille ſit; non verò Diaconus Evangelii. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide num. 1. & ibi notatos.

64 Canonici duo Diaconi aſſiſtentes, & non Presbyter aſſiſtens, debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Epiſcopus pre-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

progreditur, & thurificat Altare. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide n. 6. & numeros ibi notatos.

65 Debetur aſſiſtentia Epiſcopo, quando facit Ordinationes in Miſſa ſollemni, ſi verò ipſas in Miſſa privata, vel alias functiones Epiſcopales in Pontificalibus facit, ſaltem duo Canonici aſſiſtant præter Archidiaconum, qui vocare debet Ordinandos. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide n. 6. & n. ibi citatos.

66 Canonici Eccleſiæ Collegiatæ non debent in Proceſſionibus incedere parati, ſicùt Canonici Cathedralis. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Vide n. 8. & alios ibi notat.

67 *Gloria in Excelſis Deo*, dicitur in Miſſis votivis B. M. V. tam in Sabbatis Feriarum, quàm in Sabbatis Adventus; licèt ipſa die Officium non fiat de B. V. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.* Et 27. Julii 1609. *in una Urbis.*

68 * Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſollemnes, in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die, cantato Evangelio, extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis ſollemnitatibus, & diebus ſollemniter celebratis, non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quòd durante tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maji 1607. *in Placentina.*

69 Defunctorum Miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſollemnibus. S. R. C. 23. Junii 1607. *in Veronen.* Vide num. 16. 20. 71. 396. 422. 430. 524. 525. 526.

70 Presbyter aſſiſtens, licèt non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt, ante Archidiaconum à dexteris Epiſcopi aſſiſtentem, quamvis idem Archidiaconus ſit prima Dignitas. S. R. C. 23. Junii 1607. *in Vercellen.* Vide n. 1. & ibi notatos.

71 * Tolerari poſſunt Miſſæ votivæ cantatæ B. M. V. in Sabbato, vel pariter cantatæ Defunctorum in Feſto Duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodò non omittatur Miſſa Conventualis: S. R. C. 1. Septembris 1607. in Indice Gavant. ſed ùt jacet 20. Junii 1626. *in Nucerina in Umbria.*

Hoc Decretum intelligitur de Miſſis cantatis in die Anniverſario, vel tertio, ſeptimo, & trigeſimo, relictis ex diſpoſitione Teſtatorum. Vide omnes n. ſuprà datos ſub num. 69.

72 Clerici Seminarii debent in Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Secularem, & relinquere locum digniorem Curatis. S. R. C. 1. Septembris 1607. *in Capuana.* Vide num. 8. & num. ibi notatos.

73 Conſuetudo immemorabilis, quòd eodem tempore thurificentur Canonici, & Magiſtratus, ſervanda eſt. S. R. C. 1. Septembris 1607. *in Fanen.* Vide num. 1. & ibi notatos.

74 * In privatis Oratoriis, & privilegiatis, non poteſt celebrari Miſſa in Feſtis ſollemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cœna Domini, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſcenſione D. N. J. C. Aſſumptione B. V. M. Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. S. R. C. 17. Novembris 1607. *in Calaguritana.*

75 Gubernator Civitatis, etiam ſi ſit uxoratus, thurificandus eſt immediatè poſt Canonicos; abſente verò Epiſcopo, immediatè poſt Vicarium Generalem. S. R. C. 9. Maji 1606. & 17. Nov. 1607. *in Faventina.* Vide n. 1. & ibi notatos.

76 * In Eccleſiis Confraternitatum licitum eſt Confratribus, & reſpectivè Cappellanis, facere ſolitas Proceſſiones, non tamen eo tempore, quo fiunt in Parochiali, viſitare in Proceſſione alias Eccleſias tempore Quadrageſimæ, & Adventus, de licentia Epiſcopi audire in iis Eccleſiis Concionem, benedicere Palmas, ignem, & aquam in Sabbato Sancto; ante Matricem tamen non ſunt pulſandæ à Confratriis Campanæ in eodem Sabbato Sancto. S. R. C. 9. Februarii 1608. *in. Mileten. Galatri.* Vide num 565. 568.

77 Simplex reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii non conſecrati, poteſt committi Presbytero in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto. S. R. C. 9. Februarii 1608. *in Cameracen.*

78 Archidiaconus dum aſſiſtit Epiſcopo ſollemniter celebranti, tam in Eccleſia Cathedrali, quàm in alia, intelligitur in Choro præſens. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

79 Quamvis Præbendæ non ſint diſtinctæ, convenit tamen, ut fiat diſtinctio Pluvialium, Planetarum, & Dalmaticarum in Feſtis ſollemnioribus. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

80 Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die octava. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

81 Diaconus, & Subdiaconus, accipiunt pacem ab Epiſcopo celebrante ſtatim poſt Diaconos aſſiſtentes, ſi in Miſſa Communionem non recipiunt. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

82 Uſus Miſſalis, & Breviarii Romani ſemel introductus in aliqua Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale, & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis, & Breviarii. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Tullen.*

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

83 Canonici digniores debent ſedere in ſedibus, quæ ſunt viciniores ſedi Epiſcopali. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

84 Aſperſorium Aquæ benedictæ porrigendum eſt Epiſcopo à Priore Eccleſiæ Collegiatæ, dum eò accedit Epiſcopus; non autem à prima Dignitate, vel primo Canonico Eccleſiæ Cathedralis. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Camerinen.* Vide n. 61. & n. ibi notatos.

85 In thurificatione attendatur conſuetudo inter Vicarium, & Canonicos, & alios, niſi Canonici ſint parati. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.*

Hoc intelligitur etiam in accipiendis Candelis, Cineribus, & Palmis. V. n. 1. & ibi not. quoad Thurif.

86 Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excuſatur ſub prætextu contrariæ conſuetudinis. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.* Vide num. 1. & ibi notatos.

87 Non approbatur uſus duorum Thuribulorum in incenſatione perſonarum. S. R. C. 15. Martii 1608. *in Alexandrina.* Vide num. 1. & ibi notatos.

88 Duorum Canonicorum aſſiſtentia ſemper convenit Epiſcopo, ſive celebret ipſe, ſive aſſiſtat Divinis. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Granaten.* Vide n. 6. & num. ibi notatos.

89 Confraternitati SS. Sacramenti, ſi ſumptus ceræ facit, indulgetur, ut in Proceſſione ejusdem SS. Sacramenti, aliqui ex Confratribus Saccis induti cum Funalibus accenſis incedant hinc inde, ante, & apud idem SS. Sacramentum; dummodò major pars Confraternitatis, cum ſua Cruce, & Inſignibus incedat antè, in loco ſuo, juxta Bullam Gregor. XIII. S. R. C. 10. Maji 1608. *in Nepeſina.*

Idem ſancitum eſt 19. Junii 1655. *in Mediolanen.* ùt videre eſt n. 314. & 12. Julii 1628. *in Lauden.* necnon 20. Sept. 1687. *in Vercellen.* in quibus poſtremis con-

ceditur talis præcedentia, dummodò dicta Societas SS. Sacramenti accedat ad alias Proceſſiones juxta ordinem antianitatis; quòd ſi quavis ratione, aut prætextu recuſaverit ad alias Proceſſiones accedere, etiam proprio die Feſto ſollemnitatis, & in Proceſſionibus SS. Sacramenti, nullo modo præcedere debeat.

90 Prima Dignitas det Candelam Epiſcopo in Feſto Purificationis B. M. V. & Epiſcopus det ſtatim primæ Dignitati ante Vicarium Generalem. S. R. C. 14. Junii 1608. & 28. Maji 1616. Vide n. 421.

Hæc Decreta referuntur à Gavanto in Manuali Epiſcoporum, v. Canonicorum munera erga Epiſcopum ſub n. 42. & 45. in Additionibus.

Prædicta Reſolutio eſt conformis diſpoſitioni, quæ habetur *in lib. 2. Ceremonialis Epiſcoporum capit.* 16. *n.* 8. ubi præſcribitur, quòd Dignior Canonicus paratus, nempe Pluviali indutus, accipit de manu Sacriſtæ, ſive Camerarii, Candelam pulchrè ornatam, & cum debita reverentia illam oſculatam, dat in manu Epiſcopi, quam pariter oſculatur, & ibidem n. 9. ſubnectitur, quòd Dignior ille Canonicus, nempe prima Dignitas, accipit ab eodem Epiſcopo Candelam, oſculando illam, & manum Epiſcopi.

Notandum hìc eſt, præſcribi quidem in dicto Ceremoniali, quòd ille Canonicus, antequàm porrigat Candelam Epiſcopo, & poſt receptam Candelam ab eodem, oſculatur manum ejus, non verò, quòd recipiat Candelam genuflexus. Vide n. 21. & 590.

91 * Omnes de Clero, etiam Canonici, Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 27. Sept. 1608. *in Civitaten.* Vide n. 455. 501. 632.

92 * Anniverſaria, & aliæ Miſſæ pro Defunctis, certo die dicendæ, eo impedito poſſunt transferri in diem ſequentem. S. R. C. 27. Sept. 1608. Vide n. 20. & ibi notatos.

93 Baro Dominus loci, in Eccleſia Parochiali non Collegiata, ubi non ſunt Canonici, thurificandus eſt poſt Celebrantem, Miniſtros paratos, & Archipresbyterum, duplici ductu ab eodem Miniſtro, qui thurificat, & ante omnes alios Presbyteros. S. R. C. 27. Sept. 1608. *in Biſinianen.* Vide n. 1. & ibi notatos.

94 Dignitates tenentur aſſociare Epiſcopum cum Canonicis, ex debito, licèt Ceremoniale Epiſcoporum nominet tantùm Canonicos. S. R. C. 10. Januarii 1609. *in Jacen.* Vide n. 23. & alios ibi notatos.

95 In Feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare cantiones vulgari ſermone. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Abulen.*

96 Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non verò ad Canonicum hebdomadarium pertinent. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Piſauren.* Vide n. 90. 116. 209. 257.

97 * Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanæ majores, antequàm ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia. S. R. C. 21. Martii 1609. *in Marſicen.* 14. Novembris 1615. *in Venuſina.* 3. Junii 1617. *in Syracuſana.*

98 Canonicus Epiſcopo aſſiſtens, ſuperveniente digniore Canonico, debet illi cedere locum aſſiſtentiæ. S. R. C. 20. Junii 1609. *in Ferrarien.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

99 Poteſt Epiſcopus compellere Regulares etiam per Cenſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. S. R. C. 27. Julii 1609. *in Ferrarien.*

100 * Abbates, & alii Prælati Regulares, non poſſunt benedicere Paramenta Eccleſiarum, non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Auguſti 1609. *in Cremonen.* Vide n. 355.

101 Abbas licèt habeat uſum Mitræ, & Baculi, & ſollemniter benedicere Populo poſſit, privatam tamen benedictionem more Epiſcoporum per vias minimè dare

poteſt

poteſt. S. R. C. 24. Auguſti 1609. *in Provincia Burgen.* Vide n. 350.

102 Curatus ratione Stolæ debet præcedere aliis Presbyteris, etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. S. R. C. 24. Octobris 1609. *in Saſſo Ferrato Nucerinæ Diœceſis.* Vide n. 14. & ibi notatos.

103 Presbyteri, & Clerici Cathedralis, omnes faciunt unum corpus cum Canonicis, & ſub una Cruce debent incedere. S. R. C. 28. Novembris 1609. *in Maceraten.* Vide n. 14. & ibi notatos.

104 Reliquiam deferre in Proceſſionibus, pertinet ad Superiorem Conventus, unde Reliquia aſſumitur, qui cum Miniſtris paratis ultimo loco incedere debet; ſed Regulares debent in dictis Proceſſionibus cedere digniorem locum Clero Seculari. S. R. C. 23. Januarii 1610. *in una Senogallien. Montis Bodii*, & 24. Septembris 1605. 19. Aprilis 1608. Vide n. 14. & ibi notatos.

105 * Clavis Hoſtiæ repoſitæ in Feria V. Cœnæ Domini, non debet dari Laico, quantumvis Nobili. S. R. C. 30. Januarii 1610 *in Pacen.*

106 Archidiaconus non poteſt aſſiſtere Epiſcopo in habitu Prælatitio, non Chorali, licèt ſit Protonotarius. S. R. C. 6. Martii 1610. *in Aſculana in Apulia.* Vide n. 6. & num. ibi notatos.

107 Canonici parati aſſiſtentes Epiſcopo præcedant Vicario Generali, & ſunt ante ipſum thurificandi. S. R. C. 6. Martii 1610. *in Tiburtina.* & 3. Auguſti 1602. *in Egitanien.* Vide n. 14. & ibi notatos.

108 Canonicus, vel Presbyter paratus officium faciens, debet habere locum etiam à Decano. S. R. C. 26. Junii 1610. *in Arboren.* Vide n. 14. & ibi notatos.

109 Archipresbyter, licèt ſit prima Dignitas, in Choro tamen cedere debet primum, & digniorem locum Canonico celebranti. S. R. C. 26. Junii 1610. *in Arboren.* Vide n. 14. & ibi notatos.

110 Decretum in viſitatione factum contra regulas libri Ceremonialis, non eſt ſervandum. 7. Auguſti 1610. *in Vercellen.*

111 Vicario Generali in Choro præſente, & Epiſcopo abſente, ſi primum ſtallum ei detur in dextera Altaris, ſedebit in parte ſiniſtra prima Dignitas; ſecunda verò poſt Vicarium. S. R. C. 7. Auguſti, & 25. Septembris 1610. *in Andrien.* Vide n. 14. & ibi notatos.

112 Nullo modo convenit, ut Magiſter Cappellæ incedat in Proceſſionibus cum Beneficiatis; ſed quacunque conſuetudine, vel uſu non obſtante, debet incedere cum ſuis Cantoribus immediatè poſt Crucem, ante ipſos Beneficiatos, vel in loco ubi ab Epiſcopo ordinatum fuerit. S. R. C. 20. Novemb. 1610. & 15. Januarii 1611. *in Urbevetana.* Vide n. 14. & ibi notatos.

113 Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, celebrantes ſollemniter, poſſunt, & debent ſedere in banco, dum cantatur *Gloria, Credo, &c.* etiamſi ſint Beneficiati, vel Cappellani, proùt ſedent Canonici, non obſtante qualibet conſuetudine. S. R. C. 15. Januarii 1611. *in Peruſina.* Vide n. 142. 248.

114 Cantor, ſi eſt Dignitas in Cathedrali, debet ſuum munus obire, vel per ſe ipſum, vel per Vice-Cantorem, ante aſſumendum ab Epiſcopo approbandum, qui non ſit de iis, qui alioquin Choro ſunt obligati. S. R. C. 19. Martii 1611. *in Lucerina.*

115 Inter Canonicos Presbyteros nulla datur præcedentia, nec præeminentia ratione Doctoratus, ſed tantùm ratione Ordinis, & antiquitatis. S. R. C. 19. Martii 1611. *in una Terra Coniglionis Diœceſis Montis Regalis in Sicilia.* Vide n. 14 & ibi notatos.

116 Miſſarum ſollemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones

Aaaaa 2 ſimi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet, juxta formam libri Ceremonialis Epiſcoporum, abſente, vel impedito Epiſcopo, ad primam Dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſivè pertinet. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Civitaten. ſeu Sancti Severi.*

117 * Canonici tenentur ad cantandam Miſſam Conventualem de Officio currenti, ut lucrentur diſtributiones, nec ad ſatisfactionem ſufficit Miſſa in Aurora. S. R. C. 25. Junii 1611. *in Urbinaten.* Vide n. 119. 120. 127.

118 * Domino Loci, & Commendatario Religionis Hieroſolymitanæ, & multò minùs ejus Procuratori, non defertur liber oſculandus in Miſſa. S. R. C. 17. Septembris 1611. *in una Nullius Marrubii.*

119 Tenentur omnino Canonici ad cantandam Miſſam de die, ut lucrentur diſtributiones. S. R. C. 28. Januarii 1612. *in Oſcen.* Vide num. 117.

120 Miſſa Conventualis de Feſto, ſeu de Feria currenti, omnino cantanda eſt, non obſtante quacunque contraria conſuetudine. S. R. C. 28. Januarii 1612. *in Oſcen.*

121 Aſperſorium cum aqua benedicta, Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam, ſemper debet miniſtrari à prima Dignitate, vel digniore Canonico. S. R. C. 12. Martii 1612. *in Sarzanen.* & 16. Julii 1605. *in Salamantina.* Vide n. 61. & alios ibi citatos.

122 Collegiatæ inſignis ab ejus erectione, præcedit aliis Collegiatis antiquioribus. S. R. C. 24. Martii 1612. *in Firmana.* Vide n. 14. & num. ibi notatos.

123 Ante Dignitates non debet poni Pulvinar cum tapete, ſed debent ſedere in ſuis ſtallis, prout ſedent alii Canonici, tamen ratione dignitatis poteſt indulgeri Pulvinar de corio tantùm. S. R. C. 24. Martii 1612. *in Tudertina.*

124 Ceremoniæ novæ, non inducendæ, nec antiquæ immutandæ, abſque expreſſa licentia, quam dare debet S. R. C. 12. Maji 1612. *in una Urbis.*

125 Rectores Eccleſiarum Parochialium in Proceſſionibus non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, ſed ſeparatim cum ſuo Clero, & ante Clerum Cathedralis. S. R. C. 12. Maji 1612. *in Maturan.* Vide n. 14. & ibi notatos.

126 Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus, qui obtinuit præbendam Presbyteralem, non debet ampliùs uti Dalmatica, vel Tunicella, ùt Canonici Diaconi, quando paratur, ſed Planeta, ùt Presbyteri. S. R. C. 12. Maji 1612. *in Jannen.*

127 Miſſa Conventualis pertinet ad Cantorem, & Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ, non autem ad Vicarium, quando ipſe habet tantùm curam Animarum Parochianorum. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Ulyſſiponen.* Vide n. 120.

128 * Epiſcopus tantùm, & non alius, dum privatè celebrat, poteſt accipere Paramenta de ipſo Altari, & duos habere Miniſtros Superpelliceis indutos, præter alium Miniſtrum Clericum, ſive Laicum, communi veſte indutum. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Cremonen.*

129 Canonici tenentur aſſiſtere Epiſcopo, etiam quando ordinationem celebrat extra propriam Eccleſiam, dummodò numerus ſufficiens Canonicorum, & Miniſtrorum in Eccleſia remaneat. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Elboren.* Vide n. 6. & num. ibi citatos.

130 Conſuetudo immemorabilis, quod Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria VI. Paraſceves decantetur à Canonicis, debet ſervari, non obſtante Ceremoniali, in quo diſponitur eam à Cantoribus decantandam eſſe. S. R. C. 7. Julii 1612. *in Viterbien.*

131 Epiſcopus non poteſt ſignum, quod habere debent Canonici Cathedralis ad diſtinctionem, concedere aliis, vel immutare,

tare,

tare, inconſulta Sede Apoſtolica. S. R. C. 1. Septembris 1612. *in Hydruntina.*

132 Altare portatile ligneum cum ara lapidea, permitti debet, non obſtante conſtitutione Synodali, dummodò habeat ſolitum Reliquiarum repoſitorium, juxta reformationem Rubricarum Miſſalis Romani cap. 20. S.R.C. 10. Novembris 1612. *in Cajetana.*

133 Canonici Eccleſiæ Collegiatæ thurificari debent duplici ductu Thuribuli, Clerici verò Parochialium Eccleſiarum unico tantùm ductu, niſi ſpecialis adſit conſuetudo. S. R. C. 19. Januarii 1613. *in Cæſarauguſtana.* Vide n. 1. & ibi notatos.

134 Abbates quando ſunt plures in eodem loco, & habent Clerum diſtinctum, debent in Proceſſionibus incedere, unusquiſque cum ſuo Clero, & in ſuo loco. S. R. C. 19. Januarii 1613. *in Nucerina Gualdi.* Vide n. 14. & ibi notatos.

135 Protonotarii de numero Participantium præcedunt Vicarios, & Canonicos, tam in Eccleſiis Patriarchalibus Urbis, quàm in aliis quibuſcumque, etiam Cathedralibus extra Urbem, & ſolis Epiſcopis cedunt locum. S. R. C. 4. Maji 1613. *in una Urbis.* Vide n. 14. & ibi notatos.

136 Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Epiſcopi genuflectere, ſed tantùm caput inclinare; nec debent genuflectere, quando Epiſcopum celebrantem thurificant. S. R. C. 4. Maji 1613. *in Oſcen.* Vide n. 269.

137 Archiepiſcopus poteſt ante ſe Crucem deferri facere per Monaſteria, & per loca etiam exempta ſuæ Diœceſis. S. R. C. 13. Julii 1613. *in Theatina.*

138 Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini; nec in Feſto Corporis Chriſti, extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam. S. R. C. 11. Decembris 1613. *in Aretina.*

139 Abbates non ſunt aſſociandi à ſua Domo, nec excipiendi, cùm ad Pontificaliter celebrandum accedunt. S. R. C. 11. Decembris 1613. *in una Hiſpaniarum.*

140 Vicarius Apoſtolicus non poteſt functiones Epiſcopales facere. S. R. C. 15. Februarii 1614. *in Brunduſina.*

141 Si incepta conſecratione Eccleſiæ, correptus morbo Epiſcopus deficiat, & præſertim antequàm ungantur Cruces, reaſſumenda eſt conſecratio. S. R. C. 12. Aprilis 1614. *in Ulyſſiponen.*

142 Canonici Miſſam celebrantes coram Epiſcopo, non debent ſedere in ſede cum poſtergali, ſed in aliquo ſcamno oblongo, tapete, vel panno cooperto, in latere Epiſtolæ. S. R. C. 9. Maji 1614. *in Turritana.*

143 Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem, quæ certo die dici debent, eo impedito transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit S. R. C. 19. Maji 1614. *in Turritana.*

Hoc Decretum affertur à Gavanto part. 1. tit. 5. lit. y. ubi allegat etiam aliud ſimile datum à nobis ſub n. 20. Vide alios num ibi notatos.

144 Miſſæ Votivæ jam acceptæ, quæ non poſſunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de Feſto occurrenti cum applicatione Sacrificii. S. R. C. 19. Maji 1614. *in Turritana.* Vide n. 463.

145 * Diaconus non debet pacem dare Laicis, neque Domino Loci, ſed ipſa ſpectat ad alium Miniſtrum Cotta indutum, & cum inſtrumento, non verò cum oſculo. S. R. C. 5. Julii 1614. *in Calaguritana.*

146 Diacono Miſſam celebranti in diebus ſollemnibus, debent duo Canonici aſſiſtere, & miniſtrare pro Diacono, & Subdiacono, ſi Manſionarii, quibus Animarum cura incumbit, in ipſius exercitio eo tempore ſint impediti. S. R. C. 14. Februarii 1615. *in Cœneten. Opitergii.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

147 Portionarii, & alii Beneficiati, ſi in omnibus ſint æquales Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum, & æqualiter incedunt in Proceſſionibus, & ſedent in æqualibus ſcamnis, thurificandi ſunt duplici ductu, ſicùt Canonici, non obſtante Ceremoniali libro, qui intelligitur, quando non adſunt Presbyteri, qui non ſint omnino Canonicis æquales. S. R. C. 21. Martii 1615. *in Cæſarauguſtana de Daroca.* Vide n. 14. & n. ibi notatos.

148 Canonici Cathedralis Eccleſiæ, abſente Epiſcopo, vel Sede Epiſcopali vacante, in omnibus, & per omnia præferri debent Magiſtratibus Secularibus, qui non ſunt de perpetuis, & majoribus: & Concionatores debent priùs Canonicos, quàm Magiſtratus ſalutare. S. R. C. 3. Octobris 1615. *in Tyraſonen.* Vide n. 14. & n. ibi notatos.

149 * Non debent Regulares in Canone nominare Superiores ſuos, ùt Antiſtites. S. R. C. 14. Novembris 1615.

Hoc Decretum affertur à Gavanto in ſuo Indice; ſed in Regeſt. Sac. Congregationis non reperitur, ſaltem ſub antedictis die, menſe, & anno. Vide n. 641.

150 Fratres Prædicatores nequeunt in ſuis Proceſſionibus SS. Sacramenti Dominica infra Octavam Corporis Chriſti mutare viam ſemel à principio electam. S. R. C. 14. Novembris 1615. *in Piſauren.*

151 Abſente Epiſcopo thurificandus eſt Celebrans triplici ductu Thuribuli. S. R. C. 30. Januarii 1616. *in Comen. Valluviæ.* Vide n. 1. & ibi notatos.

152 Priores Confraternitatis SS. Sacramenti, non ante Baldacchinum poſt Capitulum, ſed à latere Baldacchini in Proceſſione SS. Sacramenti debent incedere. S. R. C. 30. Januarii 1616. *in Nicien.* Vide num. 89.

153 Presbyteri alicujus Eccleſiæ intra limites propriæ Parochiæ, non poſſunt propriam Crucem erigere; ſed debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licèt Parochia ſit Regularium. S. R. C. 12. Martii 1616. *in una Urbis.*

154 Archidiaconus, ſi eſt prima Dignitas, debet facere officium Presbyteri aſſiſtentis, dummodò ſit Sacerdos; & recuſans, cogendus eſt pœnis, & cenſuris. S. R. C. 28. Maji 1616. *in Brixien.* Vide n. 6. & num. ibi citatos.

155 Cineres Epiſcopo miniſtrare Feria IV. Cinerum, non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum ea die Celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. *in Brixien.* Vide n. 90.

156 Delatio SS. Sacramenti in ejus die Feſto, abſente Epiſcopo, ſpectat ad Dignitates, ſeu Canonicos Cathedralis; atque ab eadem Cathedrali Proceſſio debet inchoare, & ibi finire. S. R. C. 19. Auguſti 1616. *in una Tuſcanellæ.* Vide num. 243.

157 * Regulares deferre debent Crucem in Proceſſionibus cum Velo pendente, ſeu Pallio. S. R. C. 14. Januarii 1617. *in Neapolitana.*

158 Vicario Generali ſedenti in Choro, ſicèt ſupra Canonicos, abſente Epiſcopo, thurificatio duplici, non autem triplici ductu debetur; ſi tamen non ſit Prælatus. S. R. C. 14 Januarii 1617. *in Nepeſina.* Vide n. 1. & alios ibi notatos.

159 Præſente Epiſcopo Diœceſiano, ſedebit Abbas in loco ſuæ Juriſdictionis, vel apud Epiſcopum, in Sede Camerali, abſque ornatu, & ſuo gradu, vel in conſpectu Epiſcopi ex alia parte, in loco inferiori, cum uno parvo gradu, non excedente dimidium palmi. S. R. C. 18. Martii 1617. *in Aquilana.* Vide n. 29. 352.

160 Magiſter Ceremoniarum, etiam ſi ſit Cappellanus, quando officium exercet, & veſtibus illius officii indutus eſt, ſedere debet apud Celebrantem, vel ejus Aſſiſtentes Pluvialibus indutos; quando verò non eſt in Miniſterio, ſedere debet in Choro inter Præbendatos, & Presbyteros, vel Cleri-

cos

eos ſui Ordinis, ſervato ordine ſuæ receptionis. S. R. C. 30. Maji 1617. & 30. Aprilis 1701. *in Viterbien.* & 30. Auguſti 1602. & 28. Novembr. 1609. Vide n. 14. & ibi notatos.

161 Ceremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem, & ejus aſſiſtentes, & ubique diſcurrit, quando opus eſt pro ordinanda Proceſſione. S. R. C. 8. Maji 1617. *in Patavina.* & anteà 30. Auguſti 1602. & 28. Novemb. 1609. Vide n. 14. & ibi notatos.

162 Ubi Habitus Dignitatum eſt diſtinctus, & diverſus ab habitu Canonicorum, quamvis Canonici ſint impares numero, non ſunt conjungendæ Dignitates cum Canonicis in Proceſſionibus, ſed tres ultimi digniores, tam ex illis, quàm ex iſtis, incedunt ſimul in eadem riga. S. R. C. 3. Junii 1617. *in Malavitana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

163 * Officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur Inſignis Reliquia. S. R. C. 3. Junii 1617. *in una Urbis Theatinorum.* Vide n. 12. 30. 264. 482. 498. 585.

164 Ad Dignitates, & Canonicos Cathedralis, ſi adſint, ſpectat aſſiſtere Epiſcopo ſollemniter celebranti, etiam in Collegiata Eccleſia, vel Parochiali, non autem ad Canonicos Collegiatæ, vel Presbyteros Parochialium. S. R. C. 15. Julii 1617. *in Brunduſina.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

165 Subſtitutus Archipresbyteri non poteſt Miſſas, & Divina Officia celebrare, quæ ad ipſum, ſi adeſſet, pertinerent; ſed ſpectant ad Canonicum ſucceſſivè. S. R. C. 22. Januarii 1618. *in una Civitatis Caſtellanæ.*

166 Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ ſemper præcedere debent Regularibus, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. S. R. C. 31. Martii 1618. *in Firmana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

167 * In Feſto SS. Corporis Chriſti Euchariſtia non eſt deferenda in Proceſſionibus Sacerdotum humeris, ſed celebrantis manibus, non obſtante quacunque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit S. R. C. 2. Junii 1618. *in Syracuſana.*

168 In Perſonarum incenſatione, tota thurificatio facienda eſt cum unico Thuribulo. S. R. C. 21. Julii 1618. *in Lucerina.* Vide n. 1. & alios ibi notatos.

169 Epiſcopus in aliena Eccleſia, non poteſt ſibi Pulvinar, & pannum coloris violacei ſternere, & extra ſuam Diœceſim non competit illi deoſculatio Textus Evangelii. S. R. C. 13. Octobris 1618. *in Jadren.*

170 Collegiata ſimplex præcedit Parochialibus, etiamſi, antequàm erigeretur, illis ceſſiſſet. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Senogallien.* Vide numer. 14. & ibi notatos.

171 Protonotarii Titulares, neque ſupra, neque inter Canonicos locum habere debent. S. R. C. 23. Martii 1619. *in Spoletana.*

172 Vicarius Generalis, abſente Epiſcopo, debet habere primum locum ſupra omnes Dignitates, & Canonicos. S. R. C. 13. Julii 1619. *in Mileten.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

173 Canonici Eccleſiæ Cathedralis præcedunt Canonicos Collegiatæ, etiam intra eandem Collegiatam, non obſtante conſuetudine. S. R. C. 19. Auguſti 1619. *in una Tuſcanellæ.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

174 Prior Collegiatæ, ſi interſit in Cathedrali, thurificandus eſt duplici ductu thuribuli, ſicùt Dignitates, & Canonici, ſuper quos tamen non habet præcedentiam. S. R. C. 19. Auguſti 1619. *in una Tuſcanellæ.* Vide num. 1. & alios ibi notatos.

175 Celebratio Feſti de Sancto Patrono Civitatis, ad Epiſcopum, & eo abſente, vel impedito, ad Primam Dignitatem pertinet. S. R. C. 28. Septembris 1619. *in Collen.*

176 Non

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

176 Non eſt laudabilis ea conſuetudo, ut Epiſcopo cum Cappa ſedenti ad Sedem ſuam, caput aperiatur, & cooperiatur, ab altero ex Diaconis aſſiſtentibus; nec ideò eſt quærendum, ad quem eo caſu ſpectabit, cum Birretum debeat Epiſcopus ſibi de per ſe extrahere. S. R. C. 4. Aprilis 1620. *in Lauden.* & 21. Auguſti 1632. *in Iſernien.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

177 Dum Horæ Canonicæ recitantur in Choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in Altari Majori. S. R. C. 2. Maji 1620. *in Oſcen.*

178 Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. S. R. C. 2. Maji 1620. *in Oſcen.* Vide n. 11. 456. 457.

179 * In Oratione *A cunctis*, nomina Patronorum, S. Michaelis Archangeli, & S. Johannis Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolis. S. R. C. 22. Aug. 1620. Vide n. 650. Prædicta diſpoſitio habetur etiam in Rub. Miſſalis poſt Orationem *A Cunctis.*

Eodem die 22. Auguſti 1620. *in Anagnina,* & 21. Januarii 1673. *in Veliternen.* deciſum fuit, quòd Canonicus Pœnitentiarius non poteſt cogi ad miniſtrandum pro Diacono, & Subdiacono, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante.

180 Prima Dignitas debet aſſiſtere Epiſcopo celebranti, licèt ſit unica. S. R. C. 12. Decembris 1620. *in Calaguritana.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

181 Præcedentia inter Presbyteros ſumitur ex antianitate Ordinis, non verò ex gradu Doctoratus, quia Presbyteratus Ordo longè dignior eſt, quàm gradus Doctoratus. S. R. C. 30. Martii 1621. *in Cephaluden.* Vide n. 115. Vide n. 14. & alios ibi notatos.

182 Epiſcopus proceſſurus cum Mozzetta, eam deponere debet coram Cardinalibus, etiam non Legatis in Italia. S. R. C. 10. Julii 1621. *in Januen.*

Vide tamen Ceremoniale Epiſcoporum ab Innoc. X. 39. Julii 1650. & Benedicto XIII 7. Martii 1727. recognitum, & evulgatum, *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. ubi præſcribitur, Epiſcopum in propria Diœceſi nonniſi coram Cardinali Legato abſtinere debere ab uſu Mozzettæ.

183 Confraternitates Laicorum in Proceſſionibus procedunt ante Regulares, quas iidem Regulares ſequuntur, poſtremò digniorem locum obtinet Cleros Secularis. S. R. C. 7. Auguſti 1621. *in Meſſanen.* Vide num. :4. & alios ibi notatos.

184 Canonici Protonotarii non lucrantur diſtributiones quotidianas, niſi proprio habitu Canonicali interſint Choro, Proceſſionibus &c. S. R. C. 7. Auguſti 1621. *in Meliten.*

185 Præcedentia competit Dignitatibus, & Canonicis paratis, ſupra Vicarium Generalem, neque conſuetudo, imò verò abuſus ſuffragatur. S. R. C. 27. Septembr. 1621. *in Caſtellaneten.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

186 Epiſcopus Canonicus præcedat omnes Canonicos, & Dignitates in Choro, & in omnibus actibus. S. R. C. 13. Novembris 1621. *in Calaritana.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

187 * In Feria VI. Paraſceve non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi Infirmis. S. R. C. 19. Februarii 1622. *in una de Feſto Annunciationis.*

Adeſt etiam Rubrica Miſſalis in Fer. V. in Cœna Domini ante conſecrationem, ubi habetur, quòd Sacerdos reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro Infirmis, & cùm Feriâ VI. in Paraſceve non peragatur Sacrificium, prædictæ particulæ reſervantur, ut miniſtrentur Infirmis in dicta Feria.

188 * In Paraſceve ſi incidat Feſtum Annunciationis B. V. non tenentur Fideles ad Miſſam audiendam, ſeu intereſſe Officio. S. R. C. 19. Februarii 1622. *in una de Feſto Annunciationis.* Vide n. 495.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

189 * Quædam Miſſa propria Sanctiſſimi Roſarii fuit conceſſa tantùm Ordini Prædicatorum. S. R. C. 25. Junii 1622. *in una Prædicatorum.* Vide num. 229.

190 * Miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſunt ab aliis dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. S. R. C. 19. Novemb. 1622. *in una Conventualium Siciliæ.*

191 Coadjutori Epiſcopi debetur primum Stallum in Choro, ſive Sedes Cameralis. S. R. C. 14. Januarii 1623. *in Novarien.*

192 * Annuli uſus in Miſſa prohibetur Protonotariis, non participantibus, & quibuscumqe Doctoribus. S. R. C. 11. Februarii 1623. *in Tropien.* Vide num. 237. 413. 450.

193 * In Feſto Stigmatum S. Franciſci adhibetur color albus. S. R. C. 9. Decembris 1623. *in una Urbis.*

194 Qui habet uſum Mitræ, & inſignium Pontificalium, in Miſſis etiam privatis benedicit cum verſu -- *Sit nomen Domini benedictum* -- non poteſt tamen benedicere populo extra actum celebrationis. S. R. C. 25. Maji 1624.

Hoc Decretum refertur à Gavanto in Manuali Epiſcoporum, V. *Benedictio n.* 22. Verùm in Decreto Generali emanato die 27. Septembris 1659. approbato ab Alexandro VII. ſtatutum eſt, quòd hujusmodi Prælati inferiores Epiſcopis, in Miſſis privatis, quoad indumenta, cæremonias &c. & benedictionis largitionem, diſcrepare non debent à ſimplici Sacerdote; unde neque poſſunt uti illo verſu - *Sit nomen Domini benedictum &c.* & in Miſſis Pontificalibus tantùm poſſunt dare benedictionem cum trina Crucis productione &c. Vide n. 350. & 358.

195 In Epiſcopi ingreſſu delatores Baldacchini incedant pedites, & capite detecto. S. R. C. 27. Julii 1624. *in Hieracen.*

196 Regulares Ordinis Minimorum, dum in Oratione S. Franciſcum præfati Ordinis Fundatorem nominant, non debent adjungere *de Paula.* S. R. C. 23. Decemb. 1624. *in una Urbis pro FF. Minimis.* Vide num. 682.

197 * Facultas concedendi uſum Pileoli in Miſſa ſpectat ad Papam. S. R. C. 24. Aprilis 1626. *in Veliterna.*

198 Miſſæ votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiamſi cantetur Miſſa Votiva. S. R. C. 16. Maji 1626. *in Burgen.* Vide num. 204. 233. 527.

199 * Non poteſt omitti altera ex duabus Miſſis cantandis, de Feſto, & de Feria. S. R. C. 16. Maji 1626. *in Burgen.*

200 * Celebrans, qui Cineres diſtribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Julii 1626. *in Pientina.*

201 Prima Sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantùm. S. R. C. 22. Auguſti 1626. *in Caſertana.*

202 * In Miſſa Feriæ IV. Quatuor Temporum occurrentis in die octava Nativitatis B. M. V. dicenda Præfatio Communis, non verò de B. V. 12. Decembris 1626. *in una Urbis.*

203 Miſſa Conventualis de Feria, in Cathedralibus, & Collegiatis, omnino eſt dicenda ultra Miſſam Feſti, & abuſus ſunt reformandi S. R. C. 16. Januarii 1627. *in una Abuſus reformandi.*

204 * Ob Miſſam votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium Ritum. S. R. C. 16. Januarii 1627. *in Januen.* Vide num. 198. 233. 527.

205 * Signum quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum ſigno Crucis, poſt quod debet deoſculari. S. R. C. 13. Martii 1627. *in Panormitana.*

206 * In Altari pro certis diebus privilegiato, non poteſt dici Miſſa de Requiem in Feſto duplici de præcepto, neque in



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

die Dominico. S. R. C. 24. Aprilis 1627. *in una Gallia.* Vide num. 396. 430. 439. 490. 622. 623. 624.

207 In Feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Euchariſtia à Celebrante; In Veſperis autem diei Octavæ (ſi fiat Proceſſio) deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modò ſit Dignitas, vel Canonicus. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brundusina.*

208 Celebrantes Miſſam ſollemniter ſedeant in loco parato pro Celebrantibus à latere Epiſtolæ. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brundusina.* Vide num. 428.

209 Abſente Epiſcopo, Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis, fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brundusina.* Vide num. 90. 96. 116. 257.

210 Dignitates nolentes celebrare Miſſas Pontificales abſente Epiſcopo, juſta cauſa impeditæ, poſſunt aſſiſtere in ſuo Stallo in Choro. S. R. C. 12. Junii 1627. *in Brundusina.*

211 Cùm Epiſcopus benedicit Cineres, debet Celebrans imponere Cineres eidem Epiſcopo: & idem ſervari debet in die Candelarum, & Palmarum, juxta Ceremoniale *lib.* 1. in cap. de Feſto Purificationis, & de Dominica Palmarum. S. R. C. 12. Julii 1627. *in Brundusina.* Vide n. 90. 96.

212 Poteſt Epiſcopus cogere Canonicos, ut à Cappellanis in Quadrageſima cantari faciant Miſſam Conventualem Feriæ, cum Diacono, & Subdiacono. S. R. C. 17. Julii 1627. *in Nicien.*

213 * Protonotarii non poſſunt benedicere Paramenta pro Miſſa. S. R. C. 17. Julii 1627. *in una Caſtri Durantis.*

214 Coadjutor Epiſcopi celebrans, præter Diaconum, & Subdiaconum, debet habere aſſiſtentem Canonicum pro libro. S. R. C. 7. Auguſti 1627. *in Aquilejen.*

215 * Ad Miſſam Vicarii Generalis non debent accendi quatuor Candelæ in Altari, nec illi aſſiſtere debent duo Cappellani cum Cottis. S. R. C. 7. Auguſti 1627. *in una Caſtri Durantis.*

216 * Si Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra Octavam Aſcenſionis, Præfatio in Miſſa erit de Apoſtolis, vel de Cruce, ſed *Communicantes* de Aſcenſione. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis.*

217 * In diebus, in quibus non poteſt fieri de Feſto duplici, prohibentur Miſſæ Votivæ, & de Requiem. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis.* Vide n. 396. 422. 505. 511. 635.

218 * Celebrans in Paraſceve mittat Particulam in Calicem, ſine aliquo Crucis ſigno, neque ſe ſignet cum Calice. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis.*

219 * In Feſtis primæ Claſſis non dicitur Oratio *Deus refugium*, juſſa à Majoribus pro re gravi. S. R. C. 28. Auguſti 1627. Vide n. 471.

220 * In fine Miſſæ ad quodcumque Altare celebratæ, fiat reverentia Cruci infra gradus, capite ſemper aperto. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in una Urbis.*

221 * Litaniæ Majores ſi occurrant in die Paſchatis, transferantur in Feriam 3. ſequentem. S. R. C. 25. Septembris 1627. *in una Urbis.* Non in Feriam ſecundam. S. R. C. 19. Septembris 1665. *in una Galliarum.*

212 Canonici non poſſunt uti pallio, & pileo in Choro, quando aſſiſtunt etiam Completorio. S. R. C. 17. Julii 1627. *in Nicien.*

223 Si ad Proceſſiones Cathedralis, ſine Sanctiſſimo Sacramento, plures conveniant capitulariter Eccleſiæ Collegiatæ, harum Dignitates incedere debent cum ſuis Capitulis, ſine Pluvialibus. S. R. C. 29. Januarii 1628. *in Colonien.* Vide n. 8. & alios ibi notatos.

224 In Eccleſiis Regularium habentibus Clau-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clauſtra fiant Proceſſiones intra Clauſtra tantùm: Si verò non habeant Clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una Porta, & intrando per aliam Eccleſiæ Portam, ſive per eandem. S. R. C. 26. Februarii 1628. *in Hiſpalen.* Vide n. 8. & alios ibi notatos.

225 Extra ambitum Eccleſiæ, non licet Regularibus facere Proceſſiones. niſi de licentia & conſenſu Parochi, ſalvis privilegiis, ſi quæ ſint. Proceſſiones verò Confraternitatum non debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt S. R. C. 26. Februarii 1628. *in Hiſpalen.* Vide n. 8. & alios ibi notatos.

226 Nequeunt Regulares SS. Sacramentum exponere ſine licentia Ordinarii. S. R. C. 26. Februarii 1628. *in una Bertinori.*

227 Si Epiſcopus in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti non deferat Euchariſtiam, vel non interveniat, Canonici tamen Cathedralis induant ſacras veſtes. S. R. C. 27. Martii 1628. *in Cajetana.* Vide n. 8. & alios ibi citatos.

228 * Miſſæ S. Gregorii pro Vivis, & Defunctis impreſſæ, XV. Auxiliatorum, & de Patre Æterno, prohibitæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Urbis.* Vide n. 236.

229 * Miſſæ Roſarii, & de Monte Carmelo, nonniſi certis Regularibus conceſſæ ſunt. S. R. C. 8. Aprilis 1628. *in una Urbis.* Vide n. 189. Nunc verò cùm ſint demandatæ pro Eccleſia univerſali, debent in eorum Feſtis recitari, ùt in Miſſali Romano.

230 * Inſignis Reliquia eſt Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis integra, & non parva, in qua paſſus eſt Martyr, & quæ ſit legitimè ab Ordinariis approbata. S. R. C. 8. April. 1628. *in una Miſſalis ex Decreto Generali.* Vide n. 163. 264. 585.

231 Quod præſcribatur in Ceremoniali, ut Canonici de Sacriſtia egrediantur bini, intelligitur in ſollemnitatibus. S. R. C. 12. Junii 1628. *in Vicentina.*

232 Canonici habentes uſum Cappæ, & Rocchetti, quando adminiſtrant Sacramenta, debent deponere Cappam, & induere Superpelliceum cum Stola. S. R. C. 12. Julii 1628. *in una Urbis.*

Non debent deponere Rocchettum, ſi eo ſint induti; ſi verò reperiantur induti ſolo Pallio, vel alio habitu communi, tunc deberent aſſumere Cottam tantùm cum Stola, pro Sacramentorum adminiſtratione.

233 Miſſa Conventualis non poteſt celebrari pro Anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die verò depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. *in Januen.* Vide numer. 198. 204. 527.

234 Canonici Regulares poſſunt in publicis Proceſſionibus uti Rocchetto, & Superpelliceo. S. R. C. 28. Auguſti 1628. *in Novarien.*

235 Non licet mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 30. Septembris 1628. *in Aurelianen.* Vide n. 8. 267.

236 * Triginta Miſſæ S. Gregorii pro Defunctis non prohibentur. S. R. C. 28 Octobr. 1628. *in una Urbis.* Vide n. 228.

237 * Annuli uſus in Miſſa prohibetur, non ſolùm Protonotariis, ſed etiam Canonicis Eccleſiarum Cathedralium. S. R. C. 20. Novembris. 1628. *in dubio circa delationem annuli.* Vide n. 192. 413. 450.

238 * Cappellani Seculares in propriis Eccleſiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario, dicere poſſunt Miſſam de Sancto Ordinis, de quo Moniales Officium recitant, ſed cum Miſſali Romano, ùt in proprio de Sanctis, vel de Communi. S. R. C. 20. Novembris 1628. *in una Urbis.* Vide n. 561. 634.

239 Epiſcopus in publicis Proceſſionibus cum Cappa, & Birreto, non inter Dignitates,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſed ſolus incedere debet; quòd ſi deferatur aliqua Imago, ſeu Reliquia, ipſe cum Cappa & Birreto debet incedere poſt Imaginem, ſeu Reliquiam, niſi adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Novembris 1628. *in Savonen.* Vide num. 8. & alios ibi notatos.

240 Vicarius Generalis in publicis Proceſſionibus, abſente, & præſente Epiſcopo, debet ultimo loco incedere inter Canonicos, ſeu Dignitates, dummodò non adſit conſuetudo in contrarium. S. R. C. 20. Decembris 1628 *in Savonen.* Vide n. 14. & ibi notatos, & n. 8. aliosque ibi notatos.

241 Aſperſorium ſemper eſt porrigendum Epiſcopo à Digniori de Capitulo Cathedralis. S. R. C. 20. Decembris 1628. *in Arben.* Vide n. 61. & alios ibi notatos.

142 Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio Ruri ædificato per laicum, antequàm celebretur Miſſa Parochialis. S. R. C. 31. Martii 1629. *in Capuana.*

243 Proceſſio in ſollemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti incipere debet à Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eandem terminare, non verò à Parochiali. S. R. C. 1. Septembris 1708. *in Nolana*, & 9. Julii 1718.

Hoc Decretum ab aliquibus adducitur ſub alia data, nempe 19. Auguſti 1629. & ideò hoc loco à nobis collocatum eſt, ſed detecto tali errore indicavimus veram diem, & annum ſuæ emanationis. Vide n. 8. & alios.

244 Officium cum Miſſa S. Rocchi conceditur in Eccleſiis dumtaxat ad ejus honorem dicatis. S. R. C. 29. Novembris 1629. *in Matriten.*

245 * Sæpiùs decretum eſt, Epiſcopos carere facultate delegandi aliis benedictionem Paramentorum, & earum rerum, in quibus unctio non adhibeatur. S. R. C. 22. Decembris 1629.

246 * Teſte Johanne Alcozer in ſuo Ceremoniali, ſi ob terræ frigiditatem Populus veniat ad Eccleſiam tardè, pro ſollemni Miſſa, decrevit S. C. præſtare quòd recitetur tardiùs hora Tertia, quàm quod cantetur Miſſa de Feſto poſt Sextam.

247 * Eodem Teſte S. R. C. conceſſit inſignioribus Regularium Eccleſiis, uſum Planetarum complicatarum.

Immò adhibita majori diligentia repertum eſt *in una Calaguritana* 23. Martii 1631. in Eccleſiis Parochialibus poſſe adhiberi tempore Quadrageſimæ & Adventus Planetas plicatas.

248 * Eodem Teſte S. R. C. decrevit, Celebrantem, & Miniſtros, ſedere poſſe, dum cantantur Epiſtola, & Graduale. Vide n. 113.

Hæc tria Decreta à Johanne Alcozer allegata, referuntur à Gavanto in ſuo Indice, ſuppreſſo die, menſe, & anno, quibus emanarunt. Prætereà, ne aliquid in hoc Indice deſideretur, quod legitur in Indice Decretorum, qui in Theſauro Gavanti reperitur, lubet afferre etiam Decreta à S. C. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum edita, nimirum.

249 * In Feria V. & VI. Majoris Hebdomadæ non fit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti extra Eccleſiam. 6. Auguſti 1591.

250 * In Feria VI. Paraſceves non poteſt fieri nocte Proceſſio cum SS. Euchariſtia. Eadem Congreg. 22. Martii 1596.

Ulteriùs reperiuntur etiam in aliquibus Gavanti editionibus, hæc alia duo ſequentia Decreta à Sac. Concilii Trident. Congreg. emanata, nimirum.

251 * Parochi, in Feſtis non poſſunt recipere nova ſtipendia pro Miſſis. S. C. C. 1. Septembris 1629.

252 * Ubi expreſsè jubetur Miſſa ſine obligatione Sacrificii, poteſt accipi ſtipendium pro eadem Miſſa. S. C. C. 13. Julii 1630.

253 Ante SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè expoſitum non poteſt fieri Concio capite

pite tecto, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, & abuſus omnino eſt tollendus. S. R. C. 16. Februarii 1630. *in Belgica.* 28. Aprilis 1607. *in Ilerden.* ac etiam 9. Decembris 1622. *in Giennen.* Vid. inſtruct. 40. horar. à Clem. XI. de anno 1705. editam.

254 Soli Canonici debent facere conſuetos circulos ante Epiſcopum Diœceſianum, non autem Vic. Generalis. S. R. C. 28. Sept. 1630. *in Maceraten.*

255 Dignitate, vel Canonico ſollemniter tantùm Miſſam celebrante, Canonici pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alii inferiores inſervire debent, non obſtante contraria conſuetudine; ad Veſperas verò debent aſſiſtere Presbyteri non Canonici. S. R. C. 8. & 21. Martii 1631. *in Sipontina Montis Gargani.*

256 Non poſſunt in Litaniis inſeri alii Sancti præter ibi deſcriptos, neque tempore peſtis addendi ſunt Titulares, & Patroni Civitatis, ſine ſpeciali conceſſione. S. R. C. 22. Martii 1631. *in Regien.*

257 Miſſæ ſollemniores, impedita prima Dignitate, non ad Hebdomadarium, ſed ad ſecundam Dignitatem ſpectant, & pertinent, & impedita ſecunda, ad alias ordine ſucceſſivo. S. R. C 5. Julii 1631. *in Tarentina* Vide n. 288.

258 Qui præ timore, vel balbutie non pronunciat Evangelium S. Johannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco aliud ſuo arbitratu recitat, debet à Miſſarum celebratione ſuſpendi, quouſque illud rite pronunciare aſſueſcat. S. R. C. 5. Julii 1631. *in Salernitana.*

259 Rector alicujus Parochialis, dum recitantur Divina Officia in ſua Parochiali, debet ſedere in ſcamno, non verò in ſella. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.*

260 Epiſcopo ingredienti aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, aſſociato à Dignitatibus & Canonicis ſuæ Cathedralis, debet porrigi Aſperſorium à Digniori illius Eccleſiæ, ad quam Epiſcopus accedit, non autem à Dignitatibus & Canonicis Cathedralis Epiſcopum aſſociantibus. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.* Vide n. 61. & alios ibi notatos.

261 Epiſcopo accedente ad aliquam Parochialem ſuæ Diœceſis cum Canonicis ſuæ Cathedralis, Rector illius Parochialis non debet præcedere Canonicos Cathedralis, & ſedere immediatè poſt Epiſcopum ante Canonicos, ſed dignior locus debetur Canonicis Cathedralis immediatè poſt Epiſcopum; poſt Canonicos verò Rector debet ſedere, vel è regione ſedis Epiſcopalis. S. R. C. 14. Febr. 1632. *in Turritana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

262 Canonicis, & Dignitatibus Epiſcopum aſſociantibus in aliqua Parochiali, Rector Parochialis cedere debet digniorem locum, ut jam dictum eſt, & prætereà idem Rector in eadem ſua Parochiali Eccleſia ſedere debet in ſcamno, prout ſedent Dignitates, & Canonici; non verò in ſella. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Turritana.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

263 Aſperſorium aquæ benedictæ Cardinali, etiam Legato, ſeu Ordinario Loci, aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, ſeu jurisdictionis, quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo cujuscumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed à Digniori illius Eccleſiæ, ad quam Cardinalis, etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit. S. R. C. 14. Februarii 1632. *in Bononien.* Vide n 61. & alios ibi notatos.

264 Spinæ de Corona Domini JEſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt. S. R. C. 21. Junii 1632. *in Conchen.* Vide n. 163. 230. 482. 498. 585.

265 Aſſiſtentes Epiſcopo pro Dignitatibus, & inchoato Officio ſupervenientibus Dignitatibus, debent eisdem cedere locum aſſiſtentiæ. S. R. C. 21. Junii 1632. *in Iſernien.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

266 Non convenit, quòd prima Dignitas celebret Miſſam ante Proceſſionem SS. Sacramenti; & deinde altera Dignitas minor deferat illud in Proceſſione S. R. C. 31. Julii 1632. *in Januen. ſive Genuen.*

Hoc Decretum confirmatum fuit ab Innocentio XI. in Conſtitutione 21. quæ incipit: *Aliàs emanarunt* ſub die 4. Junii 1689.

267 Mulieres de cætero non poſſunt occaſione Proceſſionum ingredi ſepta Monaſteriorum Regularium, ſub pœnis quibus comprehenduntur Regulares permittentes fœminas ingredi ſepta eorum Monaſteriorum. S. R. C. 5. Julii 1631. *in una Urbis, & Orbis Regularium.* Vide num. 235.

268 Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum Celebrantem, etiam quòd ſit prima, vel alia Dignitas, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potiùs corruptela dici debet, S. R. C. 27. Novembris. 1632. *in Peruſina.*

269 Dignitates, & Canonici aſſiſtentes, vel aliquo modo Epiſcopo ſollemniter celebranti inſervientes, nunquam tenentur genuflectere. S. R. C. 15. Decembris 1632. *in Monopolitana.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

270 Ad Proceſſiones, quibus Epiſcopus cum Mitra intervenit, Canonici incedant per Eccleſiam capite detecto, extra verò eam cum birreto in capite. S. R. C. 5. Martii 1633.

Hoc Decretum adducitur, quamvis in Regeſto non reperiatur; ſed authenticum cenſetur, quia refertur hoc Decretum à Gavanto in Manuali Epiſcoporum v. *Proceſſio* n. 7. in Addit. & eſt conforme diſpoſitioni, quæ habetur in Cerem. Epiſc. Vide num. 8. & alios ibi notatos.

271 Parocho Rheumate laboranti, & SS. Samentum infirmis deferenti, ſolet indulgeri uſus Pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel Oppidum, S. R. C. 5. Martii 1633. *in Aſculana.*

Et ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum Pileoli ad tenorem dicti Decreti eadem S. C. die 10. Januarii 1693. *in Treviren.* Vide n. 509.

272 In Cathedralibus, in quibus non ſunt diſtinctæ præbendæ, Canonicus non Sacerdos, licèt priùs admiſſus, cedere debet digniorem locum Canonico Sacerdoti poſteà admiſſo. S. R. C. 19. Novemb. 1633. *in Sulmonen.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

273 Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, cantandi ſingulis diebus immediatè poſt primam, Miſſam Votivam de B. V. poteſt, exceptis ſollemnioribus Feſtivitatibus D. N J. C. tolerari, prout tolerat S. R. C. 19. Novembris 1633. *in Valliſoletana Congreg. Ordinis S. Benedicti.*

Feſta prædicta, in quibus non toleratur hæc Miſſa, ſunt Dominica prima Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Majori Hebdomada, Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus diebus, dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem B. M. V juxta præſcriptum in Kalendariis ac dummodò diebus, in quibus celebratur dicta Miſſa Votiva, præter eandem, celebretur etiam Miſſa Conventualis, ſeu dici Feſti currentis.

274 Archidiaconus uti Dignitas, habens annexum Canonicatum, debet præcedere omnes alios de Capitulo. S. R. C. 6. Martii 1634. *in Sulmonen.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

275 Miſſa Purificationis in die Feſtivitatis ejuſdem, debet cantari à Cappellanis Eccleſiæ Terræ Xendæ, in qua erecta eſt Cappella Confraternitatis, ſub invocatione Purificationis, in caſu propoſito, non in Altari Majori, ſed in Cappella ejuſdem Purificationis B. M. V. juxta ſolitum. S. R. C. 19. Auguſti 1634. *in Cuſentina.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hoc cùm ſit Municipale, adduci non poteſt in exemplum pro ſimilibus, cùm Miſſa Conventualis regulariter debeat cantari in Altari Majori.

276 Ubi non eſt Aurora phyſicè, pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politicè, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum conſuetudinem. S.R.C. 18. Septembris, & 2. Novembris 1634. *in una Miſſalis Romani.*

277 Miſſæ votivæ, quas ex obligatione aliqua Eccleſia tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præſcriptis, in quibus multoties occurrit Feſtum de præcepto, debent transferri in alteram diem feriatam non impeditam. S. R. C. 9. Decembris 1634. *in Tarentina.*

278 Miſſa Conventualis de Feria in Quadrageſima, & Adventu, nullo modo poteſt omitti, quando in eis etiam cadat Feſtum alicujus Sancti, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 24. Novembris 1635. *in Gall en.*

Hoc intelligitur etiam de aliis Vigiliis, in quibus juxta Rubricam Miſſalis duæ, vel tres Miſſæ debent ſaltem recitari.

279 Non licet Coadjutoribus Canonicorum, abſentibus, vel impeditis Coadjutis, inſervire pro Aſſiſtentibus Epiſcopo ſollemniter celebranti, vel cum Cappa Divinis intereſſenti: Sed hoc munus ſpectat, & pertinet ad veros Canonicos, ordine ſucceſſivo. S. R. C. 24. Maji 1636. *in una Civitatis Caſtelli.* Vide n. 6. & numeros ibi notatos.

280 Coadjutores Canonicorum extra ſuam Eccleſiam, & ſine Capitulo, nullam habent prærogativam, ac ſi non eſſent Coadjutores; Unde in concurſu cum aliis Sacerdotibus non præcedunt, niſi ratione antiquitatis in ordine. S. R. C. 7. Martii 1637.

Hoc Decretum, quod à multis Auctoribus allegatur, non potuit conferri cum ſuo Originali, quia Regeſtum Decretorum prædicti anni non reperitur. Vide n. 14. & ibi notatos.

281 Si Vigilia S. Johannis Baptiſtæ incidat in ſollemnitate Corporis Chriſti, non eſt eo die jejunandum, nec abſtinendum à carnibus in Feſto hujusmodi, ſed anticipandum jejunium die antecedenti; nempe Feria IV. S. R. C. 24. Septembr. 1638. *in Decreto Urbis, & Orbis.*

Hoc Decretum Urb. VIII. approbavit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cùm eveniret &c.* 13. Oct. 1638. Vide n. 602.

282 In nocte Nativitatis Domini, poſt cantatam primam Miſſam, nullo modo poſſunt aliæ duæ immediatè celebrari, nec Fideles communicari. S. R. C. 20. Aprilis 1641. *in Piſauren.*

Circa tres Miſſas in nocte Nativitatis Domini emanavit ſequens Decretum ſub titulo *trium Miſſarum.*

Cùm ſuperioribus diebus conſulta hæc S. R. C. an eſſet permittendum, celebrari in media nocte Nativitatis Domini, poſt Miſſam decantatam, ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis Sacram communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus? Reſpondit: non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominùs nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & S. R. C. ipſis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Palotti ſtetit in Decretis, & reſpondit, iterum: prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Ita decrevit, & ſervari mandavit die 7. Decembris 1641. Vide n. 458. & 481. & idem ſtatutum fuit 15. Septembris 1668. *in Januen.*

283 Feſtum principalioris Patroni in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni in quacumque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contige-

tigerit, eſt præceptivum, cum obligatione audiendi ſacrum, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 15. Sept. 1642.

Hoc Decretum confirmatum fuit ab Urbano VIII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Univerſa, &c.*

284 Communitates, vel Univerſitates Civitatum, ſeu Locorum, non tenentur ex præcepto ſervare Feſta ex voto eorumdem indicta, cùm ſub præcepto teneantur tantùm Perſonæ voventes. S. R. C. 18. Aprilis 1643. *in Decreto de Feſtorum obſervatione.*

285 Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt Officium Defunctorum, non dicitur Miſſa Conventualis de Defunctis, neque Oratio *Fidelium*; quæ etiam in aliis Feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur, juxta Rubricas, ſed ſolùm Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ eſt pro Vivis, & Defunctis, & omittitur tempore Paſſionis. S. R C. 11. Julii 1643. *in Lugdunen.*

286 Epiſcopo prædicanti in Eccleſia Cathedrali in Ambone, ubi Concionatores Ordinarii prædicare conſueverunt, ſine Baldacchino, & in habitu Mozzettæ & Stolæ, non debetur aſſiſtentia à Canonicis, & Dignitatibus, quæ aſſiſtentia ſolùm debetur Epiſcopo, concionem habenti cum Pluviali & Mitra, ad præſcriptum Ceremonialis Epiſcoporum. S. R. C. 19. Dec. 1643. *in una N. Dubium.* Vide n. 6. & numeros ibi notatos.

287 Si Vicarius Epiſcopi incedit in habitu Vicariali, præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, quantumvis Protonotarios; ſi verò aſſiſtat uti Canonicus, debet ſedere in loco ſuæ receptionis. S. R. C. 26. Aug. 1645. *in una Civitatis Plebis.* Vide n. 14. & alios numeros ibi notatos.

288 Functiones, quæ debent fieri per Primam Dignitatem, ea impedita, obeundæ ſunt per Dignitatem ſequentem. S. R. C. 7. Oct. 1645. *in Baren.* Vide n. 257.

289 Miſſæ votivæ non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. Aprilis 164[illegible]. *in Ulyſſiponen.*

290 Miſſa de Dominica Pent. non poteſt repeti in Sabbato quat. Temporum Pentecoſtes. S. R. C. 14 Aprilis 1646. *in Ulyſſiponen.*

291 Miſſa ùt in die obitus, præſente Corpore, ultra Miſſam de communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. S. R. C. 14. Aprilis 1646. *in Ulyſſiponen.*

292 Aſperſorium Aquæ benedictæ Epiſcopo in Eccleſiam Religioſorum ingredienti, eſt porrigendum per Digniorem illius Monaſterii, non autem per aliquem ex Canonicis Epiſcopum aſſociantibus. S. R. C. 14. Junii 1646. *in una Civitatis Caſtelli.* Vide n. 61. & numeros ibi notatos.

293 Archidiacono, Primæ Dignitati, & Protonotario Apoſtolico, dum inſervit Epiſcopo in Miſſis, & Functionibus publicis, non licet portare Rocchettum cum Impluvia, ſeu habitum Prælatitium, ſed debet uti habitu Canonicali. S. R. C. 17. Novembr. 1646. *in Nicotoren.*

294 Dignitates, & Canonici, à Digniori latere Chori ſedentes, priùs thurificandi ſunt, & poſteà Dignitates, & Canonici, qui ſedent à latere Chori minùs digno. S. R. C. 5. Septembris 1648. *in Beneventana.* Vide n. [illegible], & alios ibi notatos.

295 Dignitates, & Canonici, qui aſſiſtunt Epiſcopo, locum aſſiſtentiæ cedere debent ſupervenienti Dignitati, ſeu Canonico digniori, quibus convenit aſſiſtere. S. R. C. 5. Sept. 1648. *in Beneventana.* Vide n. 6. & num. ibi notatos, n. 14. & alios ibi notatos.

296 In Miſſa Conventuali, quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum Cereis accenſis aſſiſtere debent, & Diaconus, quoties thurificatur Altare, incenſum miniſtrare tenetur. S. R. C. 5. Sept. 1648. *in Benev.*

297 In Canone omnino facienda eſt Commemoratio de Epiſcopo, etiam ab exemptis. S. R. C. 25. Sept. 1649. *in Tornacen.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

298 Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam de Requiem in diebus, quibus occurrit Feſtum primæ vel ſecundæ Claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili. S.R.C. 25. Septembris 1649. *in Tornacen.* Vide n. 622. 625 624.

299 Aſperſio die Dominico, ſemper facienda eſt à Celebrante, etiam quando Superior celebrat. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

300 Sabbato Paſſionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamſi occurrat eo die Feſtum Sancti Tutelaris, vel Patroni Eccleſiæ. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

301 Imagines, & Cruces detegi non debent, etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum S. Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

302 Velum, quo cooperitur Crux in Altari, ſemper debet eſſe coloris violacei, & nunquam, etiam in Feria V. in Cœna Domini, eſt mutandum, ùt clarè conſtat ex reſponſione S. R. C. quaſi negando ſuppoſitum ad dubium tenoris ſequentis: Quo velò cooperienda ſit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum in Feria V. majoris hebdomadæ, & Crux proceſſionis, cùm Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo; & actus ipſe lotionis, ſive mandatum, præcipiatur à Rubricis fieri cum floribus, & ſignis lætitiæ, & videatur participare de feſtivitate Miſſæ celebratæ in mane cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. R. C. die 16. Novembris 1649 reſpondit: Colorem non eſſe mutandum, *in Januen.*

303 Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediatè inſerviunt Sanctiſſimo Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Miſſali, propriam. S. R. C. 16. Novembris 1649. *in Januen.*

304 Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes, cujuſcunque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu flectere debent. S. R. C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis.*

305 Miſſa quando canitur ſine Miniſtris, non debet thurificari neque Altare, neque Chorus. S. R C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis.* Vide num. 556.

306 Miſſa votiva de B. M V. in Vigilia Pentecoſtes non poteſt dici. S. R. C. 19. Auguſti 1651. *in una Urbis.* Vide numer. 328. & numer. 478.

307 Miſſæ duæ ejuſdem Sancti, immediatè una poſt aliam, non debent cantari eadem die in Eccleſia, in qua celebratur ejus Feſtivitas. S. R. C. 3. Auguſti 1652. *in Mediolanen.*

308 Miſſa non poteſt celebrari cum Cæſarie ficta. S. R. C. 3. Auguſti 1652. *in Melevitana.*

309 Aſperſorium Aquæ benedictæ Epiſcopo debet porrigi per digniorem de Capitulo Cathedralis, quando capitulariter, & cum indumentis Canonicalibus proceditur ad Eccleſias quaſcumque Diœceſis. S. R. C. 18. Januarii 1653. *in Lauden.* Vide num. 61. & alios ibi notatos.

310 Miſſa in Feria V. majoris hebdomadæ, non poteſt celebrari in Oratoriis Confraternitatum, & privatis. S. R. C. 8. Februarii 1653. *in Florentina.* Vide n. 316.

311 Reliquiæ Sanctorum exiſtentes ſub cuſtodia Capituli, in Proceſſionibus, in caſu quo requirantur quatuor uritim, deferendæ ſunt à Canonicis non paratis. S. R. C. 22. Martii 1653. *in Lucana Comajaris.*

312 Quando aliqua Eccleſia, Secularis, vel Regularis, ob aliquod impedimentum eſt ſubſtituta pro Cathedrali, & Epiſcopus intereſt cum Cappa in concionibus,

tenentur Canonici Cathedralis aſſiſtere cum habitu Canonicali. S. R. C. 22. Martii 1653. *in Callien.* Vide num. 6. & alios n. ibi notatos.

313 Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici, cum Commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti, ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis Proceſſio cum Sanctiſſimo Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet menſis. S. R. C. 6. Decembris 1653. *in Fanen.*

314 Ubi adeſt Sodalitas SS. Sacramenti, competit ei præcedentia ſuper alias Confraternitates in omnibus Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 19. Junii 1655. *in Mediolanen.* & 12. Julii 1628. *in Lauden.* ac 20. Septembris 1687. *in Vercellen.* Vide n. 14. & ibi notatos.

315 Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſollemniter celebrari diebus, in quibus cadit Feſtum duplex alicujus Sancti, dummodò Feſtum non ſit de præcepto, juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C. 19. Septembris 1654. *in Papien.*

Hoc Decretum editum fuit pro Miſſa ſollemni celebranda in Eccleſiis, non præſente Cadavere.

316 Abſolutio ſollemnis cum aſſiſtentia quatuor Dignitatum, vel Canonicorum, ultra Celebrantem, in Anniverſario alicujus Epiſcopi, non debet fieri, quia obſtant Rubricæ Pontificalis Romani. S. R. C. 14. Novembris 1654. *in Recineten.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

317 Aſſiſtentia Epiſcopo in Miſſis Pontificalibus; miniſtratio Aſſerſorii Epiſcopo in ingreſſu ad Eccleſiam; canere Miſſas in diebus ſollemnioribus; nec non peragere ſollemnia Miſſarum; & delatio SS. Sacramenti, abſente Epiſcopo, in Feſtivitate Corporis Chriſti ſpectant ad primam Dignitatem, & ſucceſſivè ad alias Dignitates, vel ad ſeniorem Canonicum, non autem ad Vicarium Generalem S. R. C. 29. Maji 1655. *in Pacten.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

318 Archiepiſcopo, uti Archiepiſcopo, majoritate gradus, competit præcedentia ſupra Epiſcopum præſentem in Civitate Metropolitana, & Diœceſi. S. R. C. 29. Januarii 1656. *in Pragen.* Vide n. 14. & ibi notatos.

319 Archiepiſcopi, & Epiſcopi Titulares, exiſtentes in aliena Diœceſi, debent præferri Archiepiſcopis, & Epiſcopis conſecratione junioribus, nec non aliis Epiſcopali caractere ſenioribus, ſed gradu Archiepiſcopali poſterioribus, extra tamen Eccleſiæ ambitum, intra quam Ordinario privativè, quoad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, etiam ſeniores, præcedentia competit. S. R. C. 8. Aprilis 1656. *in Epheſina.* Vide n. 14. & alios ibi notatos.

320 Cappellanus Curatus, ratione Stolæ in Funeribus, debet præcedentiam habere ſupra alios quoſcumque Sacerdotes Curatos, ſimplici Cotta indutos. S. R. C. 10. Junii 1656. *in Maceraten.* Vide n. 14. & ibi notatos.

321 Miſſa ſollemnis de Annunciatione B. M. V. non poteſt celebrari, quando ejus Feſtum incidit in Dominica Palmarum. S. R. C. 10. Martii 1657. *in Placentina.*

Immò juxta recentiorem Rubricam, quæ habetur Tit. VI. de Tranſlatione Feſtorum, non ſolùm in Dominica Palmarum, ſed etiam in tota hebdomada majori, nequit ſollemniter decantari Miſſa de Titulo Eccleſiæ occurrente.

322 Baldacchinum in Eccleſiis, & locus in Presbyterio non debetur Domino loci, & admonentur Ordinarii, ne permittant hujuſmodi uſurpationem, & non licitam detentionem. S. R. C. 9. Junii 1657. *in Polignanen.*

323 Miſſæ votivæ de Titulari, & Patrono, non poſſunt dici cum *Gloria*, & *Credo*; Sed Ordinariis præcipitur, ne quid contra, vel præter Rubricarum præſcriptionem, ſub pœnis in Conſtitutionibus Pontificiis contentis, ſervari permittant, ſed tantummodò die Tituli quorumlibet Eccleſiæ, & Oratorii, de Sancto Titulari Miſſa cum Gloria, & Credo celebretur. S. R. C. 4. Auguſti 1658. *in Tarviſina.*

324 Poteſt Archiepiſcopus Granatenſis, ex immemorabili conſuetudine, in Proceſſionibus ſollemnibus poſt ſe deferre Sellam geſtatoriam, mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum. S. R. C. 10. Maji 1608. & etiam in Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, 15. Septembris 1657. *in Granaten.*

325 Primicerii à Chori aſſiſtentia & directione non ſunt amovendi, ſed ad Canonicos immediatè digniores ſpectant, poſt præfatos Primicerios, Veſperarum, & Miſſarum ſollemnia, ut unuſquiſque proprio muneri incumbat. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Monopolitana.* Vide n. 24.

326 Epiſcopus non poteſt pervertere, & immutare Ritum Proceſſionum, præſcriptum à Ceremoniali, & Rituali Romano, neque de conſenſu Capituli. S. R. C. 26. Januarii 1658. *in Cajetana.* Vide num. 8. & alios ibi indicatos.

327 Diaconi aſſiſtentes non tenentur, imò non debent inſervire Epiſcopo de Bugia, ſeu Candela; ſed ea adminiſtranda eſt per Cappellanum, nec poſſunt cogi Canonici ad inſerviendum Epiſcopo in Miſſis privatis, præter conſuetudinem. Etiam dicti Canonici non induti Canonicalibus veſtimentis, non tenentur ad præſtandam Epiſcopo aſſiſtentiam, imò contra Ritum præſtari. S. R. C. 16. Martii 1658. *in Raguſina.* Vide n. 6. & alios ibi indicatos.

328 Miſſa votiva de B. M. V. cum *Gloria*, *& Credo*, ſed ſine Officio, poteſt celebrari in aliqua die ob publicam cauſam, & rationem concurſus. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Claramontana.*

329 Archiepiſcopus, & illius Suffraganei, cùm ſimul in Metropolitana Divinis interfuturi conveniunt, & genuflexi preces effundunt ante Altare SS. Sacramenti, & Aram maximam, idem Archiepiſcopus debet genuflectere, & incedere digniori quidem loco, ſed in linea cum Suffraganeis; Archiepiſcopus ſcilicet ſuper Faldiſtorio, & Suffraganei ſuper Pulvinaribus hinc inde. Et ſi loco Faldiſtorii Archiepiſcopus adibeat Genuflexorium commune, poterunt Suffraganei, ſi idem capax fuerit; ſuper eodem hinc inde pariter genuflectere. S. R. C. 8. Junii 1658. *in Senen.*

330 Archipresbytero, ſeu Dignitati, vel Canonico, qui alteri Archipresbyteratum, Dignitatem, ſeu Canonicatum reſignavit, non competit præcedentia ſuper alios Sacerdotes ſeniores, quia nulla qualitas Archipresbyteri, Dignitatis, ſeu Canonici ei remanet poſt renunciationem. S. R. C. 7. Septembris 1658. *in Biſacien.* Vide n. 14. & alios ibi indicatos.

331 Miſſæ currentes in honorem alicujus Beati non canonizati, non poſſunt celebrari, ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 28. Sept. 1658. *in Foroſempronien.*

332 Primæ Dignitati poſt Pontificalem, ſollemniter celebranti in ſollemnioribus feſtivitatibus, debetur aſſiſtentia duorum Canonicorum pro Diacono, & Subdiacono, quamvis præbendæ non ſint diſtinctæ, S. R. C. 7. Decembris 1658. *in Brunduſina, & Converſana,* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

333 Miſſæ privatæ de Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquàm in

Feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Februarii 1659. *in Faventina*, & 28. Februarii 1660. *in Januen.* Vide num. 69. & alios ibi notatos.

334 Anterioritas ſuſcepti Ordinis Presbyteratus inter Sacerdotes ſimplices, non gaudentes præbenda, inſpicienda eſt, nulla habita ratione inter eos prioritatis in ordine Subdiaconatus, vel Diaconatus. S. R. C. 29. Martii 1659. *in Triventina.* Vide num. 14. & ibi notatos.

335 Protonotarius ſimplex Sacerdos è numero non participantium, in Proceſſionibus, cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus, debet ſervare Ceremoniale Epiſcoporum, ideoque præcedere debet omnes ſimplices Sacerdotes ſacris veſtibus non amictos. S. R. C. 24. Maji 1659. *in Averſana.* Vide num. 14. & ibi notatos.

336 Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulchro. S.R.C. 14. Junii 1659. *in Neapolitana.* Vide num. 310. 566. 567.

337 Protonotarius ſimplex, incedens in habitu Protonotarii, debet ſedere in Choro poſt Canonicos, & ubi Capitulum non exiſtit, immediatè debet ſedere poſt Rectorem Eccleſiæ, vel aliàs facientem Officium. In Proceſſionibus verò pariter eodem loco, vel niſi adſit Magiſtratus, poteſt etiam uti Prælatus incedere poſt Baldacchinum, ſub quo defertur SS. Sacramentum. S. R. C. 2. Auguſti 1659. *in Garzanen.* Vide num. 14 & ibi notatos.

338 Prælati Epiſcopis inferiores, qui Pontificalium uſu fruuntur, ſuper Altari, in quo Sacra erunt facturi, ſeptimum nequaquam debent apponere Candelabrum. S. R.C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto Generali §. 1.

339 Prælati Epiſcopis inferiores, Cathedram, ſeu ſedem fixam, & permanentem, in eorum Eccleſiis, non debent detinere, ſed tribus ipſis diebus, quibus ex antiquis Decretis tantummodò pontificaliter celebrare eſt eis permiſſum, mobili ſede, ſeu Cathedra uti debent, quam nihilominùs ſimplici ſerico panno coloris feſtivitati congruentis obducere poſſunt, non auro contexto, aut phrygio, ſive baſilico opere exornato. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 2.

340 Prælati Epiſcopis inferiores Baldacchinum adhibere ſupra ſedem poſſunt, non autem pretioſum, aut aureum, ſed ſimplex, & eo, quod Altari ſuperimponitur, materia & opere ſit inferius, & ad ipſam per duos tantùm gradus in ſuperficie Presbyterii ſtratos aſcendatur. S. R. C coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 3.

341 Prælati Epiſcopis inferiores Abacum alium, præter parvam Menſam, & in cornu Epiſtolæ, parare non poſſunt, in qua duo Candelabra cum Candelis, nec non Mitra, Calix, Miſſale, Thuribulum, Navicula, & reliqua ad celebrandum neceſſaria collocentur; prope verò menſam eamdem parieti hærens baculus Paſtoralis aptetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 4.

342 Dies, in quibus ſollemniter Prælatis inferioribus celebrare conceditur, ſint de præcepto feſtivi, vel alii, in quibus ipſis Pontificaliter celebrare Feſtivitatis ratio exigat, nempe Patroni Loci, Fundatoris Ordinis, Tituli, & Dedicationis Eccleſiæ; abſtinere autem debent ab hujuſmodi Pontificalium uſu in Officiis, & Miſſis Defunctorum, quocumque die, etiam feſtivo, & de præcepto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septemb. 1659. in Decreto generali §. 5. Vide num. 383.

343 Prælati Epiſcopis inferiores, ad Eccleſiam accedentes, licèt Pontificaliter Divina peracturi, & iiſdem abſolutis, ab Altari receſſuri, à ſuis Canonicis, vel Monachis (ùt mos eſt Epiſcoporum) non poſſunt aſſociari. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 6. Vide n. 384.

344 Prælatis inferioribus præter duos Sacrificii Miniſtros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, duo alii tantùm Diaconi cum Dalmaticis. & unicus Presbyter cum Pluviali aſſiſtere debent. Duo inſuper Cappellani, qui de Mitra, & Baculo, & totidem Acolythi pro Candelabris debent inſervire. Præterea ſex alii Canonici, vel Monachi, duo ſcilicet Pluviali, duo Planetis, totidemque Tunicellis induti, Divinis hujuſmodi intereſſe valeant, qui tamen non in ſedibus, ſeu ſtallis Choralibus, ſed in ſcamnis, abſque poſtergalibus, panno viridi laneo coopertis, ſitu congruo accommodatis, moxque illinc removendis, conſedere debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 7. Vide num. 385.

345 Prælati Epiſcopis inferiores, Mitram pretioſam, niſi illis expreſsè à S. Sede indultam, adhibere minimè poſſunt: ſub Miſſa Pileolum nigri tantùm coloris induant: Baculum Paſtoralem albo velo appenſo deferre debent: ab iiſque, & aliis Pontificalibus, etiam de Ordinariorum licentia, extra Eccleſias ſibi ſubjectas, prorſus abſtinere debent & neque in Proceſſionibus, quæ ab eorum Eccleſiis per vias extra ambitum, vel Parochiam ducuntur, inſigniis prædictis uti, vel penès ſe præferri faciant. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 8. Vide num. 386.

346 Prælati Regulares Rocchettum deferre non valent, niſi ex tali ordine fuerint, cui indumentum hujuſmodi competat. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 9.

347 Prælati Epiſcopis inferiores invitati ad Eccleſiam exemptam, nec in illa Pontificialibus uti valent, nec ii, qui non fuerint Abbates perpetui, vel benedicti, in propriis Eccleſiis, uti poſſunt privilegio perpetuis Abbatibus, vel aliàs benedictis indulto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 10.

348 Prælati Epiſcopis inferiores, ſacras veſtes ex Altari ſumere non poſſunt, niſi Pontificaliter Divinis vacaturi. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 11.

349 Indulgentias impertiri, vel publicare non debent Prælati inferiores, abſque expreſſo S. Sedis indulto. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 12.

350 Prælati Epiſcopis inferiores, Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Miſſis tantùm Pontificalibus, nec non in Veſperis, & Matutinis pontificaliter itidem celebratis, poſſunt impertiri: privatim enim Populis, quamvis pleno jure ſubjectis, niſi expreſsè ipſis permiſſum fuerit, etiam Pontificalibus induti per Eccleſiam incedentes, impertiri benedictionem præſumere non debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 13. Vide num. 101.

351 Præſente Epiſcopo, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſu, Prælati Epiſcopo inferiores, etiam pontificaliter celebrantes, à benedictionibus ceſſare debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 14.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

352 Si Epiſcopus aderit in Eccleſiis Prælatorum inferiorum, vel Abbatialibus, Sedes in cornu Evangelii, uno ſaltem gradu eminentior Sede Abbatiali, eſt erigenda, hæcque altero gradu humiliori in cornu Epiſtolæ collocari debet; à latere Epiſcopi Canonici Cathedralis, propè Abbatem Canonici, vel Monachi Monaſterii, & Abbatialis Eccleſiæ conſedere debent: Confeſſionem cum Celebrante Epiſcopus facere, isque thus Thuribulo imponere, Evangeliorum textum oſculari, & Populo ſollemniter (quamvis Abbas ipſe Pontificaliter celebret) benedicere debet; Epiſcopus prætereà triuo ductu, immediatè Canonici Cathedralis duplici, moxque Abbas (niſi celebret) pariter duplici, ac ſubinde Canonici, vel Monachi Abbatialis Eccleſiæ unico tantùm ductu thurificari debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 15. Vide n. 29. 159. & vide p. 1. & ibi notatos.

353 Epiſcopi abſtinere debent, ubi conſuetudo contraria non viget, à frequenti acceſſu ad Eccleſias exemptas pro ſacris functionibus aſſiſtendo, ut liberiùs Abbates valeant ſuis uti privilegiis. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 16.

354 In Ordinationibus Canonicorum, Clevicorum, Monachorum, necnon in veſtitionibus Monialium, & emiſſione Profeſſionis earundem, etiam pleno jure Prælatis inferioribus ſubjectarum, in benedictionibus Sacræ Supellectilis, cæterisque actibus (Miſſarum, Veſperarum, & Matutinarum ſollemniis, ter tantùm in anno, ut præfertur, exceptis) neque in Eccleſiis, Oratoriis, aliisque locis, tam publicis, quàm privatis, quantumvis exemptis, & eiſdem Abbatibus pleno jure ſubjectis, Mitram, Baculum, & quævis alia Pontificalia inſignia, niſi expreſſa Sedis Apoſtolicæ conceſſione, adhibere debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 17. Vide num. 387.

355 Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam Supellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, benedicere valent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 18. Vide n. 100.

356 Prælati Epiſcopis inferiores aliqua Pontificalia extra loca ipſis ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non poſſunt: puta Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium, in quibus Sacra adhibetur Unctio, necnon minorum Ordinum collationes, S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 19.

357 Prælati inferiores, Concionatoribus, qui eorum ſubditis verbum Dei prædicandi onus acceperint, benedictionem elargiri præſumere non debent; ſed Epiſcopis, quibus jus hujuſmodi privativè competit, omnino dimittant. S. R. C. coram Alexandro VII. 27 Septembris 1659. in Decreto generali §. 20.

358 In Miſſis privatis quoad Indumenta, Ceremonias, Miniſtros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, à ſimplici Sacerdote Prælati inferiores diſcrepare non debent, ac proinde ſacras veſtes induere debent in Sacriſtia, neque uti poſſunt Cruce pectorali; unico tantùm contenti ſint Miniſtro, aquam cum pelvi & urceolo argenteis ſibi miniſtrare minimè facere poſſunt, duasque tantùm candelas ſuper Altare adhibere valent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 21.

359 Locorum Ordinarii auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſunt, imò debent Abbates, & Prælatos Epiſcopis inferiores, qui uſu Pontificalium gaudent, tum Secula-

culares, tum Regulares, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes, etiam per cenſuras compellere ad omnimodam obſervantiam rerum præſcriptarum circa moderationem Pontificalium. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 22.

360 Nonnulli ex Abbatibus, & Prælatis inferioribus proprium habent Territorium, & jura Epiſcopalia, nullisque ſubduntur Epiſcopis, qui eos coercere, ſi exceſſerint, valent; eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi adſint, ſin minùs, ab Archiepiſcopis, in quorum Provinciis, & ab Epiſcopis Romano tantùm Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Diœceſis limites, eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita ſunt, tanquam à S. Sede delegatis, ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino debent cogi. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali §. 23.

361 Beatorum Imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ, aut ſcripturæ, eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo modo exponi debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali ſuper Cultu Beatis adhuc non Canonizatis præſtando n. 1. Vide num. 378.

362 Ubi indultum fuit per Sedem Apoſtolicam, Beatorum Imagines, ſimulacra, pictasque tabellas in Eccleſiis poni, & coli poſſe, in pariete tantùm, non tamen ſuper Altare collocandi facultas tributa cenſetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 2. Vide num. 378.

363 Si conceſſa fuerit per Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſam, & Officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica, & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto de Beatis num. 3. Vide n. 378.

364 Ubi in uno loco cultus Beatis fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 4.

365 In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodò privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 5.

366 Miſſæ de Beatis, quæ fuerint indultæ certis perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Secularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipuè addictis, à confluentibus Sacerdotibus, quavis Dignitate, etiam Cardinalatus inſignitis, minimè celebrari poſſunt. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 6.

367 Dies Feſti in Beatorum memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 7. Vide num. 379.

368 Beatorum nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantùm loci, earumque perſonarum, in quo, & à quibus

bus cultus cum Officio, & Miſſa celebretur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num 8.

369 In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia Beatorum ſuffragia non apponantur, vel recitentur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 9.

370 In publicis precibus, præter indultas, & à Sede Apoſtolica approbatas, Beati non invocentur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 10.

371 Beatorum Reliquiæ in Proceſſionibus minimè circumferantur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 11.

372 Non removetur cultus Beatis, qui per communem conſenſum Eccleſiæ, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum Annorum metam excedentis ſcientiam, ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum, hactenus præſtitus, ac certis modo, & forma, ab eo tempore eis exhibitus fuit. Verùm ſi à centum Annis citra, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit, auctus, & extenſus, eo caſu idem in priſtinum reducatur, prout quivis cultus, extra caſus prædictos, ad expreſſa tantùm verbaliter in Apoſtolicis Indultis omnino revocetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis num. 12.

373 Beati in Patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum Octavis celebrentur. S. R. C. coram Alexandro VII 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 13. Vide n. 380.

374 Locorum Ordinarii, auctoritate Sedis Apoſtolicæ poſſunt, imò debeant Seculares, & Regulares quoſcumque, quantumvis exemptos, & ſpeciali expreſſione indigentes, etiam ſub cenſuris compellere ad omnimodam omnium Decretorum circa Beatos obſervationem; cum aliqui nullo ſubduntur Epiſcopo, qui eos, ſi exceſſerint, coercere valeat, eo caſu à Sedis Apoſtolicæ Nunciis, ſi adſint, ſin minus, ab Archiepiſcopis in eorum Provinciis, vel ab Epiſcopis Romano tantùm Pontifici ſubjectis, intra, vel prope quorum Diœceſis limites, eorum Eccleſiæ, vel Monaſteria ſita fuerint, tanquam à Sede Apoſtolica delegatis, ad hujuſmodi Decretorum obſervationem prædicti omnino cogi debent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Septembris 1659. in Decreto generali de Beatis n. 15.

375 In Miſſis Ferialibus, quæ contingunt à Dominica Paſſionis ad Feriam V. Cœnæ Domini, ſi facienda obveniat Commemoratio de ſimplici, omittenda eſt tertia Oratio, quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempe pro Eccleſia, vel pro Papa S. R. C. 22 Novembris 1659. *in una Rubricarum.* Vide num. 506. 614. 700.

376 Archidiaconus Prima Dignitas Cathedralis tenetur accedere ad cubiculum Epiſcopi, ob obſequium ei exhibendum, dum Epiſcopus ad Eccleſiam cum Cappa accedit, & ſi recuſat, omnino eſt compellendus, ut præſtet. S. R. C. 24. Januarii 1660. *in una S. Severini.*

377 Archidiacono, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Camerinenſis petentibus, an ipſis liceret pluries Miſſas celebrare Feria V. in Cœna Domini, in qua cadit Feſtum SS. Annunciationis, S. R. C. reſpondit licere, & juſſit, ut à Cardinali Vicario ſingularum Eccleſiarum Urbis Rectoribus idem notificaretur. 20. Martii 1660. Vide num. 632.

378 Ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, licitum eſt ejus

Ima-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imaginem, & ſimulacrum, ſuper Altari exponere, nec non votivas Tabellas illi appendere. S. R. C. 17. Aprilis 1660. Vide num. 361. cui per præſens Decretum non derogatur. Vi depariter num. 362. 363. 381.

379 Dies Feſti in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad Feſta Devotionis. S. R. C. 17. Aprilis 1660. Vide num. 367.

380 Indulta recitandi Officium cum Octava, vel ſine Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, non fuerunt revocata per Decretum emanatum anno 1659. 27. Septembris. S. R. C. 17. Auguſti 1660. Vide num. 373.

381 In Eccleſiis, in quibus Officium, & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpectivè celebrari poſſunt, licitum eſt eorum Reliquias exponere. S. R. C. 17. Aprilis 1660. Vide num. 378.

382 Epiſcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere. S.R.C. 17. Aprilis 1660.

383 Privilegium conceſſum ab Alexandro II. Abbatibus Monaſterii Cavenſis Congregationis Caſſinenſium, celebrandi pontificaliter in exequiis nobilium Virorum, non extenditur ad alia Monaſteria ejuſdem Congregationis; Neque comprehenditur in reſtrictione uſus Pontificalium, quæ habetur §. 5. Decreti generalis 27. Septembris 1659. pro tribus diebus tantùm de præcepto quolibet anno, ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide num. 342.

384 Abbates Congregationis Caſſinenſium Divina peracturi, in acceſſu, & receſſu, non obſtante prohibitione in §. 6. Decreti generalis 27. Septembris 1659. expreſſa, ab immemorabili tempore poſſunt aſſociari more Epiſcoporum à ſuis Monachis, modò non extra, ſed intra ſepta Monaſterii ſeſe ad Eccleſiam conferant. Ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide num. 343.

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

385 Abbatibus Congregationis Caſſinenſis, licèt in §. 7. Decreti Generalis 27. Septembris 1659. taxatus fuerit numerus Miniſtrorum inferiorum, conceduntur tamen alii quatuor Miniſtri Cotta induti, ex Decreto S.R.C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide num. 344.

386 Abbates Congregationis Caſſinenſium, non obſtante prohibitione Mitræ pretioſæ facta in §. 8. Decreti Generalis 27. Sept. 1659. debent ſervare diſpoſitionem capitis: *ut Apoſtolicæ de Privilegiis in 6.* ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660. ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide num. 345.

387 Abbates Congregationis Caſſinenſium poſſunt uti Mitra, & aliis inſignibus Pontificalibus, in actu ordinationum, & benedictionum cum Oleo Sancto, non obſtante quòd uſus Mitræ, & aliorum inſignium Pontificalium in §. 17. Decreti Generalis 27. Septemb. 1659. fuerit prohibitus. Ex Decreto S. R. C. 12. Junii 1660 ab Alexandro VII. 20. Julii approbato. Vide num. 354.

388 Prælato Epiſcopis inferiori, vel cuique alio gaudenti uſu Pontificalium, non licet benedicere Concionatorem, qui Concionem ſit habiturus, dum ipſemet Miſſarum ſollemnia Pontificali more peragit, quia poſt Concilium Tridentinum, prohibentur hujuſmodi Benedictiones; etiam per Decretum emanatum 27. Septembris 1659. circa uſum Pontificalium. S. R. C. 12. Junii 1660. *in Mediolanen.*

389 Miſſa ſollemnis in Dominica infra Octavam alicujus Sancti, non debet celebrari

de eodem Sancto, licèt de conſenſu Ordinarii fiat Proceſſio ad ejus Eccleſiam. S. R. C. 24. Julii 1660. *in Aretina.*

390 Miſſæ omnes de Sanctis ſub Ritu duplici excluduntur ab Octava Epiphaniæ, præter eas, quæ ſunt primæ Claſſis, nempe Titularis, & Patroni Principalis, ac Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 20. Novembris 1660. *in Aſculana in Apulia.*

391 Miſſa ſecunda de Paſſione Domini, cum Gloria, & Credo, in Altari SS. Crucifixi ſingulis Dominicis, præter Reſurrectionis Domini Noſtri, & Pentecoſtes, non conceditur, neque poteſt tolerari. S. R. C. 2. Julii 1661. *in Toletana.*

392 Miſſæ Sacrificium peragi poteſt in publico Oratorio extra aliquod Oppidum conſtructo, de licentia Epiſcopi, in diebus ſollemnioribus anni, etiam contradicente Parocho, pro commoditate Villicorum circumhabitantium, dummodò habeat omnia requiſita ad Eccleſiam, vel ſaltem ad publicum Oratorium conſtituendum. S. R. C. 3. Septembris 1661. *in Feretrana.*

393 Habens Indultum à Sede Apoſtolica erigendi Oratorium privatum in propria domo, ſi quis voluerit ibi ædificare Altare ligneum, non indiget facultate Apoſtolica, dummodò Altare ligneum cum Sacro Lapide parieti colligatum, amovibile non ſit, & Altaris portatilis Imaginem non præſeferat. S. R. C. 3. Decembris 1661. *in una Nullius Loci Cirignolæ.*

394 Symbolum in Miſſa ſollemni poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt Altare erectum ſub invocatione alicujus Sancti, ratione concurſus, ad præſcriptum Rubricarum, licèt de eo fiat Officium ſub Ritu ſemiduplici, ut pro Feſto S. Antonii de Padua declaravit S. R. C. 1. Aprilis 1661. *in una Burgi Sancti Domini.*

395 Miſſa in die Sollemnitatis Corporis Chriſti, non debet cantari poſt abſolutam Proceſſionem, & hujuſmodi conſuetudo, uti à Ceremonialis diſpoſitione aliena, omnino abroganda eſt. S. R. C. 3. Junii 1662. *in Albinganen.*

396 Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Secularibus, quàm Regularibus, cujuſvis Ordinis, etiam neceſſariò exprimendis, diſtrictè præcipitur, ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de *Requiem*, in duplicibus, nullatenus celebrare audeant, vel præſumant; Quòd ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ, incidant in Feſtum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorundem Benefactorum; curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique, ad quos ſpectat, ut hujuſmodi Decretum inviolatè ſervetur, atque in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit; in eos autem, qui contrafacere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, Locorum Ordinarii, tam Seculares, quàm Regulares, pro modo culpæ animadvertant. S. R. C. approbante Alexandro VII. 5. Auguſti 1662. Vide num. 16. 217. 422. 430. 438. 439. 490. 622. 623. 624. 625.

397 Miſſa votiva ſollemnis de B. V. poteſt celebrari in die Dominico, ratione concurſus Populi. S. R. C. 20. Novembris 1662. *in Aretina.*

Hoc tamen intelligitur de Dominicis aliiſque Feſtis non privilegiatis, & dummodò Dominica non incidat in Feſto duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, vel Octavis privilegiatis. Vide num. 401.

398 Anniverſaria dies Dedicationis Eccleſiæ, dum Epiſcopus in conſecratione ejuſdem non elegerit diem, ſed conſecravit Eccleſiam die &c. Menſe &c. debet celebrari

brari in futurum die, quo hactenus in præteritum conſueverunt celebrare. S. R. C. 20. Novembris 1662. *in Albinganen.*

399 In Feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Ceremonialis Epiſcoporum *lib. 2. cap. 33.* in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiſcum*, non verò Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. 16. Jun. 1663. *in Granaten.* & 28. Septembris 1675. *in Salernitana.*

400 Crux parva cum imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum: At in Altari, in quo adeſt magna ſtatua Sanctiſſimi Crucifixi, non eſt neceſſe, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Miſſa. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Roſſanen.* Vide n. 604.

401 Miſſa votiva cantata de B. M. V. cum Gloria & Credo, poteſt celebrari in die Dominico cauſa voti, ſeu alia cauſa. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Aretina.*

Hæc tamen non habet locum in Dominicis, & Octavis privilegiatis, ſicùt neque duplicibus primæ, & ſecundæ Claſſis. Vide num. 397.

402 Miſſa Sollemnis de S. Joſepho, quando ejus Feſtum incidit in Feria II. III. & IV. Majoris hebdomadæ, non poteſt cantari, etiam ob concurſum Populi, ſed debet omitti, nec poteſt in illis diebus fieri proceſſio in ejus honorem. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Urbis.*

403 Paſſio in Miſſis privatis legi debet à Celebrante in cornu Evangelii, licèt in Miſſa ſollemni legatur in cornu Epiſtolæ. Ita S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

404 In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis, non ſolùm Cruces, & Imagines Salvatoris, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

405 In Conſecratione Epiſcoporum ſolus Epiſcopus conſecrandus ſemper uti debet colore albo, Conſecrator verò, & Aſſiſtentes debent uti colore, qui tempori convenit. S. R. C. 16. Junii 1663. *in Granaten.*

Idem Ritus à fortiori ſervandus eſſe videtur etiam in Ordinationibus, ita ut Sacris Ordinibus initiandi ſemper uti debeant colore albo, licèt Epiſcopus ordines conferens, & tres Sacerdotes manus imponentes utantur colore diei currentis.

406 Cruces, quæ fiunt à Sacerdote ſuper oblata, non ſunt faciendæ manu transverſa, ſed manu recta in transverſa parte Crucis. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum*, & 24. Jul. 1683. *in Albiganen.*

407 Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur Oblationem*, debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non verò infra manus. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

408 Pars inferior Hoſtiæ præcidi debet, non autem ſuperior, quando dicitur *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

409 Licèt Epiſcopus non celebret, ſed tantùm aſſiſtat Miſſæ ſollemni, Celebrans debet ad confeſſionem reſpondere Epiſcopo uſque ad *Indulgentiam* incluſivè, non verò ſimul cum illo dicere *in Nomine Patris &c.* S. R. C. 4. Auguſti 1563. *in una Dalmatiarum.*

410 Finito Evangelio Miſſæ ſollemnis, cui aſſiſtit Epiſcopus cum Cappa, thurificandus eſt Celebrans, non verò Epiſcopus. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatia-*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*matiarum.* Vide num. 1. & alios ibi notatos.

411 In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia poſſunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantùm. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

412 Canonici Pluviali, Planeta, Dalmatica, vel Tunicella parati, non debent deferrre Almutias; Canonico verò Defuncto, induto Planeta, ſeu Dalmatica, vel Tunicella, imponi poteſt Almutia ſuper Brachium. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in una Dalmatiarum.*

413 Canonici quando Miſſam celebrant, de rigore uti poſſunt annulo aureo, ſed ſine gemma, & ſine aliqua effigie. S. R. C. 4. Aug. 1663. *in una Dalmatiarum.* Vide num. 192. 237. 450.

414 Canonici aſſiſtentes tenentur accipere birretum de manu Epiſcopi Cappa induti, & eidem reddere, non obſtante Decreto 3. Junii 1662 præcipiente per Cappellanum hujuſmodi implenda eſſe. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in Raguſina.*

415 In Cappella Palatii Epiſcopalis, abſente Epiſcopo, vel Sede vacante, poteſt Vicarius Generalis Miſſam celebrare, & in diebus Feſtis ipſam audientes adimplent præceptum Eccleſiæ. S. R. C. 2. Julii 1661. *in Biſuntina.*

Die verò 24. Novembris ejuſdem Anni *in Neapolitana* ſancitum fuit, non poſſe celebrari Miſſas, etiam pro Animabus Purgatorii, una hora poſt meridiem.

416 Archibresbytero Eccleſiæ, tanquàm Archipresbytero, & in functionibus Archipresbyteralibus, & ad ſe uti Archipresbyterum ſpectantibus, non competit uſus habitus Protonotarii. S. R. C. 24. Maji 1664. *in Taurinen.*

417 Protonotarius Apoſtolicus prima Dignitas alicujus Cathedralis, non poteſt cum habitu Protonotarii ſedere in Choro in ſuo ſtallo, ſed ſedere debet, ùt dicitur in libro Ceremoniali. S. R. C. 12. Julii 1664. *in Triventina.*

418 Recitantes ex conceſſione Officium de SS. Corpore Chriſti in quacunque Feria V. per annum, non impedita Feſto novem Lectionum, illud recitare debent, ùt in die ejuſdem ſollemnitatis, Miſſam verò ùt in Votiva. S. R. C. 12. Julii 1664. *in Romana Ord. Min. S. Franciſci de Obſerv.*

419 In Miſſis de Beatis, quæ ſub Ritu duplici majori celebrantur, non debet dici *Credo.* S. R. C. 12 Julii 1664. *in Romana Ord. Min. S. Franc. de Obſerv.*

420 Miſſæ celebratio in Eccleſia (ſeu Oratorio) ſita in Territorio, extra Mœnia alicujus Oppidi, non poteſt prohiberi, antequàm celebretur in Eccleſia Parochiali, & Matrice, non obſtante Decreto Epiſcopi in Synodo Diœceſana, aut quocumque alio, etiam in erectione Eccleſiæ edito, celebrationem hujuſmodi prohibente. S. R. C. 30. Auguſti 1664. *in Camerinen.* & 24. Januarii 1665. *in Nucerina.*

421 Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti celebranti in die Purificationis, in Feria IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab eodemmet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non verò flexis genibus. S. R. C. 30. Auguſti 1664. *in Sutrina.*

Inhærendo Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 17. num. 2. hoc Decretum intelligitur de Canonicis, & ideò non derogatur per aliud ſequens Decretum datum ſub num. 590.

422 Anniverſaria, & Miſſæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, poſſunt celebrari, & proinde in Decreto die 5. Auguſti 1662. edito, non com-

comprehenduntur. S. R. C. 22. Novembris 1664. *in Novarien.* approbante Alexandro VII. in ejus Bullario.

Hoc Decretum intelligitur de unica Miſſa de Requiem cantata, non verò de Miſſis privatis. Vide n. 396. 424. 430. 438 439. 483. 490.

423 Archipresbyter alicujus loci, & Eccleſiæ, quæ non habet Clerum, ipſo abſente, vel impedito, poteſt deputare in functionibus Parochialibus unum ex Cappellanis amovibilibus plurium Confraternitatum in ſua Eccleſia degentium ſibi benè viſum, non obſtante quòd alii Cappellani noviter inſtituti prætendant, ad ipſos, uti non amovibiles, ſpectare. S. R. C. 20. Junii 1665. *in Ariminen.*

424 In die, quo celebratur Feſtum duplex, etiam translatum, prohibetur Miſſa de Requiem, niſi ſit præſens Cadaver: Anniverſarium poteſt anteferri, immò debet, & in Feriis majoribus debent omnino cantari duæ Miſſæ; & Collectæ pro Defunctis non admittantur, niſi in Miſſis Feſtorum ſimplicium, & Ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in una Nullius Provinciæ Treviren.* Vide n. 422. & 438.

Hoc Decreto non permittitur poſſe coram Cadavere celebrari Miſſas privatas de Requiem, ſed unicam Miſſam tantùm cantatam, cùm clarè conſtet ex nonnullis reſolutionibus S. R. C.

425 Jus porrigendi, & dandi Aſperſorium Epiſcopo accedenti ad Cathedralem, privativè in omnibus functionibus ſpectat ad digniorem de Capitulo, non autem ad Vicarium. S. R. C. 31. Julii 1665. *in Marturanen.* Vide num. 61. & num. ibi notatos.

426 Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio quadraginta Horarum, vel Spiritualium Exercitationum, ſi accidat in Feſto primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſive in Dominica privilegiata primæ vel ſecundæ Claſſis, tunc in Collegiatis, vel duæ cantentur Miſſæ, una de Feſto, ſeu de Dominica poſt Tertiam, altera Votiva de Sacramento poſt Nonam, vel una cantetur de die cum commemoratione SS. Sacramenti. S. R. C. 13. Februarii 1666. *in Romana.*

Hæc regula obſervanda eſt etiam pro diebus, in quibus prohibetur fieri Officium de duplici, vel ſemiduplici.

427 In aſſignatione Miſſæ, & Evangeliorum, quæ debentur extra tempus Paſchale SS. Martyribus Stanislao Pontif. Petro, & SS. Nereo, & Achilleo, ſervandæ ſunt Rubricæ generales. S. R. C. 18. Septembris 1666. *in Romana.*

428 Celebrans, & Aſſiſtentes, in Veſperis, & Miſſa ſollemni, etiam in ſollemnitatibus debent ſedere in ſcamno, & non in ſede Camerali. S. R. C. 31. Julii 1665. *in Reginaten. in Calabria.*

429 Prima Dignitas in Cathedrali præcedit Vicario Capitulari, quia cùm hic habeat auctoritatem, & juriſdictionem à Capitulo, non debet præcedere primam Dignitatem, in qua Capitulum repræſentatur. S. R. C. 2. Aprilis 1667. *in Feretrana.* Vide num. 14. & n. ibi notatos, nec non num. 467.

430 Miſſæ de Feſto duplici celebratæ in Altari pro Animabus in perpetuum privilegiato, & in quo proinde etiam in duplicibus fiunt celebrandæ Miſſæ de Requiem ex obligatione, ſuffragantur, ac ſi celebratæ fuiſſent pro Defunctis juxta formam privilegiorum, ùt declaravit Alexander VII. in ſuo Brevi, quod incipit: *Credite nobis*, 22. Januarii 1667. Viden. 396 422. 439. 490. 622. 623. 624. 625.

431 Miſſa Votiva dum cantatur pro re gravi de aliquo Sancto, ſemper dici debet cum *Gloria*, & *Credo*, & cum colore, quo utitur in Feſto, cujus Miſſa cantatur. S. R. C. 13. Auguſti 1667.

*in una Civitatis Quenchæ.* Vide num. 58. 401. 462. 606.

432 Intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Eccleſia, non licet exponere Tabellam ſuper januam ipſius Eccleſiæ, cum inſcriptione: *Indulgenza per li Morti*; ſed tantùm ſuper ipſo Altari privilegiato conſuetis verbis: *Altare privilegiatum pro Defunctis.* S.R.C. 13. Auguſti 1667. *in Romana.*

433 Miſſæ plures non poſſunt celebrari in Cappellis privatis nobilium à Sacerdotibus Regularibus. S. R. C. 23. Februarii 1661. *in Januen.*

434 Sacerdos Secularis, ſive Cappellanus, ſive non, qui recitavit Officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, illo die celebrans in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eadem die Officium duplex de non præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere Miſſam de Requiem. S. R. C. 9. Junii 1668. *in Converſana.* Vide n. 558. 559. 560. 561. 562.

435 Miſſa S. Crucis, non debet ullo modo celebrari die Veneris infra Octavam Nativitatis D. N. J. C. non obſtante quacunque prætenſa conſuetudine illam celebrandi ſingulis diebus Veneris infra Annum, & ſignanter infra Octavam ſupradictam. S. R. C. 12. Januarii 1669. *in Florentina.*

436 Quando adeſt Legatum, quòd Sacerdos, antequàm diſcedat ab Altari, recitet aliquod Evangelium, Pſalmum, ſeu Orationem poſt terminatam Miſſam, debet oneri ſibi injuncto ſatisfacere poſt finem Miſſæ, exutis veſtibus Sacerdotalibus, & cum ſola Cotta in Altari, vel in Sacriſtia, & ſic Legatum adimplere. S R. C. 31. Auguſti 1679. *in Converſana.*

437 Miſſa Immaculatæ Conceptionis B. M. V. & continuatio qualibet die Sabbati ex particulari Populi devotione, & ex quo ſit Patrona loci, non conceditur, ſed ejus loco permittitur Miſſa de S. Maria in Sabbato; dummodò non ſit impedita ab aliis Feſtis duplicibus, ſeu ſemiduplicibus. S. R. C. 20. Julii 1669. *in Alexanen.*

438 Anniverſaria, & Miſſæ de Requiem, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum, cum cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum obitus inciderit in Feſto duplici majori. S. R. C. 20. Julii 1669. annuente Clemente IX. die 13. Auguſti ejuſdem Anni, in Decreto generali. Vide num. 396. 422. & alios ibi notatos.

439 Privilegium Alexandri VII. die 22. Januarii 1667. circa Miſſas de Feſto duplici in Altaribus perpetuò privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad Altaria, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus privilegiata: ac proinde Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur, ita ut animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent. S. R. C 20. Julii, annuente Clemente IX. 13. Auguſti 1669. & in ſuo Brevi, quod incipit *Cum felicis record.* 23. Septembris ejuſdem Anni confirmatur. Vide etiam num. 396. 421. 430. 622. 623. 624. 625.

440 Miſſa B. M. V. ſub Invocatione ſeptem Dolorum Feria VI. infra hebdomadam Paſſionis ab iis, qui gaudent hujuſmodi Indulto, debet recitari cum *Gloria Patri* ad Introitum, & cum Pſalmo *Judica me Deus* ad Confeſſionem, ſed ſine *Gloria in Excelſis.* S. R. C. 31. Auguſti 1669. *in Tornacen.*

Præ-

Præfata Miſſa à Benedicto XIII. die 21. Auguſti 1727. demandata fuit cum Officio ſub Ritu duplici majori pro Eccleſia univerſali, in qua Miſſa dicitur *Gloria Patri* ad Introitum cum Pſalmo *Judi a me Deus* ad Confeſſionem, cum *Gloria in Excelſis*, & *Credo*. In aliis tamen diebus etiam ejuſdem hebdomadæ Paſſionis, quando celebratur hæc Miſſa uti votiva, debet quidem ad Introitum dici *Gloria Patri &c.* nec non ad Pſalmum *Judica me Deus*, licèt omittatur Hymnus Angelicus *Gloria in Excelſis*, qui dicitur ſolùm in Sabbato, ſemper verò ſine Symbolo.

441 Præcedentia debetur Coadjutori Canonici Ordinis Presbyteralis, non adhuc Sacerdoti, ſed in Minoribus Ordinibus tantùm conſtituto, & pro ſuo Coadjuto Eccleſiaſticis functionibus, & Choro intereſſenti; Canonici quoque Ordinis Diaconalis, in Minoribus Ordinibus, vel in Sacro tantùm Diaconatus Ordine conſtituti, debent præcedere Canonicis Ordinis Subdiaconalis in Presbyteratus Ordine conſtitutis. S. R. C. 31. Maji 1670. *in Æſina*. Vide n. 14. & alios ibi indicatos.

442 Infra Octavam SS. Corporis Chriſti prohibentur Miſſæ votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S. R. C. approbante Clemente X. 21. Junii 1670. Vide num. 448.

443 Miſſam in Altari Majori, ubi eſt expoſitum publicè SS. Sacramentum, non licet celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſunt alia Altaria, in quibus celebrari poſſit. S. R. C. 9. Auguſti 1670. *in Bononien.*

444 Miſſæ Defunctorum non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670. *in Oritana.*

445 Protonotarius ſimplex Sacerdos, ſi vult præcedere aliis Sacerdotibus antiquioribus ſimplicibus, quoad Ordines, & ætatem, debet incedere in habitu Protonotarii, ſecus nulla eidem præcedentia debetur. S. R. C. 13. Septembris 1670. *in Vintimilien.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

446 Archidiacono primæ Dignitati non licet, ſive in præſentia, ſive in abſentia Epiſcopi, uti pulvinari ſerico, ſed coriaceo tantùm. S. R. C. 13. Septembris 1670. *in Beneventana.*

In qua, eadem die ſancitum fuit, quòd quando à Choro cantatur Symbolum in Miſſa, non poteſt à Celebrante proſequi Offertorium, ſed debet expectari, donec terminatum fuerit Symbolum, de quo vide etiam n. 510.

447 Prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia; & omnibus Dignitatibus impeditis, vel abſentibus, primus Canonicus id exequatur. S. R. C. 29. Novembris 1670. *in Senen.*

448 Miſſæ cantatæ Mortuorum infra Octavam Corporis Chriſti, non ſunt celebrandæ, niſi præſente Corpore. S. R. C. 12. Septembris 1671. *in Nuſcana.* Vide 442. 526.

449 Functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ſunt Feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis B. M. V. Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, Tituli ejuſdem Eccleſiæ, Patroni Civitatis, nec non Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, Diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio Officii Feriæ V. in Cœna Domini, Feriæ VI. in Paraſceve, Feſtum Paſchatis Reſurrectionis D. N. & dies ſollemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione. S. R. C. 3. Decembris 1672. *in Andrien.*

450 Protonotario Apoſtolico in celebratione Miſſæ non licet deferre annulum in digito. S. R.

S. R. C. 3. Martii 1674. *in Baren.* Vide n. 192. 236. 413.

451 In exequiis Parvulorum in Feria V. & VI. & Sabbato Majoris hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri* in Pſalmis qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. Januarii 1677. *in Hiſpalen.*

452 Ad Benedictionem ſollemnem Epiſcopi omnes, etiam Magiſtratus Civitatis, tenentur genuflectere, præter Dignitates, & Canonicos Cathedralis. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Ferentina*, & 23. Martii 1641. *in Imolen.*

453 Miſſa aſſignata Feſto Conceptionis B. M. V. pro Fratribus Minoribus, non poteſt dici per annum, uti votiva, etiam in Sabbatis. S. R. C. 30. Septembris 1679. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

Ex Rubricis ſparſim in corpore Miſſæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Miſſali Fratrum Minorum ab Innocentio XII. denuo approbatis, apparet, eandem Miſſam, uti votivam, ab ipſis recitari poſſe per annum.

454 In aſperſione aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis fit à Sacerdote, Alba, & Stola induto, vel etiam cum Pluviali immediatè celebraturo Miſſam Conventualem, Stola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non verò pendens à collo ad utrumque latus. S. R. C. 30. Septembris 1679. *in una Cappuccinorum.*

455 Sacerdotes in die Cœnæ Domini, SS. Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre Stolam, vel ante pectus, vel à collo pendentem. S. R. C. 30. Septembris 1679. *in una Cappuccinorum.*

456 In Proceſſionibus SS. Sacramenti, quæ occaſione quadraginta horarum fiunt per Eccleſias, debent proceſſionaliter incedentes ante Sacramentum, in occurſu, & tranſitu à latere ejuſdem, facere genuflexionem, dummodò in tranſitu videatur. S. R. C. 1. Martii 1681. *in una Canonicorum Regular. Lateranenſium.* Vide n. 11, 178.

457 In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quòd ſi pulſatur, & advertatur Elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento, progrediendum eſt. Similiter ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Mart. 1681. *in una Canon. Regular. Lateranen.* Vide num. 11, 178.

458 In nocte Nativitatis Domini non poſſunt dici tres Miſſæ privatæ immediatè poſt decantatam, circa quod adeſt Decretum tenoris ſequentis: *in Lucana.* Inhærendo aliis Reſolutionibus, circa celebrationem trium Miſſarum in nocte Natalis Domini aliàs editis, & ſignanter ſub die 7. Decembris 1641. iterum declaravit S. R. C. non eſſe permittendum uſum introductum à nonnullis Canonicis, & Presbyteris Eccleſiæ Cathedralis Civitatis Lucanæ, celebrandi tres Miſſas privatas immediatè poſt decantatam Miſſam ſollemnem in media nocte Natalis Domini, ſed omnino prohibendum. Hac die 22. Novembris 1681. *in Lucana.* Idem decrevit 15. Septembris 1668. *in Januen.* Vide num. 282. 487.

459 Qui habent Privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, occurrente die infra Octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana.*

460 In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent Privilegiati dicere Miſſam Conventualem de Feria currente cum Commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. S. R. C. 24. Januarii 1682. *in Marſicana.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

461 Regulares tenentur celebrare ſub Ritu duplici primæ Claſſis Feſtum de Patrono principali Loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, Patroni principalis Regni, vel Provinciæ, ſed ad Octavam non tenentur. S. R. C. 20 Martii 1683. *in una Ordinis Minorum de Obſervantia.*

462 Receptio ad habitum, & ad profesſionem religioſam, ſub re gravi numerari non poteſt, ut ex conſuetudine cantari poſſit Miſſa votiva ſollemnis, etiam de Spiritu Sancto in Dominicis, vel duplicibus, & hic abuſus omnino eſt derogandus. S. R. C. 24. Julii 1683. *in Ruremunden.* Vide num. 8. 237. 401. 431. 478. 606.

463 Miſſæ votivæ de SS. Sacramento, vel de B. M. V. in cantu fundatæ, dici non poſſunt in duplicibus, aliiſque diebus duplicia excludentibus; ſed cantari debent Miſſæ de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta Decretum editum die 19. Maji 1614. ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, declaravit S. R. C. 24. Julii 1683. *in Ruremunden.* Vide num. 144.

464 In Proceſſionibus, quæ fiunt cum interventu Capituli Cathedralis, Præcedentia debetur Beneficiatis ejuſdem ſupra Parochos. S. R. C. 2. Octobris 1683. *in Taurinen.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

Hoc Decretum ita intelligitur, quando Parochi non ſunt de gremio illius Capituli; ſecus verò ſi Parochi habent ſtallum in Choro, & ſunt de gremio illius Capituli, ùt declaravit S. R. C. 21. Auguſti 1688. *in Biſuntina.*

465 Vicario Foraneo ratione ſui Vicariatus nulla debetur præcedentia, ſeu præeminentia, & ad Præpoſitos forenſes ſpectat præcedentia, ſuper Vicarios foraneos in Proceſſionibus, ſeſſionibus, & aliis actibus fieri ſolitis, occaſione Synodi Diœceſanæ. S. R. C. 11. Mart. 1684. *in Papien.* Vide num. 14. & alios ibi notatos, præſertim num. 480.

466 Vicario Apoſtolico, in omnibus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis functionibus, debentur tantùm illæ prærogativæ, quibus gaudent Vicarii Generales Epiſcopi, & titulus *Illuſtriſſimi* Vicario Apoſtolico non debetur. S. R. C. 12. Auguſti 1684. *in Spoletana*, & 12. Auguſti 1684. *in Imolen.*

467 Vicario Generali debetur primus, & dignior locus, ac præcedentia ſupra primam, & omnes alias Dignitates, & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, tam in Choro, quàm in Proceſſionibus, & aliis functionibus Eccleſiaſticis. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in Meliten.* Vide num. 14. & alios ibi notatos, & vide n. 429.

468 Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet Inſignem Reliquiam in propria Eccleſia; ſi celebrat eo die in alia Eccleſia, debet omittere *Credo.* S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonicorum Regularium Lateranen.*

469 Clerus, qui habet Indultum recitandi Officia Sanctorum, quorum Inſignes Reliquiæ aſſervantur in aliena Eccleſia, quæ habet Clerum ſeparatum, in Miſſis non debet dicere *Credo.* S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regular. Later.*

470 In Miſſis votivis privatis, de SS. Sacramento, & de Officio duplici, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi adeſt SS. Sacramentum expoſitum occaſione quadraginta horarum, non dicitur *Credo*, niſi aliter competat Miſſæ Officii duplici de die. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Later.*

Idem ſtatuitur in Inſtructione Clementis XI. pro expoſitione SS. Sacramenti occaſione Quadraginta horarum §. 10.

*Gavant. Rubr. Miſſ.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

471 In Miſſa privata de Sancto duplici, vel ſemiduplici, de quo tali die fit Officium, poteſt quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento expoſito occaſione Quadraginta horarum, ſed omittenda in Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canon. Regular. Later.* Vide num. 219.

472 Durante expoſitione SS. Sacramenti occaſione Quadraginta horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa privata de *Requiem*, licet occurrat Officium hujusmodi Miſſas admittens: neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive Anniverſario ſatisfaciendo. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regular. Later.* Vide num. 20. & alios ibi notatos.

473 In Miſſa privata de Feſto ſemiduplici, ſimplici, ſeu votiva, vel de infra Octavam, ſive de Feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, putà: *Inclina*, vel *Deus, qui nos Patrem &c.* & ſimilia, ſed ob id non eſt omittenda ulla ex Collectis pro tempore aſſignatis, putà: *A cunctis*, vel *Eccleſiæ.* S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regular. Lateran.*

474 Qui in Sabbato infra aliquam Octavam B. M. V. recitat Officium de aliquo Sancto, eo die occurrente, volens celebrare Miſſam votivam de B. V. tenetur quidem dicere Miſſam feſtivam cum *Gloria*, ſed ſine *Credo* S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Lateran.*

475 Qui in Sabbato recitat Officium de B. M. volens celebrare Miſſam votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neque *Præfationem* B. M. V. ſed communem. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.* Vide num. 608.

476 Non eſt omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſſa, veluti tertia *A cunctis*, ſi ſecunda eſſet de Feſto ſimplici, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus Refugium*; ſed poſt tertiam Orationem *A cunctis*, poteſt & imperata dici, cùm in Miſſa de ſemiduplici, vel ſimplici, vel votiva, non ſint neceſſariò dicendæ Collectæ impares, putà tres, quinque, vel ſeptem. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.*

477 In Exequiis poſt abſolutionem, quæ fit ſupra Cadaver in die obitus, vel ſupra Tumulum in die Anniverſario, dicto ℣. *Requieſcant in pace*, ſubjungi debet: *Anima ejus, & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace*; ſed ſuper lecticam, ſeu caſtrum doloris, in commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, nihil eſt ſuperaddendum. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canonic. Regul. Lateran.*

478 In Eccleſiis B. M. V. dicatis, ſeu aliis Sanctis, ubi adeſt immemorabilis conſuetudo cantandi Miſſam votivam de B. M. V. ſingulis Sabbatis, licitè continuari poteſt, etiamſi occurrat Officium duplex, dummodò non omittatur ſuo tempore Miſſa Conventualis. S. R. C. 2. Decembris 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.* Vide n. 273.

479 In Miſſa Patroni minùs principalis non debet dici *Credo.* S. R. C. 2. Decembris 1684. *in Beneventana*, & 15. Septembris 1691. *in Licien.* in qua declaratum fuit, particulam *Patroni* intelligendam eſſe de Patrono principali tantùm, nec extendi poſſe ad minùs principales, & ideò in horum Miſſa non eſſe dicendum Symbolum.

480 Vicarii foranei in functionibus Eccleſiaſticis, nimirum Miſſis, Veſperis, & Proceſſionibus, ſeſſionibus locorum, aliisque ſimilibus, non debent præcedere Archipresbyteris, aliisque Curatis Parochialium. In Congregationibus verò caſuum conſcientiæ, quæ ſolent fieri, debent præcedere ſupra omnes, etiam Archipresbyteros. S. R. C. 10. Febr. 1685. *in Imolen.*

Vide num 14. & alios ibi notatos, præſertim num. 465.

481 Præceptum, quòd in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſint ſucceſſivè aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec Communio exhiberi Euchariſtica Fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares, tum Ordinum Mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum etiam Patres Societatis Jeſu, tum omnes cujuſcunque alterius Inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neque poſſunt excipi in Eccleſia Confeſſiones, maximè mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat Aurora, tam pro Confeſſionibus mulierum excipiendis, quàm pro Euchariſtia miniſtranda Fidelibus utriuſque ſexus. S. R. C. 23. Martii 1686. *in Senen.* Vide n. 282. 458. & 15. Septembris 1668. *in Januen.*

482 Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Proceſſionibus per Civitates, & Oppida, non debent deferri ſub Baldacchino. S. R. C. 23. Martii 1686. *in Calaguritana.* Vide num. 163. 230. 264. 585.

483 Anniverſaria, ſive Miſſæ quotidianæ cantatæ de Requiem, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis diebus, hisque impeditis die Dominico, ſeu alio Feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Feſto duplici majori, non tamen de præcepto, præcipuè de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici minori occurrente, quatenus adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canonicorum Regul. Later.* Vide num. 20. & alios ibi notatos.

484 Cum primum accipitur nuntium de obitu in loco diſſito alicujus, poteſt cantari Miſſa de Requiem, ut in die obitus, pro ejus Anima, in Feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citiùs ſuffragetur Animæ Defuncti, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici, quatenus adſit obligatio. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canonic. Regul. Later.*

485 In Anniverſario tranſlato ob Feſtum de præcepto non variari debet Oratio: *Cujus Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, ſed recitanda, ùt in Miſſali. S. R. C. 4. Maji 1686. *in una Canonic. Regul. Later.* Vide num. 20. & alios ibi notatos.

486 Quando in Miſſa ſollemni Concionator poſt Salutationem Angelicam, ſalutat Miniſtros Altaris, ſeu facit reverentiam, non eſt incongruum, ſi Miniſtri Altaris, & ipſe Celebrans correſpondeat ſalutationi Concionatoris diſcooperiendo caput. S. R. C. 20. Julii 1686. *in Angelopolitana.*

487 In Natali Domini in tribus Miſſis poſt ſumptionem Sanguinis, eundo, & redeundo in medium Altaris, non eſt facienda genuflexio, vertendo ſe Celebrans ad *Dominus vobiſcum*, & ad dandam benedictionem debet renes vertere ad Altare, licèt ſpecies vini non ſint exſiccatæ in Calice, & ſerventur Rubricæ Miſſalis Romani de Ritibus ſervandis in celebratione Miſſarum 11. & 12. num. 2. S. R. C. die 20. Julii 1686. *in Angelopolitana.* Vide num. 537.

488 In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, poteſt fieri Officium de Feſto duplici minori, etiam tranſlato, ſed Miſſæ privatæ ſunt celebrandæ de Requiem. S. R. C. 5. Octobris 1686. *in una Urbis.* Vide num. 536. 543. 683.

His Decretis non derogatur per alterum num. 631. ob peculiarem inſpectionem ibi expoſitam.

489 Vicario Generali in functionibus Eccleſiaſticis, in Choro, Proceſſionibus, Synodo, & aliis actibus publicis, & privatis, competit præcedentia ſupra Capitulum

tulum Cathedralis. S. R. C. 13. Martii 1688. *in Lauden.* Vide num. 14. & ibi notatos.

Decreta Alexandri VII. & Clementis IX. (de quibus num. 430. & 438.) circa Miſſas Defunctorum in Altaribus pro Animabus privilegiatis non celebrandas, occurrente Feſto duplici, explicantur ab Innocentio XI. in ſuo Brevi, quod incipit: *Alias poſtquàm*, & deinde à Clemente XI. ùt videre eſt numer. 622. & ſeq.

490 Occurrente Feſto S. Marci die Dominico, in Miſſa Rogationum non dicitur *Credo*, quia eſt Miſſa Ferialis. S. R. C. 25. Septembris 1688. *in Mutinen.* Vide num. 18. & alios ibi notatos.

491 Quando occaſione belli contra Turcas dicitur Collecta, vel Miſſa contra Paganos, non poteſt mutari nomen *Paganorum*, dicendo *Turcarum*, vel *Hæreticorum*, S. R. C. 30. Julii 1689. & 4. Aprilis 1626. *in Egitanien.*

492 Canonici Sacerdotes, quamvis poſſeſſione Canonicatus poſteriores, ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſemper, & ubique præferendi ſunt Canonicis inferioris Ordinis, etiam poſſeſſione Canonicatus anterioribus, non obſtante immemorabili conſuetudine, quam abuſum impræſcriptibilem eſſe declaravit S. R. C. 30. Julii 1689. *in Sutrina.* Vide num. 14. & ibi notatos.

493 Vicario Generali, quotidiano habitu induto, ſive ſi ſit Protonotarius, cum Rocchetto, & Mantelletto, danda eſt præcedentia ſemper, & ubique, ſuper omnes Dignitates, & Canonicos, ſacris veſtibus non indutos. S. R. C. 30. Julii 1689. *in Iſolana.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

494 In Proceſſione ſollemni SS. Corporis Chriſti, quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Subdiaconus, & Diaconus non debent ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus, etiamſi deferantur ad ornatum tantùm. S. R. C. 22. Januarii 1690. *in Hiſpalen.* Vide num. 8. & ibi notatos.

495 In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat Feſtum Annunciationis B. M. V. celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis, tam publicis, quàm privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed unica tantùm Miſſa Conventualis, unà cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur. S. R. C. 21. Februarii, approbante Alexandro VIII. 11. Martii 1690. Vide num. 188. 501. 504.

496 Vicario Generali nunquam competit præcedentia ſupra Canonicos ſacris veſtibus indutos, neque in Choro, neque in Proceſſionibus, nec competit uſus ſacrarum veſtium, niſi ſit de gremio Capituli, & eo caſu ſtare debet in loco ſuæ receptionis, juxta aliàs reſoluta. S. R. C. 2. Decembris 1690. in *Adjacen.* Vide num. 14. & ibi notatos.

497 In Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel lignum Crucis, tam Clerus, quàm Seculares detecto capite incedere debent; in aliis verò Proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel ſtatuæ Sanctorum, tunc Seculares, & Eccleſiaſtici, qui eas deferunt, detecto capite, alii verò Clerici poſſunt incedere tecto capite, cum birreto; quando verò non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar Cleri, poteſt incedere capite cooperto. S. R. C. 2. Septembris 1690. *in Cajetana.* Vide num. 8. & ibi notatos.

498 Officia Sanctorum, ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis; & dummodò conſtet de identitate Corporis, ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui repetitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à

S, Sede

S. Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, non obſtante quòd ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur; quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (proùt hactenus ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis. S.R.C. 11. Auguſti in Decreto generali ab Innocentio XII. approbato 19. Octobris 1691. prout in ejus particulari Bullario. Vide num. 163. 230.

499 Concionator, abſente Epiſcopo, debet priùs ſalutare Canonicos Cathedralis in apparatu Chorali capitulariter ſedentes, & deinde Gubernatorem Secularem Civitatis. S. R. C. 11. Auguſti 1691. *in Vercellen. Salutationis.*

500 Canonici ſemper, & quandocumque, tenentur in Miſſis ſollemnibus, & Conventualibus, quæ à Dignitatibus, & ab ipſis cantantur per gyrum, præcipuè in diebus Feſtis, ex obligatione Capitulari, aſſiſtere ſibimetipſis gradatim in miniſterio Subdiaconi, & Diaconi, nec poſſunt ſubſtituere alios ſimplices Sacerdotes non de gremio Capituli, ad exercendum Officium Subdiaconi, & Diaconi, in hujuſmodi ſollemnium Miſſarum celebrationibus, etiam aſſiſtente Epiſcopo, non obſtante quacunque antiqua conſuetudine. S. R. C. 15. Septembris, & 15. Decembris 1691. *in Sarnen.* quod pariter 14. Junii 1692. fuit demandatum *in una Biſuntina.*

501 Si Feſtum S. Joſeph occurrat in Feria V. majoris hebdomadæ, ejus Officium transferendum erit ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sac. Congregationis; cæterùm præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V. adeoque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ, ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ, pro præcepti adimplemento non deſint; ſed tamen proptereà antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſollemni illius diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur. S. R. C. 13. Septembris 1692. & habetur in Bullario particulari Innocentii XI. Vide num. 495. 504. 632.

502 Si Officium, & Miſſa de aliquo Sancto celebrentur in Cathedrali, vel Matrice, ſeu Parochiali, propter inſignem Reliquiam, quæ ibi aſſervatur, non poteſt celebrari per Civitatem, ſed in ipſa ſola Eccleſia, ex Decreto Sac. Congregationis contra abuſus edito 8. Aprilis 1628. & impreſſo in Miſſali, & Breviario Romano. Si autem Officium conceſſum ſit univerſo Clero Civitatis de aliquo Sancto, cujus inſignis Reliquia aſſervatur in Cathedrali, vel Matrice, ſeu Parochiali, tunc Miſſa cum Symbolo celebranda eſt in ipſa Eccleſia tantùm; in aliis verò Eccleſiis ſine Symbolo, ex Rubrica Miſſalis Romani 11. de Symbolo, juxta Decretum 2. Decembris 1684. *in una Ordinis Canonicorum Regul. Lateran.* S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.*

503 Ubi eſt Confraternitas SS. Sacramenti, quando in una Dominica cujuslibet Menſis fit proceſſio intra, vel extra Eccleſiam, cum Sanctiſſimo Sacramento, debet dici Miſſa de Dominica. S. R. C. 19. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide n. 8. & ibi notatos.

504 Quando Feſtum Annunciationis B. M. V. occurrit in Sabbato Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt, & Feſtum Annunciationis transferendum eſt ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tanquam ad diem propriam, & fixam, juxta Decretum 11. Februarii, & 11. Martii 1690. Quando verò occurrit in Feria V. in Cœna Domini, ſervandum eſt Decretum generale pro Feſto S. Joſeph editum 13. Septembris 1692. S. R. C. 11. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide num. 501. & alios ibi datos.

505 Miſſæ privatæ de Requiem, Corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis à Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tanquam abuſum abolendam, juxta diſpoſitionem Rubricæ V. Miſſalis Romani de Miſſa Defunctorum num. 2. in fine, & Decreta Sac. Congregationis, & ſignanter Generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide num. 16. 69. & alios notatos.

506 In Miſſa ſollemni de Feria Commemoratio non eſt facienda de Sancto ſemiduplici occurrente, cujus Miſſa pariter cantanda eſt abſque Commemoratione Feriæ, & in utriſque Miſſis tempore Paſſionis dicenda eſt tantùm ſecunda Oratio *Eccleſiæ, vel pro Papa*, ùt docet Gavantus. In Miſſis autem privatis de Feſto ſemiduplici, cùm ſit clara diſpoſitio Rubricæ IX. de Oration. num. 5. dicenda eſt ſecunda Oratio de Feria, 3. *Eccleſiæ, vel pro Papa*; De ſimplici verò facienda eſt Commemoratio juxta eandem Rubricam. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide num. 375. 614. 700.

507 Si in die S. Marci, poſt Proceſſionem in Eccleſia Minori, ſeu non Collegiata, cantetur unica Miſſa, ipſa debet eſſe de Rogationibus, & ſervanda eſt Rubrica Miſſalis Romani poſita ante Miſſam Feſti Sancti Marci, ubi præſcribitur, quòd de prædicto Sancto cantanda eſt Miſſa tantummodò, quando Proceſſio terminatur ad Eccleſiam eidem Sancto dicatam, quemadmodùm cavetur in Ceremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 32. Et decrevit S. Congregatio 23. Maji 1603. & aliàs pluries. S. R. C. 10. Januarii 1693. *in una Galliarum.* Vide num. 18. & alios ibi notatos.

508 Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt jejunium, quod non poteſt anticipari ratione Carnis-Privii. S. R. C. 23. Januarii 1694. *in Ariminen. & una Decretum.*

509 Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum Infirmis, non eſt licitum, de die, neque de nocte, uti parvo Pileolo in delatione ejuſdem per Civitatem, ſub prætextu alicujus infirmitatis, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia. S. R. C. 13. Auguſti 1695. *in una Urbis.*

510 Sacerdos, qui celebrat Miſſam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non poteſt eam proſequi eo tempore, quo à Choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. Decembris 1695. *in Januen.*

Idem ſtatutum fuit die 13. Septembris 1670. *in Beneventana*, ùt videre eſt n. 446.

511 In Eccleſiis, in quibus, occaſione Quadraginta horarum, expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentiùs abſtinendum eſt à celebratione Miſſarum Defunctorum, etiam ſi ex præſcripto Teſtatorum eſſent celebrandæ. S. R. C. 27. Aprilis 1697. *in Eugubina.*

512 Evangelium pro ſollemni benedictione Palmarum, à Sacerdote celebrante abſque Diacono, & Subdiacono, canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 27. Aprilis 1697. *in Eugubina.*

513 Diaconus miniſtrans thus Canonico celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, & non *Pater Reverendiſſime.* S. R. C. 4. Aprilis 1699. *in una Burgi S. Sepulchri.*

514 In Vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ Defunctorum. S.R.C. 1697. *in Panormitana.* Vide n. 607. 635. 651.

515 In Eccleſiis, tam Parochialibus, quàm non Parochialibus, ubi deeſt numerus Cantorum, non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata, loco ſollemnis, ut in eiſdem Eccleſiis fiat benedictio, tam Luminis, & Cerei, quàm Aquæ, attentis maximè Decretis 11. Februarii, & 11. Martii 1690. prohibentibus celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantùm Miſſam Conventualem unà cum Officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibus. S. R.C. 13. Julii 1697. *in Januen.*

Benedictus verò XIII. juſſit in omnibus Parochialibus fieri debere omnes functiones ſollemnes, etiam ſine numero Cantorum, & miniſtrorum, & parvum Ceremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit anno 1725. ac ſervari mandavit diebus Purificationis B. M. V. Feria IV. Cinerum, Dominica Palmarum, Feria V. in Cœna Domini, Feria VI. in Paraſceve, & Sabbato Sancto.

516 Benedictio Aquæ in Sabbato S. etiam ſine infuſione Olei Sancti, fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem, quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii 1697. *in Januen.*

517 In Eccleſiis permittuntur Altaria tantùm antiqua Sanctis veteris Teſtamenti Prophetis dicata. S. R. C. 3. Auguſti 1697. *in Imolen.*

518 In depoſitione Defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo:* quando eſt Mulier, aut plures ſunt Defuncti, non poſſunt verba *Servo tuo*, immutari in *Serva tua*, vel *Servis tuis*, abſque Sacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R. C. 31. Auguſti 1697. *in Fanen.*

519 Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur Fer. VI. in Paraſceve, incenſandi iterum SS. Sacramentum poſt incenſationem Oblatorum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cùm ſit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Auguſti 1697. *in Panormitana.* Vide num. 535.

520 Ante Verſiculum, qui dicitur Communio, cooperiendus eſt Calix velo in anteriori parte, prout ante Confeſſionem. S. R. C. die 1. Martii 1698. *in Pragen.*

521 Si in Feria III. Rogationum occurrat Feſtum ſimplex in Cathedralibus, & Collegiatis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

522 In abſolutione in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, non eſt dicenda tota Concluſio in Oratione. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

523 In expoſitione, & depoſitione SS. Sacramenti, etiam cauſa devotionis non eſt addendum Alleluja ad ℣. *Panem de Cœlo.* S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

Hoc Decretum non comprehendit tempus Paſchale, & Octavam Corporis Chriſti, tunc enim addendum eſt ad prædictum ℣. *Alleluja.*

524 In Anniverſario, occurrente in Feſto duplici ſecundæ Claſſis, non poteſt cantari Miſſa de Requiem. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide num. 20. & alios ibi notatos.

525 In duplicibus primæ Claſſis, etiam præſente Corpore, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, & multò minùs dicenda eſt una Miſſa privata, deficientibus Clericis in Choro. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

526 Infra Octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, & Officio ſollemni. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide num. 448.

527 In die Anniverſarii, & depoſitionis, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum loco Con-

Conventualis. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide num. 198. 604.

528 In Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, in quibus fit de duplici primæ Claſſis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

529 Si Anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſſa, ùt in Anniverſario. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 20. & alios ibi notatos.

530 Occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchatis, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum *Credo*, S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.* Vide n. 18. & alios ibi notatos.

531 Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſollemni, data neceſſitate, poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus, ad cantandam Epiſtolam, paratus abſque Manipulo. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

532 Sacerdos Miſſam celebraturus, tranſiens ante Altare, ubi fit Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quouſque terminetur Communio. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

533 In Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, quæ habet privilegium recitandi Officium novem Lectionum qualibet hebdomada non impedita, non poteſt cantari unica Miſſa Feriæ, cùm Commemoratione Officii currentis novem Lectionum, quando eo die occurrit Feria quæ habet Miſſam propriam. S.R.C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

534 Poteſt permitti, quòd Hebdomadarius, aut alius Canonicus, poſt Proceſſionem in Feſto alicujus Sancti, ſtans ad Altare majus, benedicat Populum, habens tantùm Superpelliceum, & Stolam, ſicùt in aliis Proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ Reliquiæ cum Alba, Stola, & Pluviali. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Collen.*

535 In Feria VI. Paraſceves Thurificanda ſunt oblata; ſed poſt thurificationem Oblatorum, non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis; ſed Crux, & Altare thurificanda ſunt eo protſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante Sanctiſſimum Sacramentum. S. R. C. 5. Julii 1698. *in Panormitana.* Vide n. 519.

536 In die Commemorationis omnium Defunctorum, in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ubi quotannis occurrit dies octava Dedicationis Eccleſiæ, Miſſæ privatæ dicendæ ſunt de Requiem, & cantandæ ſunt duæ Miſſæ Conventuales, una ſcilicet de die Octavæ poſt Tertiam, & altera de Requiem poſt Nonam, juxta Rubricas. Quando verò dies Octavæ incidit in Dominica, omnes Miſſæ ſunt celebrandæ de die Octavæ; & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum transferatur in diem ſequentem. S. R. C. 27. Septembris 1698. *in una S. Germani Montis Caſſini.* Vide n. 488. 543. 683.

Per hæc Decreta non derogatur alteri n. 631. ob ſpeciale motivum, ibi indicatum.

537 In tranſeundo de una ad alteram partem Altaris in prima, ſecunda, & tertia Miſſa Nativitatis Domini, ſerventur Rubricæ Miſſalis, quæ nullam præſcribunt genuflexionem ante Calicem eſſe faciendam. S. R. C. 2. Auguſti 1698. *in Veneta.* Vide num. 487.

538 In expoſitione SS. Sacramenti, cantatis, ſeu recitatis Verſiculis: *Panem de Cœlo &c.* Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem, antequàm recitet Orationes. S. R. C. 2. Auguſti 1698. *in una Urbis*, & 6. Septembris 1698. *in Ravennaten.*

539 Pyxis, in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum Infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S.R.C. 21. Mart. 1699. *in Bergomen.*

540

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

540 Dignitatibus, ſeu Canonicis in Choro non debetur thurificatio triplici, ſed duplici tantùm ductu, non obſtante quòd ibi, omiſſis diſtributionibus, Perſona habens dignitatem, vel Canonicatum, incedat cum habitu Protonotarii in Choro. S. R. C. 21. Martii 1699. *in Cavallicen. Inſulæ.* Vide num. 1. & alios ibi notatos.

541 Non poſſunt Canonici in celebratione Miſſæ uti Palmatoria, vulgò *Bugia.* S. R. C. 11. Julii 1699. *in Vicentina.*

542 Dignitates nunquam debent Canonicis celebrantibus inſervire. S. R. C. 3. Octobris 1699. & 11. Junii 1701. *in Gerunden.*

543 Occurrente duplici minori, ſeu translato in die Commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ verò celebrandæ ſunt de Requiem. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

Vide n. 488. 536. 631. 683. quæ quidem Decreta firma remanent, non obſtante Decreto, quod datur infrà ſub n. 631. per quod, ubi ob particularem inſpectionem inſignis Reliquiæ illius Sancti, hujus Officium celebratur ſub Ritu duplici, & debet etiam dici *Credo* in Miſſa, quod redolet aliqualem ſolemnitatem, declaravit S. R. C. tale Feſtum eſſe transferendum, non verò celebrandum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

544 In Feſto translationis Patroni Principalis Cathedralis ſub Ritu duplici majori, non poteſt in Miſſa dici Symbolum, nec in ipſa Eccleſia Cathedrali, neque per totam Diœceſim. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

545 In Feſtis SS. Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, quæ celebrantur ſub Ritu duplici majori, non eſt dicendum Symbolum in Miſſa, ſed ſerventur Rubricæ generales Miſſalis Romani capite xi. de Symbolo. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.*

546 In Eccleſiis Parochialibus Ruralibus, in quibus per Annum plerumque unus tantùm Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſſa *de Requiem*, quando Anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente obitus die, incidunt in Feſtum duplex majus; Non idem tamen dicendum de diebus tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ſed ſervetur Decretum Generale editum 5. Auguſti anno 1662. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* Vide num. 422.

*Gavant. Rubr. Miſſ.*

547 Ex privata devotione Parochianorum, petentium ſæpiùs per Annum Anniverſaria pro Defunctis parentibus, fratribus, amicis, & aliis Defunctis, poteſt in Ruralibus Eccleſiis cantari Miſſa ſollemnis de Requiem in Feſto duplici minori, altera Miſſa cantata de Feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes, dummodò ſermo ſit de die verè anniverſaria à die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700. *in Curien.* Vide num. 20. & alios n. ibi notatos.

548 Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Feſto duplici, vel ſemiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum Feriarum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

549 In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſollemnis de Requiem poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

550 Benedictio publica ſacrorum Cinerum facienda in Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ, non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, in quibus præſcribitur poſt Nonam. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

551 Abſque Pluviali non licet in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti, peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento, non poteſt tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum Pluviali. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

552 In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla à parte ſuperiori drappo ſerico cooperta. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

553 Sacerdotes in Miſſæ Sacrificio congruentiùs utuntur Cingulo lineo, quàm ſerico. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

554 Quando exponuntur ſacræ Reliquiæ ultra lampadem, debent continuò ſuper Altare ardere duo ſaltem lumina, aliàs non exponantur. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

555 Ante oſtiolum Tabarnaculi Sanctiſſimi Sacramenti, in quo depicta, vel inſculpta eſt Imago Domini noſtri, non eſt retinendum vas florum, vel quid ſimile, ſed poteſt collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

556 In Miſſa Conventuali dierum ſollemnium, quæ abſque cantu, & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio. S. R. C. 22. Januar. 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ.*

557 Canonici Eccleſiæ Cathedralis intereſſentes Concionibus, præſertim Quadrageſimalibus, debent eſſe induti habitu Canonicali, dum ſedent in propriis ſtallis. S. R. C. 31. Martii 1703. *in una Pompoii ſtabitæ.*

558 Sacerdotes, etiam Regulares, diebus, quibus propria Officia recitant ſub Ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſollemnitate, & concurſu Populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe Ritui, & colori earundem Eccleſiarum. In aliis verò diebus poſſunt, ſed quando prohibentur Miſſæ Votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare, ſaltem quoad colorem. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.*

559 Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis, etiam Ordinis, quando Feſtum celebratur cum ſollemnitate, & concurſu Populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ, etiam Regularibus, quoad *Credo*, & numerum Orationum more duplicium; in aliis verò diebus poſſunt. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.*

560 In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares, ratione alicujus Octavæ; & Regulares celebrantes in alienis Eccleſiis, uti coloribus juxta Ritum earundem, & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quàm Regulares in alienis, poſſunt apponere commemorationem Octavæ, ùt ſuprà occurrentis, ſervata Rubrica de duplici Oratione habenda in Dominicis infra Octavam. S. R. C. 11. Junii 1701. *in una Tertii Ordinis S. Franciſci.*

561 Facultas celebrandi cum Miſſali Romano pro Cappellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus, & ſingulis, qui ex debito tenentur celebrare in Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodò celebrent cum Miſſali Romano. S. R. C. 11. Febr. 1702. *in Tarviſina.* Vide n. 238. 634.

562 Prohibitio facta 9. Junii 1668. Sacerdotibus ſecularibus, etiam Cappellanis, qui licèt recitaverint Officium ſemiduplex, vel ſimplex, vel feriale, ne celebrent Miſſam de Requiem in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit Officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorundem ſui Ordinis,

dinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. S. R. C. 11. Februarii 1702. *in Tarviſina.* Vide n. 434. 558. & ſeqq.

563 In prima & ſecunda Miſſa, quæ celebrantur in die Feſto Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio Calicis. S. R. C. 16. Septembris 1702. *in una Regni Portugalliæ.*

564 Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper Calicem, tam eundo quàm redeundo ab Altari. S. R. C. 1. Septembris 1703. *in Piſauren.*

565 Benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704. Vide n. 55.

566 Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ non ſunt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali, approbante Clemente XI. prout ſuprà. Vide n. 556.

567 Celebratio Miſſæ ſollemnis Feriæ V. in Cœna Domini non eſt de juribus Parochialibus, ſed ſpectat ad Parochos. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c. Vide num. 336.

568 Prima pulſatio Campanarum in Sabbato Sancto non eſt de juribus Parochialibus, proùt jacet, ſed ſpectat ad Eccleſiam Digniorem ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c. Vide n. 76.

569 Expoſitio quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit ſuper Populo, non eſt de juribus merè Parochialibus. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c.

570 Expoſitio, quæ fit cum Reliquiis, vel ſacris Imaginibus, benedictio, quæ cum eis fit ſuper Populo, non eſt de juribus Parochialibus; & quoad benedictiones cum Reliquiis & Imaginibus ſerventur Decreta. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c.

571 In Oratoriis privatis Confraternitatum, per Confratres ſtatis horis recitari poſſunt Horæ Canonicæ cum cantu, vel ſine, abſque licentia Parochi, niſi aliter Ordinarius ſtatuat ex rationabili cauſa; & licita eſt in dictis Oratoriis privatis celebratio Miſſæ privatæ, aſſentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho; Cappellani autem Confraternitatum poſſunt Populo denunciare Feſtivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada, & abſque licentia Parochi. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c.

572 Intra ambitum Eccleſiarum Confraternitatum fieri poſſunt Proceſſiones juxta cujuſvis Confraternitatis Inſtitutum, abſque interventu, & licentia Parochi. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c.

573 Proceſſiones juxta Inſtitutum Confraternitatum fieri non poſſunt extra ambitum earum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum Territorium tranſeundum eſt, niſi adeſſet licentia Epiſcopi; & extra propriam Eccleſiam non poſſunt Cappellani dictarum Confraternitatum in iiſdem Proceſſionibus deferre Stolam. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c.

574 Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, non eſt porrigendum Aſperſorium à Parocho, in cujus Territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ. S. R. C. 10. Decembris 1703. in Decreto generali &c. Vide n. 61. & alios ibi notatos.

575 Non poteſt Parochus, ceſſante alio ſpeciali, ac legitimo titulo, & ex ſolo jure Parochialitatis, compellere Eccleſiarum, & Confraternitatum Rectores, & Cappellanos invitos, ad aſſiſtendum functionibus Eccleſiæ Parochialis. S. R. C. 10. De-

10. Decembris 1703. in eodem Decreto generali &c.

576 In Eccleſiis Confraternitatum, ſi non ſint Parochiales, vel Regulares, non poteſt retineri SS. Euchariſtiæ Sacramentum, ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 10. Decembris 1703. in eodem Decreto generali &c.

577 Præſuppoſita facultate retinendi SS. Euchariſtiæ Sacramentum, non poteſt per annum publicè exponi ſine licentia Ordinarii. S. R. C. 10. Decembris 1703. approbante Clemente XI. 12. Januarii 1704. in Decreto generali, quod extat in Bullario particulari ejuſdem Pontificis part. 2.

578 Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore juris, neque alio quocunque titulo, ullo modo liceat, extra Domum propriæ habitationis, in Domibus laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrari facere. S. C. C. 15. Decembris 1703. approbante Clemente XI. in ſua Conſtitutione, quæ extat in particulari Bullario part. 3. & quæ incipit: *Quoniam Sancta Sanctè, &c.* Vide n. 649.

579 In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licet Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcunque Ordinis Militaris, etiam S. Johannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, celebrare in diebus Paſchatis SS. Reſurrectionis D. N. J. C. aliiſque Anni Feſtis ſollemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis verò diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus, quibuscumque etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licet, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, ſuper quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare: atque illam etiam in caſibus permiſſis celebrare nequit poſt Meridiem, & in omnibus hujuſmodi caſibus perſonæ quæcumque dictas Miſſas audientes, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt. Eadem S. C. C. dicta die 15. Decembris 1703. approbante eodem Clemente XI. ibidem.

580 Quoad Altare portatile, licentiæ, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in capite *In his de privilegiis*, & per aliquos Summos Pontifices, aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata ſunt per Sac. Concilium Tridentinum; & propterea iiſdem Regularibus prohibetur, ne illis utantur, ac mandatur Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in Decreto ſeſſ. 22. cap. unico, uſque ad cenſuras latæ ſententiæ, tributa etiam iiſdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde, ac ſi per Sanctam Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet. S. C. C. 15. Decembris 1703. approbante, & mandante eodem Clemente XI. ibidem. Vide num. 648.

581 Prima Dignitas præcisè tenetur ſupplere partes Epiſcopi impediti in celebrandis Miſſis ſollemnibus, & peragendis aliis ſollemnibus functionibus ad ipſum Epiſcopum ſpectantibus. S. R. C. 19. Januarii 1704. *in Cremonen.* Vide n. 611.

Idem anteà declaraverat 11. Februarii 1702. S. R. C. *in Gerunden.* impedito ſcilicet,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

licet, aut nolente Epiſcopo celebrare, & alias functiones explere, ſpectare non ad Vicarium Generalem, aut ad Canonicum Hebdomadarium, ſed ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias, ejus vices ſupplere.

582 Dedecet, quòd Sacra Corpora, & Reliquiæ SS. Martyrum, quorum Zelotypus eſt Chriſtus, & ſpecialiter Inſignes, collocentur, & conſerventur in Domibus privatis, & apud Laicos, cùm ſint cuſtodiendæ, & adorandæ religiosè in Eccleſiis; in Alma Urbe non conceduntur Corpora integra, nec Reliquiæ Inſignes, niſi petentes deferant litteras Ordinarii loci, à quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari, & decenter cuſtodiri; Excipiuntur tamen ab hac prohibitione Magni Principes, & conſpicui Eccleſiæ Prælat: Et ne pietas aliorum Fidelium hiſce omnino privetur Sacris theſauris, eis conceduntur Reliquiæ minùs Inſignes. Clemens XI. 19. Februarii 1704. in ejus Bullario particulari.

583 Quando in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ occurrit Feſtum Purificationis B. M. V. in Eccleſiis eidem ſub alio Titulo dicatis, ſcilicet Annunciationis &c. Miſſa ſollemnis poſt Benedictionem Candelarum, & Proceſſionem debet cantari de Dominica. S. R. C. 23. Auguſti, & 13. Sept. 1704. *in Catanien.* & 15. Sept. 1736. *in Toletana.* Vide num. 691.

584 Cruces Altarium, ſeu Proceſſionum, non ſunt benedicendæ de præcepto; poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non ſollemniter. S. R. C. 12. Julii 1704. *in una Urbis.*

585 Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt Spinam D. N. J. C. præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub Baldacchino proceſſionaliter deferre. S. R. C. 12. Julii 1704. *in una Urbis, & Orbis.* Vide num. 163. 230. 264. 482.

586 In Eccleſiis, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ſi occurrat Feſtum Patroni, ſeu Titularis, diebus, quibus non poteſt de eo fieri Officium, poteſt nihilominùs (diebus non exceptis à Rubrica Miſſalis tit. 6. de translatione) cantari Miſſa de Patrono, ſeu Titulari, licèt non cantetur altera Miſſa concordans cum Officio. S. R. C. 23. Auguſti 1704. *in una Ordinis Eremit. S. Auguſtini.*

587 Parochi, Cappellani Confraternitatum, Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici, qui Cotta induti interveniunt Proceſſionibus funeralibus, deferant ſicuti in aliis Proceſſionibus, Birretum Sacerdotale, non verò Pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis, prout diſponit Rituale Romanum, Tit. de Proceſſionibus, & ùt ſæpe S. R. C. quæquidem pilei prohibitio non ſolùm eſt pro Eccleſiaſtico Seculari, ſed etiam Regulari, licèt ſint Parochi Cotta induti, Clemens XI. 9. Decembr. 1704. *in ejus Bullario particulari parte 2.*

588 Quando Feſtum Purificationis B. M. V. non celebratur die 2. Februarii, ſed transfertur ejus Officium poſt aliquam Dominicam, vel poſt Feſtum ſemiduplex, vel ſimplex, in Suffragiis debet dici ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix*, cum Oratione *Concede nos famulos*, & in Miſſa ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum, cùm in fine Completorii diei ſecundæ Februarii ex Decreto S. R. C. 11. Januarii 1681. *in una Urbis* dicenda ſit Antiphona *Ave Regina Cælorum.* S. R. C. 14. Februar. 1705. *in una Ordinis Cappuccinorum Galliæ.*

589 Si Feſtum S. Marci occurrit in die Paſchatis, Proceſſio cum Litaniis transfertur in Feriam tertiam ſequentem, juxta Rubricam particularem Miſſalis, & ſi alicubi ſit abſtinentia, vel jejunatur, ſervanda eſt conſuetudo à Regularibus. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ.* Vide num. 18. & alios ibi notatos.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

590 Dignior è Clero, à quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad Altare ſine Stola, & genuflexus ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, Palmam à Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam &c. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ.*

Hoc Decretum quoad ſecundam partem circa genuflexionem non loquitur de Canonicis, ſed de aliis inferioribus in Eccleſiis non Collegiatis, juxta diſpoſitionem Miſſalis Romani; & ideò non derogat alteri num. 421.

591 Non eſt toleranda conſuetudo quorundam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter Hoſtiam conſecratam reſervandam à Feria V. in Cœna Domini, uſque ad ipſius conſumptionem in Feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ.*

592 Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediatè ſequitur Miſſa, quæ in Eccleſiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, ſed in Minoribus etiam Regularium, licèt non cantetur à Choro, ſed coram Clero legatur tantùm à Celebrante, habenda eſt tanquam Conventualis; & in Feſtis ſecundæ Claſſis debet omitti Commemoratio S. Simplicis eadem die occurrentis, ùt præſcribitur in Rubrica Miſſalis Tit. 7 n. 1. S. R. C. 14. Februarii 1705. *in una Cappuccinorum Galliæ.*

593 Quando dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ Claſſis, infra Hebdomadam Majorem, in die Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alio ſollemniori, non poteſt dici Miſſa de dicta conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die, fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica Concluſione, ùt diſponit Ceremoniale Epiſcoporum. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien.* Vide num. 619.

594 In Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis, ſi occurrit Feſtum novem Lectionum, facienda eſt in Miſſa Commemoratio illius diei, niſi Feſtum fuerit ex ſollemnioribus, juxta Rubricas. S. R. C. 4. Aprilis 1705. *in Lycien.*

595 In Miſſa Votiva SS. Sacramenti, tertia Oratio dicenda, eſt ea, quæ ſecundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non verò ea, quæ eſt aſſignata ſecundo loco infra octavam ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti. S. R. C. 4. Julii 1705. *in Lycien.*

596 In Proceſſionibus, & Funeralibus, debetur præcedentia Parochis ſupra Manſionarios etiam Eccleſiæ Cathedralis, incedentes ſine Canonicis, & Capitulo: Manſionariis autem Eccleſiæ Collegiatæ incedentibus abſque Capitulo, non eſt licitum deferre pelles ſuper brachio in Proceſſionibus funeralibus. S. R. C. 12. Septembris 1705. *in Aretina.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

597 Parochi, Superiores Eccleſiarum, Secularium, & Regularium, Sacriſtæ, & alii ad quos ſpectat, non permittere debent, quòd Cadavera Eccleſiaſticorum Secularium, præſertim Sacerdotum, ſicut etiam Diaconorum, & Subdiaconorum, transferantur ex propriis Domibus ad Eccleſias, vel in iſtis exponantur quocumque alio habitu, ſive Confraternitatum, ſive Religionum, ſed cum Sacris Veſtibus eorum Ordini convenientibus, juxta diſpoſitionem Ritualis Romani Tit. de Exequiis. Clemens XI. 9. Decembris 1705. *in ejus Bullario particulari parte 2.*

598 Si accedat ad Regularium Eccleſias Epiſcopus Titularis Suffraganeus ad celebrandum Pontificaliter, non debent Regulares ei Baldacchinum erigere, quod nec in Eccleſiis ſuis, nec in exemptis Diœceſis, nec extra Diœce-

Diœceſim illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. S. R. C. 6. Martii 1706. *in Hildeſien.*

599 Miſſa ad poſtulandam gratiam benè moriendi, demandatur apponenda in Miſſali Romano poſt Miſſam *pro Remiſſione peccatorum*, & in Rubricis Generalibus in *Tit. de Coloribus Paramentorum* ſub colore violaceo, ac propterea in Gradualibus ad cantum Chori, in eodem cantu, & tono, qui in antiquis habetur Feria IV. Dominicæ primæ, & Sabbato Dominicæ tertiæ in Quadrageſima, & in Dominicis IV. VI. XVI. XX. & XXI. poſt Pentecoſten. S. R. C. 20. Martii 1706. approbante Clemente XI. 27. ejuſdem Menſis & Anni.

600 Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, convenit diſtinctio, tam quoad qualitatem Paramentorum, quàm quoad locum ſe parandi pro Miſſis privatis, reſpectu Altaris tantùm, aliorumque Sacerdotum eidem Eccleſiæ addictorum. S. R. C. 20. Martii 1706. *in Recineten. praeminentiarum.*

601 Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ conceditur, ut in Navibus Magnis, occaſione longæ navigationis in alto Mari contra Infideles (quibus Navibus rariſſimè terra attingitur, & ſunt magni ponderis, ac firmæ ſtructuræ, ut unaquæque ſuſtineat quinquaginta ænea tormenta bellica) celebrari poſſit Miſſa, eo dumtaxat tempore, quo Mare eſt tranquillum, & Cœlum eſt ſerenum, & cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, ſeu Diaconi; ita ut adeſſe non poſſit periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione. Clemens XI. in Diplomate *Exponi nobis*, editum die 22. Martii 1706. *in ejus particulari Bullario part.* 1.

602 Occurrente Vigilia Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ in die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22 Junii ad formam Conſtitutionis 232. S. M. Urbani Papæ VIII. emanatæ 24. Septembris 1638. de eadem Vigilia nihil fit in Officio & Miſſa. S. R. C. 18. Septembris approbante Clemente XI. 2. Octobr. 1706. Vide num. 281.

Habetur etiam in ejus Bullario particulari part. 3.

603 Feria III. Rogationum non dicitur ſecunda Oratio Dominicæ. S. R. C. 25. Septembris 1706. *in una Urbis, & Orbis.*

Decretum de non celebrandis Miſſis Votivis privatis, & de Requiem, infra Octavam Nativitatis Domini, hoc anno emanatum ſervetur. Vide infrà ſub num. 628.

604 Super Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet, cum Imagine Crucifixi appoſita. S. R. C. 14. Maji 1707. *in una Senarum.* Vide num. 400.

605 Canonicus Sacerdos præcedere debet Canonicum Diaconum, ſeu Subdiaconum, anteriorem habentem poſſeſſionem, tam in Stallis, quàm in omnibus aliis functionibus, intra, & extra Eccleſiam; & Canonicus Diaconus, vel Subdiaconus, anteriorem habens poſſeſſionem, promotus poſteà ad Sacerdotium præcedere debet Canonicum Sacerdotem Ordine Sacerdotali anteriorem. S. R. C. 27. Auguſti 1707. *in Sutrina praecedentiae.* Vide num. 14. & alios ibi notatos.

606 Non poteſt Miſſa Votiva de Spiritu Sancto, vel alia celebrari, etiam ab Epiſcopo, pro eligenda Abbatiſſa, in Feſto duplici, vel Dominica. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracaren. Dubiorum.* Vide n. 58. & alios ibi notatos.

607 In Vigilia Epiphaniæ, non licet celebrare Miſſas privatas de Defunctis. S. R. C. die 16. Junii 1708. *in Pariſien.* Vide num. 514. 635. 651.

608 Quando per Annum fit apud privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel ſub alio Titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, ſi dicatur aliqua Miſſa Votiva, non habens

habens Præfationem propriam, Præfatio debet eſſe de Communi; vel de tempore, ſi tunc ſpecialis dicatur, non verò ea, quæ eſt conformis Officio, & ſervetur Rubrica Generalis Tit. 12. S. R. C. 16. Junii 1708. *in Pariſien.* Vide n. 475.

609 In die S. Laurentii Titularis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœceſis, non eſt recitandum Symbolum Apoſtolorum in aliis Eccleſiis ejuſdem loci, ſed tantùm in Eccleſia propria. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Peruſina.*

610 Celebratio Miſſæ ſollemnis in diebus Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & in die Feſto SS. Corporis Chriſti, ſpectat privativè ad primam Dignitatem, ſeu primum de Capitulo; Eo autem abſente, vel impedito, non poteſt alium in ſui locum ad libitum ſubrogare, ſed hujuſmodi celebratio fieri debet privativè ab illo, qui immediatè ſuccedit, non verò ab Hebdomadario. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Compſana.*

611 Celebratio Miſſarum in ſecundis Feriis Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ac in die Feſtivitatis S. Stephani Protomartyris, nec non in die Dominico infra Octavam SS. Corporis Chriſti, ſpectat ad ſecundum de Capitulo. S. R. C. 23. Martii 1709 *in Compſana* Vid. n. 58.

612 Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione, quæ fit in Feſto SS. Corporis Chriſti, deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum in Proceſſione, quæ fit in die Dominico infra ejus Octavam, non verò deferendum eſt à primo de Capitulo, qui non celebravit. S. R. C. 23. Martii 1709. *in Compſana.*

613 Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria II. Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* pro Commemoratione Defunctorum, ſed ſufficit tertia Oratio *A cunctis*; Quòd ſi dicatur quarta *Omnipotens &c.* quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.*

614 Occurrente commemoratione Sancti ſimplicis in Feria II. poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, in Miſſa dicenda eſt ſecunda Oratio de ſimplici tantùm. S. R. C. 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* Vide n. 375. 506. 700.

615 Epiſcopi debent uti Veſtibus violaceis in die Annunciationis B. M. V. quando occurrit in Quadrageſima, excepta tota Hebdomada majori, & Feria VI. non verò eo die, ad quem prædictum Feſtum transfertur in Quadrageſima. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.*

616 Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, poteſt eſſe coloris Paramentorum. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Vide num. 553.

617 Inſtrumentum bugiæ, de candela ſerviens Epiſcopo, non poteſt eſſe materia Ordinis Acolythorum loco Candelabri, ſeu Ceroferarii. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.*

618 Quatuor Dignitates, ſeu Canonici aſſiſtentes Epiſcopo ad abſolutionem ad tumulum, debent neceſſariò eſſe Sacerdotes. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Vide n. 6. & ibi notatos.

619 Commemoratio in Miſſa pro conſecratione Epiſcopi, quando ratione Feſti occurrentis dicitur Miſſa de Feſto habente plures commemorationes, debet uniri cum Oratione Miſſæ, & dici ſub unica concluſione, juxta Rubricam Pontificalis Romani de conſecratione electi in Epiſcopum, & Miſſalis Romani in fine poſt benedictiones. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracharen.* Vide num. 595.

620 Sacerdotes, tam Seculares, quàm Regulares, etim privilegiati, non poſſunt in Fer. VI.

Para-

Paraſceves, occaſione SS. Annunciationis in dicta Feria occurrentis, celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio aliquam Miſſam ſollemnem, vel privatam, nec facere Feſtum, vel parare, & ornare Eccleſias, aut Altaria, licèt dicata Beatiſſimæ Virgini, etiam Annunciatæ, cùm ob doloroſam Mortis Noſtri Redemptoris recordationem tenendæ ſint coopertæ ſacræ Imagines, & Altaria ſpoliata; ſed tantùm debet fieri ſolita ſacra functio, proùt præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus Feria V. in Cœna Domini collocari ſolet Venerabile in aliquo Altari, vel alio decenti loco vulgò vocato *Il Sepolcro*, & per hanc prohibitionem pro Feria VI. in Paraſceve, non poſſunt in Feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolùm Conventualis, juxta Ritum Sanctæ Eccleſiæ, & iterata Decreta S. R. C. Clemens XI. 15. Martii 1712. in ejus Bullario particulari part. 2. Conſtitut. 17. Vide n. 495. 501. 632.

621 Quando in Miſſa ſollemni miniſtratur Sacra Euchariſtia Clericis, vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maji 1711. *in Cataniēn.*

622 Miſſæ pro Defunctis, ſive de Requiem, in Feſtis duplicibus contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani nullatenus celebrari debent. Quòd ſi ex Benefactorum inſtitutione Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidunt in Feſtum duplex, tunc, ne dilatio Animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit, in aliam diem non impeditam minimè transferantur, ſed dicantur de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum. S. R. C. 5. Auguſti 1662. approbante Alexandro VII. eadem die, & iterum ab eadem demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

623 Decretum de die 5. Aug. 1662. ab Alex. VII. approbatum, de Miſſis defunctorum non celebrandis in Feſto duplici, ſed dicendis de dicto Feſto cum applicatione Sacrificii, à ſpeciali Brevi, quod incipit: *Creditæ nobis*, iterum ab eodem fuit confirmatum, ac inſuper ſtatutum, idem ſervari debere, quoad Miſſas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per ejuſmodi Privilegia conceſſas Animabus in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum. Ac denique declaratum, Anniverſaria, & Miſſas cantatas de Requiem, relictas ex diſpoſitione Teſtatorum, quotannis in die ipſorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in prædicto Decreto die 5. Auguſti 1662. edito minimè comprehendi, proùt anteà. S. R. C. 22. Novembris 1664. *in una Novarien.* declaravit die 22. Januarii 1667. Pontif. XII. ac denuo ab eadem S. R. C demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

624 Clemens IX. S. R. Congregationis Decreta de die 5. Auguſti 1662. & 22. Novembris 1664. alio Brevi, cujus initium: *Cùm fel. rec.* confirmavit, & Alexandri VII. diſpoſitionem de die 22. Januarii. 1667. quoad Miſſas in Altari privilegiato ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per hujuſmodi privilegia conceſſas Animabus Purgatorii ſuffragari, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ de Requiem, extendit ad Altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque Privilegiata. Die 23. Septembris 1669. Pontif. III. Quod quidem ab eadem S. R. C. fuit confirmatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

625 Decrarationes Alexandri VII. 22. Ja-

nuarii 1667. & Clemen. IX. 23. Septembris 1669. circa Miſſas Defunctorum in Altari pro Animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licèt loquantur tantùm de Feſtis duplicibus, tamen intelligenda ſunt etiam de diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à Feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum juxta Ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licitum eſt, ſervata cæteroquin Privilegiorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur. S.R.C. 3. April. 1688. ab Innocentio XI. Brevi, quod incipit: *Aliàs poſtquàm* 4. Maji 1688. confirmatum, & denuo ab eadem demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

626 Decretum à S. R. C. Ann. 1630. editum, quo permittitur, poſſe in Eccleſiis recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, vel Reliquiæ inſignes in iiſdem aſſervantur, intelligendum eſt de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodò conſtet de identitate Corporis eorumdem, vel inſignis Reliquiæ, ſecus verò de SS. in eodem Martyrologio non deſcriptis: Quorum tamen Corporibus, & Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis debita Fidelium veneratio exhibenda eſt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis. S. R. C. 11. Auguſti 1691. approbante Innoc. XII. 19. Octobris ejuſdem, & iterum ab eadem demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

627 Ad augendam Fidelium venerationem erga Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ejuſque Cultum in toto Terrarum Orbe promovendum, prohibuit celebrari Miſſas Votivas, vel pro Defunctis, infra Octavam Corporis Chriſti S. R. C. 21. Junii 1670. & iterum ab eadem 15. Sept. 1714. demandatum, annuente Clem. XI. 29. ejuſdem.

628 Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ, vel pro Defunctis. In Miſſis verò ſollemnibus pro re gravi infra eandem Octavam celebrandis dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam generalem tit. 12. n. 4. S. R. C. 25. Septembris 1706. & denuo ab eadem 15. Septembris 1714. demandatum, annuente Clement. XI. 29. ejuſdem.

629 Feria V. in Cœna Domini, cùm Epiſcopus exit à Sacrorum Cuſtodia ad Altare, non debent Canonici, qui eum parati aſſociant, præcedere Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos paratos, qui eum comitantur, ſed debent ſequi. S. R. C. 8. Junii 1709. *in Bracaren.*

630 In Vigilia Omnium Sanctorum ſi occurrat dici Miſſa de Feſto ſemiduplici, poſt Orationem Vigiliæ, tertia Oratio erit *A cunctis*, non verò de Spiritu Sancto. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Ordinis Capuccinorum.*

631 Quando die 3. Novembris occurrit Feſtum duplex minus ratione inſignis Reliquiæ (ſicut accidit Oeniponti in Eccleſia PP. Societatis Jeſu, in qua celebratur Feſtum S. Pirmini Epiſcopi Meldenſis ob inſignes ejus Reliquias ibi aſſervatas) & cadit in Feria II. in qua transfertur aliquando Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, tunc dictum Feſtum transferendum eſt ad primam diem non impeditam, non verò celebratur dicta die tertia ſimul cum Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Ita decrevit S. R. C. die 11. Julii 1716. *in una Oeniponti, ſeu Brixinen.*

Per hoc Decretum non derogatur Decretis

tis datis ſub num. 488. 536. 543. & 683. nam ob ſpecialem inſpectionem dictarum Reliquiarum inſignium, congruum cenſuit S. C. transferendum eſſe tale Feſtum, ut de eodem poſſent celebrari omnes Miſſæ, in quibus dicitur etiam *Credo*, quod redolet ſpecialem aliquam ſollemnitatem.

632 Si Feſtum Sanctiſſimæ Annunciationis inciderit in Feriam V. majoris hebdomadæ, præceptum audiendi Miſſam, & abſtinendi à ſervilibus, non erit transferendum, ſed omnino ſervandum in prædicta Feria V. prout in Camerinenſi, & pro Eccleſiis Almæ Urbis mandatum fuit 20. Martii 1660. adeoque per Ordinarios locorum providendum, ut eo die, pro Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Chriſti Fidelium in iis degentium numero, plures Miſſæ privatæ, ante celebrationem Miſſæ Conventualis, pro præcepti adimplemento, celebrandæ non deſint; ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſollemni ejus diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma Religione hactenus obſervatus, nullo modo omittatur. S. R. C. 12. Septembris 1716. approbante Clemente XI. 27. ejuſdem, in ejus Bullario particulari part. 3. Vide n. 377. 455. 501.

633 Quando Altare fuit conſecratum ad modum Altaris fixi cum Sacris Sigillis, & unctionibus inter ſtipitem, & Altare, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, à ſuo ſtipite, tunc execratur Altare. Si verò fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantùm quando frangitur Sepulchrum Reliquiarum. S. R. C. 21. Junii 1710. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

634 Confeſſario, & Cappellanis, tantùm quarumcumque Monialium ſervitio addictis, licitum eſt Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non verò Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus conceſſas. S. R. C. 20. Novembr. 1717. die 1. Decembris *in Decreto generali* contento in ejus Bullario particulari parte 3. Vide n. 234. 238. 561.

635 In Vigilia Epiphaniæ, Miſſæ Votivæ, & Defunctorum celebrari non poſſunt. S. R. C. 10. Decembris 1718. *in Æſina.* Vide num. 514. 607. 651.

636 Epiſcopus celebrans Miſſam de Natali Domini in Pontificalibus, vel aſſiſtens cum Pluviali, vel Cappa, quæ eo die ob maximam ſollemnitatem numquam conveniret; ex quo ſedens legit Evangelium, non debet genuflectere ad *Verbum caro factum eſt*, ſed ſolùm quando Diaconus illud cantat. S. R. C. 28. Septembris 1708. *in Bracharen. Dubiorum.*

637 Epiſcopus, deputatus Adminiſtrator alterius Eccleſiæ, in functionibus Pontificalibus, non gaudet omnibus illis præeminentiis, & prærogativis, quibus fruuntur, & gaudent omnes alii Epiſcopi in propriis Diœceſibus. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

638 Epiſcopus, & Adminiſtrator amovibilis Eccleſiæ vacantis, dum cantat Miſſam, & Veſperas in Pontificalibus, non poteſt ſedere ſuper Cathedra Epiſcopali elevata quatuor gradibus, parata cum Baldacchino, & Poſtergali, nec uti poteſt Baculo Paſtorali, ſed ſedere debet ſuper Faldiſtorio prope Altare, ſine ipſo Baculo. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

639 Epiſcopus deputatus Adminiſtrator amovibilis Eccleſiæ vacantis, non poteſt concedere Indulgentiam quadraginta dierum ſine ſpeciali facultate Apoſtolica. S. R. C. 21. Auguſti *in Sarſinaten.*

640 Epiſcopo deputato Adminiſtratori amovibili Eccleſiæ vacantis, dum aſſiſtit Miſſæ ſollemni ab alio cantatæ, non de-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bent Canonici facere Circulos *ad Kyrie eleiſon, Gloria in Excelſis*, *Credo, Sanctus*, *& Agnus Dei*, & tunc ſedeat in primo Stallo Chori. S, R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

641 Pro Epiſcopo deputato Adminiſtratore Eccleſiæ vacantis fieri non debet Anniverſarium ſuæ Conſecrationis, cùm Miſſa cantatur per Capitulum, & Clerum: ejuſque nomen non debet in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.* Vide n. 149.

642 Dum Epiſcopus deputatus Adminiſtrator Eccleſiæ vacantis Miſſam cantat in Pontificalibus, non debet poni ſuper Altare ſeptimum Candelabrum cum Candela accenſa. S, R. C, 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

643 Dum Epiſcopus deputatus Adminiſtrator amovibilis Eccleſiæ vacantis, cantat Miſſam in Pontificalibus, non debent omnes Canonici Sacris Paramentis indui, ſed tres tantùm, fungentes Officio Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri Aſſiſtentis. S. R. C, 22. Aug 1722. *in Sarſinaten*,

644 Cùm Epiſcopus adminiſtrator Eccleſiæ vacantis, vadit ad Cathedralem, poteſt proprio arbitrio ſumere Cappam Magnam, vel in Ædibus ſuperioribus Epiſcopatus, vel in ingreſſu Eccleſiæ, vel Presbyterii. S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

645 Epiſcopum adminiſtratorem accedentem ad Cathedralem, decet, quòd omnes Canonici excipiant in Ædibus Epiſcopalibus, non verò ſoli tres, aut quatuor, ad portam Eccleſiæ S. R, C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten.*

646 Diebus Feſtis fieri debent publicæ orationes pro novi Epiſcopi electione ad formam Concilii Tridentini, & Ceremonialis Epiſcoporum, licèt adſit Epiſcopus adminiſtrator, S. R. C. 22. Auguſti 1722. *in Sarſinaten*,

647 Epiſcopi abuſus omnes, qui in Eccleſiis, aut Secularibus, aut Regularibus, contra præſcriptum Cermonialis Epiſcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Miſſalis, & Breviarii, irrepſerint, debent omnino removere, & ſi adversùs ea, quæ in dicto Ceremoniali ſtatuta ſunt, conſuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, poſtquàm recognoverint, aut eam non ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, utpote irrationabilem, de jure non poſſe, executioni eorum, quæ in dicto Ceremoniali inſtituta ſunt, diligenter incumbere debent, nec ulla ſuſpenſio, aut appellatio admittitur. Innocentius XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, 13. Maji 1713. ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina, confirmata à Benedicto XIII. in alia Conſtitutione, quæ incipit: *In ſupremo*, 23. Septembris 1724. Vide n. 39. & 50.

648 Circa Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, & uſum Altaris geſtatorii, juxta Clementis XI. de die 15. Decembris 1703. opportunum Decretum, Epiſcopi debent operam dare, ut omnia ibidem ſtatuta ubique ſerventur, idemque in ſuis reſpectivè Diœceſibus, ut faciliùs omnibus innoteſcat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium Cellis, ſive Cubiculis erigatur Altare pro re ſacra ibidem facienda, & contra quoſcumq; contravenientes, cenſuris etiam Eccleſiaſticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apoſtolicæ in memorato Decreto ipſis delegata, remotaque quacumque in contrarium conſuetudine, etiam immemorabili. Innocentius XIII. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, 13. Maji 1723. ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina, confirmata à Benedicto XIII in alia quæ incipit: *In ſupremo*, 23. Septembris 1724. ex Bullario Romano. Vide n. 579.

649 In

649 In Decreto à Clemente XI. 15. Decembris 1703. promulgato, circa Miſſarum celebrationem in Oratoriis privatis, necnon circa uſum Altaris geſtatorii ſtatuitur, non licere Epiſcopis extra Domum propriæ habitationis in domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere; declaratur, quòd hujuſmodi prohibitio intelligenda non eſt de domibus etiam Laicis, in quibus dicti Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiuntur, ùt nec etiam, quando Epiſcopi in caſibus à jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes à domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum ſimilis habitationis: in his enim caſibus licita iis erit erectio Altaris, ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. Innocentius XIII. 13. Maji 1723. in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, ſuper Eccleſiaſtica Diſciplina, quam confirmavit Benedictus XIII. 17. Septembris 1724. in alia, quæ incipit: *In ſupremo*, 23. Septembris 1724. ex Bullario Romano. Vide n. 578.

650 In Litaniis Sanctorum, pro diverſitate functionum, & temporum aſſignatis, & in illis pro commendatione animarum, poſt nomen S. Johannis Baptiſtæ, ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi, dicendo: *Sancte Johannes Baptiſta Ora pro nobis: Sancte Joſeph Ora pro nobis: Omnes Sancti Patriarchæ, &c.* Benedictus XIII. 19. Decembris 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis.* Vide n. 179.

651 In Vigilia Epiphaniæ Domini non poſſunt celebrari Miſſæ privatæ de Requiem, & votivæ. S. R. C. 16. Septembris 1730. *in una Ordinis Hieroſolymitani.* Vide n. 514. 607. & 635.

652 Canonici, & Beneficiati, dum occaſione benedictionis Auguſtiſſimi Sacramenti ſingulis Dominicis poſt Completorium cantatur Hymnus *Pange lingua*, non tenentur deſcendere à Choro, ſed flexis genibus canere ante Venerabile, & remanere poſſunt in eorum ſtallis Choralibus. S. R. C. 26. Auguſti 1730. *in Avenionen.*

653 Cappellani Eccleſiæ Cathedralis, de Maſſa nuncupati, Epiſcopum, Miſſam, aliaque Divina Officia Pontificaliter celebraturum, ex Aula Epiſcopali ad Eccleſiam, & ab ea ad Aulam, ubi adeſt antiquum ſolitum, comitari tenentur. S. R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

654 Aſſociatio à Cappellanis, juxta antiquum ſolitum debetur Epiſcopo, quando ipſe Cappa indutus, deſcendit ad Eccleſiam pro præſtanda aſſiſtentia. S. R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

655 Cappellani, ubi adeſt antiquum ſolitum, in Aula Epiſcopali, quando Epiſcopum excipiunt, tam in acceſſu, quàm in regreſſu, tenentur eidem Epiſcopo genuflectere. S.R.C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

656 Cappellani, de Maſſa nuncupati, non tenentur Epiſcopo Pontificaliter celebraturo deferre Sacra Paramenta ad Cathedram Epiſcopalem, niſi deficientibus Acolythis, actualiter verò Celebranti debent tenere librum, & bugiam. S. R. C. 3. Martii 1731. *in Januen.*

657 Directio Chori privativè ſpectat ad Primicerios, quatenus interſunt Choro. S. R. C. 24. Novemb. 1731. *in Baren.*

658 Non poſſunt Primicerii, eiſdem, vel eorum altero abſentibus, ſubrogare eorum loco ſimplicem Presbyterum, ſed eorum vices ſupplere debent Canonici, eoſque coadjuvare in canendis Antiphonis. S. R. C. 24 Novembris 1731. *in Baren.*

659 Primicerii, quando ſunt ſecundæ Digni-

tates, debent aſſiſtere Epiſcopo, in Eccleſia Collegiata Diœceſis Pontificaliter celebranti S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.* Vide n. 6. & n. ibi notatos.

660 Primicerii, ſeu ſecundæ Dignitates, non debent aſſiſtere, in officio Diaconi, & Subdiaconi, Archipresbytero primæ Dignitati functiones ſollemniter peragenti. S.R.C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

661 Aliqui ex Dignitatibus, ſeu Primiceriis, & Canonicis, abeſſe poſſunt à Choro, audiendi cauſa Monialium, ſeu Secularium Confeſſiones, & dirigendi Confraternitates, vel ex alia cauſa, pro diebus, quibus tenentur intereſſe Choro. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

662 Ad ſecundas Dignitates, non verò ad Canonicos ſpectat, peragere functiones ſollemnes, prima Dignitate impedita, vel celebrare nolente. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Baren.*

663 Functiones ſollemniores Dignitatibus, ſeu Primiceriis peragentibus, tenentur Canonici illis aſſiſtere in munere Diaconi, & Subdiaconi. S.R.C. 24. Novemb. 1731. *in Baren.* Vide n. 6. & alios ibi notatos.

664 Abbatibus Pontificaliter indutis, uti coabſolventibus juxta Decretum 12. Julii 1727. debetur præcedentia ſuper Canonicos Cathedralis in Proceſſionibus funerum. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Raguſina.* Vide n. 14. & ibi notatos.

665 Abbates Pontificalibus induti, invitati pro aſſiſtentia in ſollemnibus Veſperis, Proceſſione, & Miſſa, debent ſedere in loco decenti, ſeparatim à Canonicis in Choro, poſt Epiſcopos. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Raguſina.* Vide n. 6. & alios n. ibi notatos, nec non n. 14. & alios ibi notatos.

666 Abbatibus Pontificaliter indutis, & genua flectentibus in actu receptionis, & reſtitutionis Sac. Reliquiarum, quæ per eoſdem in Proceſſione deferuntur, debet permitti uſus ejuſdem Pulvini, quo in eodem actu utuntur tam Archiepiſcopus, quàm Epiſcopi Suffraganei. S. R. C. 14. Novembris 1731. *in Raguſina.*

667 Abbates Pontificaliter induti, in Proceſſionibus ſecum ducere poſſunt duos tantùm Clericos, ſeu Monachos, Cotta indutos, in utroque latere aſſiſtentes, pro ſervitio, & uſu Mitræ, & Baculi Paſtoralis. S. R. C. 24. Novembris 1731. *in Raguſina.*

668 Licitum eſt Capitulo, eligere pro functionibus Canonicalibus, & ejus ſervitio, Magiſtrum Ceremoniarum diſtinctum ab altero Epiſcopi. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.*

669 Magiſter Ceremoniarium non poteſt ſuum munus exercere abſque approbatione Epiſcopi. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.*

670 Magiſter Ceremoniarum in functionibus tantùm Epiſcopalibus, uti valet veſte violacea, ex diſpoſitione Ceremonialis. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.*

671 Dignitates, & Canonici, in eorum Miſſis privatis celebrandis, tam intra, quàm extra Cathedralem, ultra unum inſervientem, qui Miſſæ reſpondeat, uti non poſſunt Magiſtro Ceremoniarum, cum, vel ſine veſte violacea, vel alio Miniſtro Sacerdote, tam pro delatione Calicis ad Altare, & illius reportatione ad Sacriſtiam, quàm pro ſuſtinendo Miſſale, indicando Orationes, operiendo, & porrigendo Patenam cum Hoſtia, eandemque poſteà cum velo inſtruendo, & cæteris actibus Miſſæ inſerviendo, ad inſtar Epiſcoporum; ſed debent celebrare, ut quilibet alius ſimplex Sacerdos, omnes relatos Ritus à ſeipſo explendo, abſque ope Miniſtri. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.*

672 Dignitates, & Canonici, tenentur capitulariter in habitu Canonicali recipere Epiſcopum à ſuo Cubiculo, & aſſociare ad Eccleſiam Cathedralem, ſimilique modo ad

do ad idem reducere, quando iſte vult pontificaliter celebrare, tam in ſollemnioribus à Pontificali Romano præſcriptis, quàm in aliis Feſtis ex conſuetudine, vel devotione in Civitate introductis, vel occaſione univerſalis Jubilæi, vel alia rationabili cauſa Epiſcopo beneviſa. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.* Vide n. 6. 23. 94. 673.

673 Quando Epiſcopus ad Eccleſiam Cathedralem accedit cum Cappa, ut aſſiſtat Miſſæ cantatæ, Veſperis, vel Proceſſioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de cauſa, Dignitates, & Canonici tenentur capitulariter in habitu Canonicali ipſum recipere à ſuo Cubiculo, & aſſociare ad eandem, & ſimiliter ad idem reducere, juxta Ceremoniale Epiſcoporum. S. R. C. 7. Julii 1734. *in Aquilana.* Vide n. 6. 672. & numeros ibi notatos.

674 Licitum eſt Capitulo eligere Magiſtrum Ceremoniarum ab Epiſcopo confirmandum. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana.*

Pro hujus Decreti intelligentia animadvertendum eſt, quòd in qualibet Cathedrali retineri debent duo Magiſtri Ceremoniarum, unus eligendus à Capitulo pro functionibus Capitularibus, & alter eligendus ab Epiſcopo pro functionibus Epiſcopalibus, uterque tamen approbandus eſt ab Epiſcopo, ùt declaratum fuit per Congregationem particularem à Clemente XI. deputatam *in Caſalen.* 16. Maji 1708. quæ quidem reſolutio, unà cum aliis, fuit ab eodem Pontifice confirmata per Breve 6. Junii 1708. Quæſtio autem non verſabatur circa primum, ſed circa ſecundum ex dictis Magiſtris Ceremoniarum, cujus electio debet quidem fieri à Capitulo, ſed confirmari ab Epiſcopo, juxta deciſionem Congregationis particularis.

675 Epiſcopus juſtis de cauſis, in Ceremoniali Epiſcoporum præſcriptis, confirmationem Magiſtri Ceremoniarum à Capitulo electi poteſt denegare, nec tenetur cauſas exprimere. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana.*

676 Magiſter Ceremoniarum non cenſeri debet electus privativè, etiam quoad omnes functiones Pontificales, & aſſiſtentias præſtari ſolitas Epiſcopo, tam intra, quàm extra Eccleſiam Cathedralem. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana.*

677 Epiſcopo licitum eſt, alium Magiſtrum Ceremoniarum eligere pro omnibus functionibus ab ipſo peragendis, & aliis ipſo præſente explendis, tam intra, quàm extra Eccleſiam Cathedralem. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana.*

678 Magiſtro Ceremoniarum ab Epiſcopo electo omnes Capitulares tenentur obedire, quoad ea, quæ divinum cultum concernunt, ſub pœna arbitrio Epiſcopi. S. R. C. 17. Julii 1734. *in Monopolitana.*

679 In Feſto S. Marci, vel reſpectivè in Feriis Rogationum, ſi fiat de Officio duplici, vel ſemiduplici, in locis, ubi tantùm una Miſſa cantatur, pro majori Populi commoditate, ut poſſit poſt Proceſſionem vacare laboribus, convenientius eſt proceſſionem facere poſt Nonam, inde cantare Miſſam Rogationum. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Vide. n. 18. & alios ibi notatos.

680 In Feſto B. M. V. de Monte Carmelo, dicenda eſt Miſſa à Sede Apoſtolica approbata, quæ incipit: *Gaudeamus omnes &c.* juxta præceptum Benedicti XIII. & in Miſſali Romano impreſſa. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.*

681 Quando Feſtum S. Petri Martyris transfertur extra tempus Paſchale, Evangelium erit: *Si quis venit ad me.* S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.*

682 Ab Orationibus expungenda ſunt cognomina, & patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.* Vide n. 196.

683 An-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

683 Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Communitatis, non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum duplex minus, etiam translatum, ſed fiet Officium de duplici cum ſola Miſſa ſollemni poſt Tertiam. Officium verò Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub Ritu duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in paramentis nigris. S. R. C. 5. Maji 1736. *in Einſidlen.* Vide num. 448. 536. 543.

Per hæc Decreta derogatum non venit alteri num. 631. ob particulare motivum Inſignis Reliquiæ ibi expoſitum.

684 Dum Miſſa cantatur coram Sanctiſſimo Sacramento in Altari expoſito, debet fieri Commemoratio de eodem Sanctiſſimo Sacramento poſt omnes alias Commemorationes de præcepto, & in Miſſis ſollemnibus tantùm Feſtorum primæ, & ſecundæ Claſſis, eſt facienda ſub unica concluſione. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Burgen.*

685 Sequentia in Miſſa de SS. Nomine Jeſu, eſt omittenda. S. R. C. 25. Junii 1736. *in Burgen.* & 16. Februarii 1737. *in Mechlinen.*

686 Dum præter Miſſam Conventualem cantatur Miſſa votiva ex fundatione, in hac Miſſa non debet fieri Commemoratio Feſti, de quo cantatur Miſſa Conventualis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Burgen.*

687 Quando occurrit Vigilia, aut Feria Quatuor Temporum, infra Octavam Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra Octavam, Miſſæ autem, ſive una cantetur, ſive legantur, ſint de Feria Quatuor Temporum, cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſemper dicitur infra Octavas B. M. V. juxta Tit. 9. de Orationibus n. 7. & 9. nam Oratio, quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco, ponitur tertio loco.

At ſi Feria Quatuor Temporum occurrat in die Octava Conceptionis, omnes Miſſæ privatæ dicantur de Octava, cum commemoratione Feriæ. Miſſa autem ſollemnis, quæ dicitur poſt Tertiam, erit de ipſa Octava, ſine commemoratione Feriæ, cùm de ea cantari debeat alia Miſſa poſt Nonam, ſine commemoratione Conceptionis. Dicendæ autem ſunt Orationes aſſignatæ in ipſa Feria, nempe *Deus, qui de B. M. V. utero*, & tertia *Eccleſiæ*, vel *pro Papa*, cum Præfatione communi. Idem ſervandum eſt in Miſſa, & Officio alicujus Sancti, ex ſpeciali privilegio aliquibus in locis in Quadrageſima Octavam habente, in qua Miſſæ omnes dici debent de Feria, cum commemoratione Octavæ, & tertia Oratione *Concede*, non verò *A cunctis*.

Tempore autem Paſſionis, quando contingat fieri Officium de infra Octavam, unica pariter cantari debet Miſſa de Feria, cum commemoratione diei infra Octavam, & præfatione de Octava, ſi habeatur propria, ùt dictum eſt de Octava Conceptionis. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*

688 In Miſſa Feriali, quæ ſubſtituitur Miſſæ de Octava, eſt genufleꝺendum in Choro. S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*

689 In Miſſa votiva, quæ celebrari aliquando poteſt infra Octavam, in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & ſecunda Rogationum, prima Oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de Feria, & non recitatur Evangelium Feriæ, ſed Initium S. Johannis: *In principio &c.* S. R. C. 23. Junii 1736. *in Einſidlen.*

690 In ſecundo triduo majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ Defunctorum; & Officium, & Preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Auguſti 1736. *in Placentina.*

691 Si Feſtum Purificationis B. M. V. venerit in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, in Eccleſiis dicatis ſub Titulo

Annun-

Annunciationis, vel Aſſumptionis, debet cantari Miſſa Dominicæ tantùm, nec facienda eſt commemoratio Purificationis B.M.V. S.R.C. 15. Septemb. 1736. *in Toletana.* Vide n. 583.

692 In Proceſſione Feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo totum Officium, & ſacram functionem in Pontificalibus non peragente, non ſunt à geſtantibus haſtas Baldacchini adhibenda Pluvialia, ſed ſolùm Cottæ. S.R.C. 15. Septembris 1736. *in Toletana.*

693 In adoratione Crucis Feria VI. in Paraſceve, debent Celebrans, & Miniſtri deponere etiam Manipula. S.R.C. 15. Sept. 1736. *in Toletana.*

In extendendo hoc Decreto irrepſit forſan aliquis error Scriptoris, ut aliquando evenit, quia ex Rubrica Miſſalis potiùs deducitur, non eſſe deponendum Manipulum in dicta circumſtantia; unde opus eſt, ut hoc diligentiùs examinetur.

694 Translato Feſto ſemiduplici ad Vigiliam alicujus Apoſtoli, in Miſſa Feſti, tertia Oratio debet eſſe *A cunctis*. S.R.C. 15. Sept. 1736. *in Toletana.*

695 Si Secunda Oratio eſt de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia, ſive ultima non debet concludi: *ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.* S.R.C. 15. Septemb. 1736. *in Toletana.*

696 In Communione Monialium habentium feneſtrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet deſcendere, & reverti per gradus anteriores, & non laterales Altaris. S.R.C. 15. Septembris 1736. *in Toletana.*

697 Poſt expoſitionem Reliquiæ Sanctiſſimæ Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione, benedicendus eſt Populus cum ipſa. S.R.C. 15. Septembris 1736. *in Brixien.*

698 Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda à Celebrante genuflexo. S.R.C. 15. Sept. 1736. *in Brixien.*

699 Non eſt genuflectendum à Capitulo, & Clero, proceſſionaliter tranſeuntibus ante Altare, in quo recondita eſt Reliquia SS. Crucis. S.R.C. 15. Septemb. 1736. *in Brixien.*

700 In Miſſis Ferialibus à Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, juxta alias reſolutiones 22. Novembris 1659. *in una Rubricarum*, 13. Septembris 1692. *in Cæſaraugustana*, & 4. Maji 1709. *in Piſtorien.* occurrente Feſto ſimplici, non eſt dicenda tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *pro Papa.* S.R.C. 15. Sept. 1736. *in una Rubricarum.* Vide n. 375. 506. 614.

*Pro Coronide hujus Indicis addere lubet ſequens Decretum recèns emanatum occaſione proximæ Canonizationis, in quo ſtatuitur firma regula, quæ ſervari debet circa præcedentiam in proferendis nominibus Servorum Dei, qui à Summis Pontificibus in Catalogo Sanctorum adſcribuntur.*

701 Cùm Sacrorum Rituum Congregatio ſub die 29. Decembris Anni 1670. annuente ſa. mem. Clemente X. demandaverit, in expreſſione Nominum Beatorum, qui canonizandi ſunt, ſervandum eſſe Ordinem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, nempe antecedere debere: Primò illos ſtatus Clericalis; ſecundò illos ſtatus Regularis; & tertiò inter plures ejusdem Ordinis attendendum eſſe tempus mortis; prout clariùs ſubinde declaravit alio ſimili Decreto diei 24. Januarii ſubſequentis Anni 1671. ab eodem Pontifice ſimiliter approbato; Cumque occaſione proximæ futuræ Ca-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nonizationis dubitatum fuerit de Ordine ſervando in exprimendis Nominibus B. Vincentii à Paulo Sacerdotis Fundatoris Congregationis Miſſionis & Societatis Puellarum de Charitate: & B. Johannis Franciſci Regis Sacerdotis Profeſſi Societatis Jeſu; Congregatio Particularis Sacrorum Rituum à Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata hoc ſuo Decreto ſtatuit, & mandat, ſervari memorata Decreta, cum hac tamen declaratione, quòd ſi inter plures ejusdem ſtatus & Ordinis reperiatur unus, qui ſit Fundator alicujus Religionis, Congregationis, Societatis, aut alterius hujusmodi Inſtituti, ſive Clericalis, ſive Regularis, à S. Sede approbati, præferatur aliis, qui hanc qualitatem Fundatoris non habent, licèt antè in Domino obdormierint, ideoque in caſu, de quo agitur, primo loco nominetur Vincentius à Paulo, ſecundo Johannes Franciſcus Regis, ſi SSmo, &c. Die 16. Aprilis 1737.

Factaque per me Fidei Promotorem de prædictis SS. Domino Noſtro CLEMENTI XII. relatione, Sanctitas Sua Decretum iſtud prædictæ Sacræ Congregationis Particularis confirmavit, & approbavit, & in poſterum ſervari mandavit. Die 17. ejusdem Menſis Aprilis 1737.

*Ludovicus de Valentibus*
*S. Fidei Promotor.*

# APPENDIX

## Aliorum Decretorum, quæ ſolùm poſt confectum, & coordinatum ſuperiorem Indicem, quoad maximam ſui partem, reperta fuerunt, & collata cum ſuis Originalibus, deſcriptis in Regeſtis S. R. C.

702 CAnonicus Protonotarius poteſt uti ſubtana violacea in Choro, & in Ecleſia, dum Divinis aſſiſtit, dummodò in cæteris habitum proprium Canonicis convenientem deferat. S. R. C. 14. Januarii 1612. *in Panormitana.*

703 Coadjutor Canonici juſta de cauſa immunis, & exempti à Choro, tenetur intereſſe, ut Canonicus lucretur diſtributiones. S. R. C. 20. Februarii 1627. *ad dubium de Coadjutore.*

704 Protonotarii Titulares præcedere debent Canonicos Cathedralis Collegialiter non incedentes. S. R. C. 12. Julii 1628. *in una Urbis.*

705 Præcedentia ſemper danda eſt ſupra Dignitates, & Canonicos, Vicario Generali, tam præſente, quàm abſente Epiſcopo, prout declaravit S. R. C. 23. Martii 1602. *in Lauretana, & Nolana.* S. R. C. 7. Auguſti 1628. *ad dubium de Vicario Generali.*

706 Electus Eccleſiæ Archiepiſcopalis non poteſt exercere Pontificalia in ſua Eccleſia, ante receptionem Pallii. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *in Ulyſſiponen.*

707 Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa Anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrunt Feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, necnòn etiam tempus Quadrageſimale, & quatuor Tempora, Vigiliæ, & ſimilia, Miſſa Conventualis nullo pacto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pacto eſt omittenda, ſed utraque Miſſa eſt cantanda, altera de die, altera de Requiem, etiamſi occurrat Feſtum duplex, dummodò non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, & licitè eleemoſyna lucrari poſſit, ùt declaravit 1. Septembris 1607. *in Pampelonen*. S. R. C. 29. Novembris 1628. *in Januen*. Vide in Indice num. 20. & alios ibi notatos.

708 Sacerdos etiamſi ſit Dignitas, vel Canonicus, abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens Palmas, juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto. S. R. C. 31. Martii 1629. *in Pientina*.

709 Epiſcopus poteſt cogere Sacerdotes Seculares, ut audiant Confeſſiones Sacramentales cum Superpelliceo, & Stola, & Regulares cum Stola tantùm. S. R. C. 28. Auguſti 1628. *in Caſertana*.

710 Coadjutores, quando Coadjuti ſunt præſentes in Choro, vel Proceſſionibus, non poſſunt in habitu Canonicali intervenire. S. R. C. 24. Maji 1636. *in una Civitatis Caſtelli*.

711 Non valentes ſatisfacere Anniverſariis Defunctorum in diebus Ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in Feſtis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 3. Martii 1629. *in Papien*. Vide in Indice n. 20. & 707.

712 In Altari, ſub quo ſunt ſepulta Cadavera Defunctorum, non poteſt celebrari. S. R. C. 11. Junii 1629. *in una Turritana*.

713 Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine Hymni *Pange lingua*, non verò ad ℣. *Sit, & Benedictio*. S. R. C. 5. Februarii 1639. *in Sabinen*.

714 Cappellani Societatum non poſſunt prohiberi à Parocho, celebrare Miſſam ante Miſſam Parochialem. S. R. C. 11. Novembris 1641. *in Narnien*. Vide n. 420.

715 Feria V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſe ipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis, & Clericis, nunquam verò debet illam miniſtrare Diaconus, vel unus ex Aſſiſtentibus. S. R. C. 8. Auguſti 1643. *in Majoricana*.

716 Canonici Presbyteri non debent habere præcedentiam ſuper Archidiaconum, etiam ſi ipſe in Diaconali tantùm Ordine ſit conſtitutus. S. R. C. 26. Septemb. 1643. *in Ariminen*. Vide in Indice n. 214.

717 Tam Seculares, quàm Regulares, cujuscumque Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, non poſſunt excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtol. ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officiis cum Octavis, niſi hoc expreſsè Sedes Apoſtolica eis indulſerit. S. R. C. 5. Octobris 1652. approbante Innocentio X. 16. Decembris ejusdem Anni.

718 Regulares, etiam Societatis Jeſu, in Miſſis ſollemnibus adhibere debent Diaconum, & Subdiaconum; & in Veſperis Sacerdotem Pluviali indutum, ac in reliquis omnibus tenentur exactè obſervare Rituale, Ceremoniale, & Rubricas Miſſalis Romani. S. R. C. 5. Octobris 1652. confirmante Innocentio X. 16. Decembris ejusdem Anni.

719 In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſſa Votiva ſollemnis B. M. V. quamvis in ipſis occurrat Feſtum S. Thomæ Apoſtoli, & Dominica tertia, vel quarta Adventus, non omiſſa tamen Conventuali, ſtatuta hora decantanda. S. R. C. 28. Septembris 1658. *in Agren*.

720 Jus deferendi SS. Sacramentum, & Reliquias in Proceſſionibus, ſpectat ad Hebdomadarium Miſſarum ſollemnium peractarum poſt Proceſſionem, vel ad illum,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui immediatè ante Proceſſionem eadem peregerit, privativè quoad reliquos, etiam Dignitates, & Seniores Canonicos, tam abſente, quàm nolente Epiſcopo prædicta munia ſubire. S. R. C. 26. Januarii 1658. *in Cajetana.*

721 Prima Dignitas Officium Presbyteri aſſiſtentis, Epiſcopo Divina Pontificaliter peragente, faciens, tenetur ſuſtentare librum, quando ſolùm Epiſcopus cantat, non verò quando legit, quod ſpectat ad Cappellanum. S. R. C. 16. Martii 1658. *in Raguſina.*

722 Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem Cotta indutum in Communione Generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt. S. R. C. 3. Sept. 1661. *in Andrien.*

723 Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis non poteſt cogi ad inſerviendum Miſſis cantatis pro Diacono, & Subdiacono, conſtitutione, ſeu conſuetudine in contrarium, non obſtante. S. R. C. 21. Januarii 1673. *in Veliterna.*

724 Celebrans in Miſſa ſollemni procedere debet ad præparatam ſedem aperto capite, & ita regredi ad Altare, quando ſedere debet, dum cantatur Hymnus Angelicus, & Symbolum Apoſtolorum, ſed ad illa verba, quæ cantantur in Choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur ſe inclinare nudo capite, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 22. Martii 1676. *in Collen.*

725 In benedicendo Populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum: cùm Sacerdos ſtat ante Populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non ſupra caput, ſed tantùm uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta linea illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & versùs ante pectus reducit, ibique aliquantulùm ſiſtit, quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens collocat Oſtenſorium ſuper Altare. Servari etiam poteſt alius modus, deſcriptus in Cerem. Epiſc. lib. 2. caſ. 33. ubi requiritur tantummodò, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis. S. R. C. 21. Martii 1676. *in Collen.*

726 Poteſt Epiſcopus concedere, etiam contradicente Parocho, licentiam Regularibus, in die feſtivitatis alicujus Sancti, præcipuè Fundatoris, faciendi proceſſionem cum Reliquia ejusdem Sancti, & cum Confraternitatibus erectis intus Conventum, & extra Clauſtra dicti Conventus, & intra limites Parochiæ dictorum Regularium. S. R. C. 13. Junii 1676. *in Nuſcana.*

727 Si urgente cauſa celebranda eſt Miſſa votiva infra Octavam, quæ habeat Præfationem propriam, ac Communicantes; in Miſſa votiva debet dici Præfatio conveniens, Communicantes verò de infra Octavam, quia eſt proprium de illo tempore. S. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

728 Si Altare non haberet planitiem, ſed multos gradus, vel ſi ipſam haberet nimis latam, debet in eo apponi pradella, quæ dividat Altare à planitie, ut Sacerdos incipiat Miſſam ante ipſam pradellam. S. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

729 SS. Sacramento expoſito, Gubernator Civitatis, ſeu perſonam Regiam repræſentans, debet habere eandem ſedem, vel ſcamnum, quod habet repoſito SS. Sacramento. S. R. C. 16. Junii 1683. *in Granaten.*

730 Rubrica concedit uſus Planetarum complicatarum ante pectus Diaconis, & Sub-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Subdiaconis, miniſtrantibus in Miſſa ſollemni, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis, in diebus jejuniorum, cum limitatione, ùt ibi; in minoribus verò Eccleſiis, Miniſtris prædictis dat tantùm uſum Albæ cum Manipulo Subdiacono, & cum Stola, ac Manipulo Diacono. S. R. C. 13. Junii 1684. *in Angelopolitana.*

Ex quo ſequitur, quòd in Eccleſiis non inſignibus Regularium, & Monialium, & in parvis Eccleſiis Secularibus, etiam Parochialibus, non conceditur uſus Planetarum complicatarum. Vide n. 247.

731 Modus benedicendi alios, vel rem aliquam, debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis, & extenſis. S. R. C. 24. Julii 1683. *in Albinganen* Vide in Indice num. 406.

732 Patena ad Miſſam in extremitate, ſeu ora Patenæ, congruentiùs eſt oſculanda. S. R. C. 24. Julii 1683. *in Albinganen.*

733 In Miſſis votivis B. M. V. quæ recitantur in Sabbato, dicitur *Gloria in Excelſis Deo*, etiam ſi non fiat Officium de eadem. S. R. C. 30. Julii 1689. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

734 Licitum eſt Epiſcopo incedere cum Mitra, quando defert Reliquiam Ligni Sanctiſſimæ Crucis in Proceſſionibus. S. R. C. 14. Junii 1692. *in Materanen.*

735 In expoſitione SS. Sacramenti, quæ fit ad inſtar Proſcenii, quantitas luminum pietati facientis expoſitionem remittitur, & in Altari ſuper candelabris ad minus ſex candelæ accendi debent. S. R. C. 15. Martii 1698. *in Narnien.*

736 Si Epiſcopus Suffraganeus, accedens ad Eccleſiam, deferat Cappam, tenetur ipſe ſuſtentare ſibi caudam involutam brachio ſiniſtro, & duo Canonici debent ire uſque ad oſtium Eccleſiæ, dignior verò illorum porrigere ei tenetur Aſperſorium, quo Suffraganeus ſe ipſum tantùm aſpergit, & pariter eum aſſociant ad eundem locum. S. R. C. 6. Septemb. 1698. *in Veliterna.*

737 Si Epiſcopus Suffraganeus aſſiſtens Concioni ſedeat in Presbyterio, Concionatoris ſalutatio ei priùs dirigi debet, diſtincta ab illa Canonicorum, & Magiſtratus Secularis. S. R. C. 6. Septembr. 1698. *in Veliterna.*

738 Si Epiſcopus Suffraganeus, occaſione functionum Epiſcopalium, accedat cum Cappa, debet ſe parare in faldiſtorio, aliàs in ſacrario, non poteſt tamen ſibi deferri facere caudam veſtis violaceæ unà cum elevatione fimbriæ anterioris in plano pavimenti Eccleſiæ. S. R. C. 6. Sept. 1698. *in Veliterna.*

739 Non licet Clericis, miniſtrantibus Thuribulum, ſeu Naviculam Canonicis celebrantibus coram Epiſcopo, genu illis flectere, ſicut fit Epiſcopo. S. R. C. 4. Aprilis 1699. *in una Burgi Sancti Sepulchri.*

740 Lampas ardens omnino retinenda eſt ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum Altare. S. R. C. 22. Auguſti 1699. *in una Ordinis Cappuccinorum.*

741 Epiſcopus Palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium: *Cùm appropinquaſſet*, vel *Altera autem*, die poſt Paſſionem, tam ex praxi Cappellæ Pontificiæ, quàm ex præſcripto Ceremonialis Epiſcoporum. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

742 Dum Epiſcopus diſtribuit Candelas, Cineres, Palmas &c. Celebrans, & Miniſtri debent ſedere Capitibus coopertis. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

743 Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus, dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

744 Canonici, & Aſſiſtentes Epiſcopo parati, & illum ad Altare comitantes in Pontificalibus, ratione Paramentorum poſſunt procedere per Eccleſiam coopertis, non verò nudis Capitibus. S R. C. 28. Aprilis 1708. *in Bracharen.*

745 In Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, diebus, in quibus juxta Rubricas Miſſalis *de Translatione Feſtorum*, poſſunt cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de Feſto. Sed in Eccleſiis, in quibus non eſt obligatio cantandi Miſſam quotidie, cantari poteſt Miſſa ſollemnis votiva de Feſto occurrente tantùm. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.*

746 In die Conſecrationis, vel Tituli Eccleſiæ Parochialis, non Cathedralis, & per Octavas, non poteſt celebrari Miſſa Dedicationis, ſeu Titularis, ſub eodem Ritu duplici, ac in Parochiali, etiam in Oratoriis eidem Eccleſiæ Parochiali ſubjectis, in quibus multi Sacerdotes celebrant. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.*

747 Quando tertia Oratio in Miſſis eſt ad libitum, & ex juſſu Summi Pontificis, vel Epiſcopi, debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia, videlicèt contra Turcas, ſeu ad petendam ſerenitatem, aut pluviam &c. hæc Oratio debet recitari tanquam ex præcepto, 4. loco, non omiſſa 3. loco illa, quæ eſt ad libitum, ſeu pro devotione Sacerdotis eligenda. S. R. C. 17. Auguſti 1709. *in Bergomen.* Vide in Indice n. 476.

748 Canonico Epiſcopo Titulari, poſt delatam per Archidiaconum ſive Presbyterum aſſiſtentem pacem Epiſcopo locali, non debet illa per eundem Archidiaconum, ſive Presbyterum ipſi deferri, ſed illam recipere debet ab eodem Miniſtro parato, qui eam diſtribuit Choro, & poſtquàm Epiſcopus localis ipſam dederit Canonicis aſſiſtentibus in Throno. S, R. C. 10. April. 1728. *in Aſculana.*

749 Canonicus Epiſcopus Titularis in Miſſis, & Veſperis cantatis cum aſſiſtentia Epiſcopi localis, tenetur diſcedere à Stallo unà cum reliquis Canonicis, pro faciendis conſuetis circulis præſcriptis à Ceremoniali Epiſcoporum. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Aſculana.*

750 Canonicus Epiſcopus Titularis, exercente Pontificalia Epiſcopo locali, cum exiſtentia Capituli ſacris veſtibus parati, poteſt cum reliquis Canonicis in Stallo aſſiſtentibus deferre Pluviale, & de conſenſu Epiſcopi geſtare Mitram lineam, ſed illam per ſeipſum imponere, & removere debet à capite; & ſemper thurificandus eſt poſt Archidiaconum, ſeu Presbyterum aſſiſtentem, & Canonicos à latere Epiſcopi in Throno pariter aſſiſtentes. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Aſculana,*

751 Canonicus Epiſcopus Titularis debet ſe abſtinere à celebratione Miſſæ cantatæ, & Veſperarum de Turno in propria hebdomada, ſed ſubrogare tenetur alium; in ſollemnioribus verò Feſtis de licentia Epiſcopi debet uti Faldiſtorio, & indumentis Pontificalibus. S. R. C. 10. Aprilis 1728. *in Aſculana.*

752 Præpoſitus Cathedralis, abſente Epiſcopo, non debet thurificari triplici ductu,

ctu, neque præſente Vicario Generali. Ubi ob deficientiam Sedium fixarum Chori, Canonici ſedent in ſcamnis, ſive in functionibus ſacris, ſive in congreſſibus Canonicalibus, præſente, vel abſente Epiſcopo, debet ſedere in illis, primo loco, nec eidem apponenda eſt Sedes Cameralis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

753 In diebus Sollemnibus, ſacrum faciente Præpoſito Cathedralis, non poſſunt exponi in gradibus Abaci pelvis, gutturnium, & manutergium in lance pro *Lavabo*, duobus Manſionariis, vel Clericis cum Cotta miniſtrantibus, ſed debet celebrare ad inſtar aliorum Canonicorum. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

754 In Proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur Candela majoris ponderis, & in diſtributione Palmarum diſtincta, & honorabilior Palma, quàm cæteris de Capitulo. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

755 Aſſiſtentibus in Choro Vicario Generali, & Præpoſito Cathedralis, præcedere debet Vicarius, non verò Præpoſitus; ſecus verò ſi Præpoſitus ſit indutus Sacris veſtibus, aut ſi Vicarius ſit Canonicus, & interſit in Choro habitu Canonicali. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.* Vide num. 14.

756 Præpoſitus Cathedralis, dum induitur veſtibus choralibus, tolerari non poteſt, ut ei inſerviat unus ex Manſionariis; neque aliquis ex illis debet ei deferre Breviarium ad ſuum Stallum. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

757 Præpoſito Cathedralis non debentur paramenta ſacra, & nobiliora, in loco diſtincto à cæteris Canonicis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

758 Præpoſitus Cathedralis tenetur per ſe ipſum, quando non eſt legitimè impeditus, ſervare hebdomadam in Choro, & canere Miſſas per Turnum cum cæteris Canonicis. S. R. C. 21. Aprilis 1736. *in Anagnina.*

# FINIS.

INDEX

# INDEX VERBORUM, ET RERUM NOTABILIUM,

## Quæ continentur in hoc Primo Tomo.

*Numerus indicat Paginam.*


ABacus. V. *Credentia.*

Abbas Collegiatæ exemptæ cum ſuis Canonicis non eſt thurificandus ante Canonicum Cathedralis, ſi adſit cum Epiſcopo. 301. 302. niſi celebret, & tunc qualiter. *ibid.* Abbates quando plures in Proceſſione SS. Sacramenti debent incedere, unusquisque cum ſuo Clero. 681.

Abbatibus competit etiam in Miſſa titulus Reverendiſſimi à petente benedictionem, cum incenſum imponunt in Thuribulum. 230.

Abbates non poſſunt benedicere Indumenta Sacerdotalia Eccleſiarum ſibi non ſubditarum. 729.

Abbatibus, quæ privilegia conceſſa, & quæ derogata. 756. *& ſeq.*

Abbates, & Monachi Miſſas publicas cantare vetantur à Conc. Lateranenſi Primo. 54. Non ducunt Abbates Stolam ante pectus, dum celebrant Pontificaliter, & cur. 186.

Ablutio digitorum poſt ſumptionem Calicis, quo Ritu ſervanda. 337.

Ablutio digitorum Sacerdotis poſt peractam Communionem Fidelium in Sacrarium immittenda. 350 facienda Ablutio, recondita Pyxide in Tabernaculo. 353.

Abſolutio Mortuorum. Si elevetur SS. Sacramentum in aliquo Altari, dum fit Abſolutio, nec Celebrans, nec Miniſtri debent genuflectere. 391. ſi fiat præſente Cadavere, quo loco Subdiaconus, & Celebrans ſtare debeant. 388. *ſeq.* ſi Defunctus ſit Sacerdos, Subdiaconus cum Cruce ſtare debet ante pedes Defuncti, non ad Caput. 389. *Libera me Domine*, quomodo cantandum. 390. ſi Feretrum non adſit, facienda in cornu Epiſtolæ. 391. quo Ritu. *ibid.* ſi Miniſtri ſacri non adſint, quomodo. 391. Antiphona *non intres in judicium* ſemper dicenda præſente Cadavere, nec verba mutanda, ſi ſit fœmina, vel plura Cadavera. *ibid.*

Acolythus ſi pro Subdiacono miniſtret, an Patenam tenere poſſit. 296.

*Actio* cur appellatur Canon Miſſæ. 154.

Actus virtutum an faciendi ante ſumptionem Hoſtiæ in Miſſa. 334.

Adſo Abbas Miſſam Matutinalem pro Heriberto Comite graviter ægrotante celebrari juſſit. 68.

Adventus olim pro ipſa Natalis Domini die accipiebatur. 467. nunc tempus deſignatum ante ipſum Feſtum. 466. Quadrageſima ante Natalem olim Adventus appellabatur, & à S. Martini Feſto incipiebat. 467. varius Ritus. *ibid.* ejus antiquitas ad S. Petrum uſque non probatur. 468. ab Eccleſia Romana ante Sæculum VII. non fuit receptus. *ibid.* incipiebat olim Romæ à Dominica poſt Feſtum S. Catharinæ. 467. apud

apud Gallos ejus habetur memoria Seculo V. à Græcis appellatus Quadrageſima. 468. habent quadraginta dies cum jejunio, ſed variè. *ibid.* Eccleſia Occidentalis duplicem Adventum hoc tempore celebrat. 469. in Miſſis de Adventu quid circa uſum Planetarum plicatarum. *ibidem.* ejus Dominica prima, eſt Primæ Claſſis, nec poteſt cantari Miſſa, etiam de Titulari. 472.

Adventus Dominicæ olim ſeptem. *61.*

Aër. V. *Velum Calicis, & Manipulus.*

Agapes nomine ſignificari *Miſſam* non bene interpretatur Vicecomes. 18.

*Agenda* Miſſæ Sacrificium appellatum. 1*6.*

Agni Cerei, olim benedicti in Sabbato Sancto, vel de cera nova benedicta, vel ex Cereo Paſchali anni præcedentis cum Chriſmate admixta, & Sabbato in Albis per Papam diſtributi. 64*5.*

Agnus. Chriſtus in forma Agni ne pingeretur ſtatuit Pſeudo-Synodus Trullana, ſed illi reſtitit Romana Eccleſia. 331.

*Agnus Dei.* Sigillum cum inſcriptione *Agnus Dei, &c.* à B. V. datum. *ibid.*

Alba. Authores de ea agentes. 181. 182. modus illam induendi. *ibid.*

Albâ ſolâ antiquitus Lectores, & Subdiaconi in miniſteriis utebantur. 472.

Albinus Flaccus Miſſales Gelaſianos, & Gregorianos ordinavit. 5. ex his alios particulares confecit. 6.

Alcuinus Magiſter Caroli Magni diſtribuit Miſſas particulares per ſingulas hebdomadæ Ferias, quales, & cur. *61.*

Alexander PP. I. *Unde & memores* Decretô roboravit. 323. 324. uſum aquæ benedictæ confirmavit. 722.

Alexander PP. II. ejus auctoritate abrogari cœpit in Hiſpania Officium Mozarabicum, & ſubſtitui Romanum. 43. nec reſpuit, nec improbavit Feſtum SS. Trinitatis, cum in Eccleſia Romana non eſſet in uſu. *665.* decrevit ne plus, quàm una Miſſa eodem die ab uno Sacerdote celebretur. 3*6.*

Alexander PP. III. Roſam auream Venetiis benedixit in Eccleſia Sancti Marci, ac Duci Venetiarum dono dedit. 520. quid de Feſto SS. Trinitatis ejusque die ſcripſerit, cum nondum in Eccleſia Romana celebraretur. *666.*

Aliturgici dies, in quibus nulla celebrabatur Miſſa. 37.

Alleluja vox Hebraica. 127. Auctores de eo tractantes. 138. Sabbato Sancto cur ante Tractum. *637.* tempore Paſchali toto in Miſſis tam feſtivis, quàm votivis quoties, & quibus in locis addendum Alleluja. *652.* in tota Octava Corporis Chriſti addendum ℣. *Panem de Cœlo, &c.* 688. quibus temporibus, ac diebus non debeat dici. 138.

*Alma Redemptoris, &c.* non eſt protrahenda, ſi Feſtum Purificationis incidens in diem privilegiatam, transferri contingat. 448.

Altare olim ligneum & lapideum. 1*66.* nunc debet eſſe lapideum, & cur. *ibid.* cancellis ſepiendum, cur. 1*69.*

Altare ad Orientem. In eo Celebrans numquam vertit humeros ad ipſum Altare. 245. *ſeq.* Antiochiæ erat ad Occidentem, & quomodo. *ibid.* ad alias partes ſpectantia Altaria etiam antiquitus erant. *ibid.* plura ad Orientem verſa hodie quoque Romæ habentur. *ibid.*

Altare quo Ritu oſculatur Celebrans. 225. ſi in eo ex diſpenſatione Apoſt. non ſint Reliquiæ, utrum ſint omittenda verba: *quorum Reliquiæ hic ſunt. ibid.* cornu ſiniſtrum Altaris eſt ejus pars dextera, & cur. 22*6.* & cornu Evangelii ſiniſtra. *ibid.*

Altare ad Miſſam celebrandam erigi in Cubiculis Regularium prohibetur. 1*68.*

Altare unum olim in ſingulis Eccleſiis. 55. an plures Miſſas eodem die ſuper illo celebrari liceret. *ibid.* etiam plura diverſis temporibus. *ibid.* & à quo tempore. 5*6.*

Altare, in quo Epiſcopus celebravit, eodem die non licet Presbytero. 55.

Altare Cardinale, & Capitaneum quale. 68. in Altari, in quo exponitur Sacramentum Orationis 40. horarum, nulla alia celebranda Miſſa, quàm ſollemnis pro expoſitione ejusdem. 90.

Altare ligneum, in quo S. Petrus, & Pontifices uſque ad S. Silveſtrum celebrarunt, Romæ in Baſilica Lateranenſi. 166. aliud in alia Eccleſia Romæ. *ibid.* eorum forma. 167. an Silveſter decreverit non celebrandum niſi in Altari lapideo. 166.

Altare aureum à Pulcheria Auguſta in Eccleſia Conſtantinopolitana erectum. *ibid.* aliud extructum Ratisponæ. *ibid.*

Altaria lapidea, vel lignea laminis aureis circumveſtita. *ibid.*

Altaria argentea. 167.

Altaria quomodo mundanda. 169. Decreta circa Altaria. *ibid.*

Altare Incruenti Sacrificii, memoratum à D. Paulo Apoſt. 18.

Altare Privilegiatum: Decreta pertinentia ad Miſſas pro Defunctis in eo celebrandas. 114. an recitans Officium duplex, & celebrans in aliena Eccleſia, ubi non fit de duplici, poſſit in Altari Privilegiato celebrare de Requiem, ut ſatisfaciat. *ibidem.*

Altaris Privilegiati ratione non licet exponere ſuper Januam Eccleſiæ Tabellam cum Inſcriptione: *Indulgentia pro Mortuis.* 716. quando remanet ſuſpenſum Privilegium ex deficientia numeri Miſſarum ſtatuti in Brevi Apoſtolico. 719. *ſeq.*

Altare ſeu Cappella, an ratione Concurſus in Feſto Sancti, cui dicatum eſt, poſſit in Miſſa dici *Credo*, & *Gloria.* 146.

Altare quoad obligationem celebrandi. V. *Miſſa Celebratio quoad locum.*

Altarium denudatio. Ritus omnis. 558.

Altaris incenſatio. V. *Incenſatio Altaris.*

Altarium Lotio Fer. V. in Cœna Domini, fuſe de illa Batellus integra Diſſertatione. 560.

S. Amatoris Miſſæ prohibitæ. 75.

Amen vox hebraica. 127. ex Decreto Anacleti Papæ in fine Orationum dicitur. 135.

Amictus olim poſt Albam, & Cingulum, & ubi nunc etiam. 181. ſi Crux non adſit in eo, quid. *ibid.* Collare non debet deponi, ſed ſupra illud Amictus deduci. *ibidem.*

Ampullæ vitreæ ſint. 201. quomodo adhibendæ à Celebrante, & Miniſtro in Miſſa. 280.

Anacletus PP. confirmavit, non inſtituit *Amen* dici poſt Orationes. 135.

*Anaphora* Miſſæ Sacrificium. 16.

S. Anaſtaſia M. cur ejus Commemoratio fiat in ſecunda Miſſa Nativitatis Domini. 121. 491. olim in ejus Eccleſia tota Miſſa de illa cum Commemoratione Nativitatis. *ibidem*

Angelicus Hymnus. V. *Gloria in Excelſis.*

Anniverſaria Electionis, ſeu Conſecrationis Epiſcopi à D. Auguſtino celebrabantur. 718. exactè in literis Ordinationis ab Ordinatoribus dies, ac Conſulatus notabantur. *ibid* Miſſa quo Ritu dicenda, ſi in die feſtivo occurrat. *ibid.* in Oratione quid mutandum, ſi dicatur ab ipſo Epiſcopo. *ibidem*

Anniverſaria dies Defunctorum, ſi transferenda, vel mutanda. 112. Decreta S. Congreg. circa Anniverſaria Defunctorum. *ibid.*

Annulus aureus in digito indice dextræ deferendus extra Miſſam. 188. non geſtandus in Miſſa à Protonotariis non participantibus, à Doctoribus, à Canonicis, & Dignitatibus Cathedralium. 189.

Annunciatio B. M. V. ſi incidat in Feria V. in Cœna Domini, ſervandum eſt præceptum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptum vacandi ab operibus ſervilibus, & audiendi Sacrum, & quid curandum ab Ordinariis. 550. ſi in Feria VI. Paraſceves, transfertur quoad omnia juxta Decreta S. R. C. ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis. 602. & 652. item ſi in Sabbato Sancto. 644. ſi in dicta Feria II. occurrat aliud Feſtum altioris Ritus, protrahitur quoad recitationem Officii tantum. 645.

*Antiphona* quid, & cur Introitus Miſſæ ſic appellatur. 124.

Antiphonarium S. Gregorii quid, editum à Card. Thomaſio. 8.

Antiſtitis nomine in Canone non veniunt Superiores, & Generales Religionum, ſed tantum Epiſcopus Ordinarius loci. 310.

Antonelli (Nicolai) Diſſertatio de Titulis à S. Evariſto in Urbe diviſis. 15.

Apollinaris (Sidonius) vaſtiſſimæ memoriæ Vir. 10.

Apoſtoli primùm ſola Oratione Dominica Hoſtiam conſecrabant, & creſcente numero Fidelium lectiones, preces, & cæremonias addiderunt. 20. & 26. Liturgiarum antiquiorum primi auctores. 21. an veſtibus ſacris uſi fuerint in celebratione Miſſæ. 27. qua lingua. 28. 30.

Aqua Benedicta ab aquæ luſtralis uſu apud Gentiles ortum primum habuit. 721. S. Matthæo Apoſtolo tribuitur. *ibid.* confirmatus uſus à S. Alexandro I. PP. 722. poteſt benedici etiam extra Eccleſiam, & quacunque die. 721. præſentia moralis ſufficit, & quomodo. *ibid.* triplex diverſa aquæ benedictio, & quæ. 720. per aſperſionem ejus quid moneantur Fideles. 722. aqua debet eſſe naturalis, & pura. 723. aqua odorata, ſeu alius liquor in pauca quantitate poteſt miſceri aquæ benedictæ. *ibid.*

Aqua in vinum converſa miraculoſe eſt materia apta ad conſecrandum. 432.

Aqua congelata non eſt materia ſufficiens ad Baptiſmum, & cur. 432.

Aqua miſcenda cum vino in Calice ex præcepto Eccleſiæ, & cur. 433. quantitas aquæ miſcendæ declaratur. 434. Græci bis miſcent in Calice aquam, frigidam ante, calidam poſt conſecrationem. 435. & cur. 436.

Aqua purificationis digitorum Sacerdotis miniſtrantis Euchariſtiam vel ſumenda, aut in Sacrarium immittenda. 350.

Aqua benedicta an removenda à ſuis Vaſis in Eccleſia à Fer. V. in Cœna Domini, & ſeq. varia ſententia, & uſus. 557.

Aqua lotionis Corporalis, & pallæ, in Baptiſterium vergi debet. 180.

Aquarii hæretici ſolam aquam in Sacrificio adhibebant. 434.

Aquilejenſis Eccleſiæ Breviarium Patriarchinum Comenſis Eccleſiæ ad uſum, Comi ſervatur. 48. ejusdem Liturgia. *ibid.*

Ara lapidea debet eſſe integra. 169.

Aræ in Eccleſia primis Eccleſiæ Seculis. 165.

Arcani Diſciplina ſervata apud priſcos Chriſtianos, cur. 15.

Archidiaconus, qui baculum Epiſcopi ſuſtinet, thurificandus poſt Diaconos aſſiſtentes. 301.

Armariolum Sacramenti. V. *Tabernaculum.*

Armeni tempore Conſtantini Magni fidem Chriſtianam amplexi ſunt: & quando profeſſi Hæreſim Eutychianam. 487.

Arundo pro tribus Candelis in Sabbato Sancto debet eſſe vera Arundo, non baculus, & cujus altitudinis. 608. *ſeq.* origo, & auctor ignoratur, & quid cenſeat Claudius de Vert. 615. *Pertica cum Candelis* alicubi nuncupata. *ibid.* & in modum Serpentis. 616. uſus dictarum trium Candelarum unde, & myſterium. *ibid.* Ritus accendendi Candelas. *ibid. ſeq.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Aſcemanni Viri doctiſſimi Bibliotheca Orientalis laudatur. 25.

Aſcenſio Domini. Feſtum ab Apoſtolis inſtitutum. 662. non habebatur inter ſollemniora, ſed inter ſecundi Ordinis. *ibid.*

Aſperſio aquæ benedictæ ante Miſſam cantatam ſine Miniſtris, quomodo. 272.

Aſperſio Altaris, & Populi cum aqua benedicta, ejus uſus antiquus. 720. facienda eſt ex aqua eodem die noviter benedicta. *ibid.* myſterium hujus renovationis. *ibid.* in diebus Paſchatis, & Pentecoſtes facienda cum aqua pridie benedicta in fonte. 721. debet fieri ante Miſſam Conventualem cum Pluviali, & ſi non habetur, ſine Caſula, cum Stola in modum Crucis. 723. ſine manipulo. *ibid.* inter aſpergendum Altare intonanda Antiphona. 724. Ritus aſpergendi Altare, ſe ipſum, & miniſtros. *ibid.* Dignitates, & Canonici aſpergendi ſingillatim, cum capitis inclinatione ante, & poſt. 725. Populum. *ibid.* manus ſiniſtra toto aſperſionis tempore ſupra pectus teneri debet. 726. Antiphona integrè dicenda cum toto Pſalmo. *ibid.* poſt aſperſionem Miniſtri tenent librum. *ibid.* non decet, ut adjuvantibus miniſtris deponat Celebrans Pluviale, ac ſumat Manipulum, & Planetam ante Altare, & quid. 727. Ritus alii ſervandi, præſente Epiſcopo, Prælato in ſua Juriſdictione, & Cardinali. *ibid.* Magnus Princeps, & Magiſtratus, quomodo. 728. Ritus in minoribus Eccleſiis. *ibid.*

Aſſiſtens Presbyter Epiſcopo thurificandus ante Archidiaconum. 301.

Aſſiſtentes Epiſcopo, licet minus digni, ante Dignitates thurificantur. 301.

*Audientes*, quæ claſſis Catechumenorum. 62.

*Ave Regina Cœlorum*, quomodo ſi transferatur Officium Purificationis. 130.

Aurora pro celebratione Miſſæ, ubi non eſt phyſicè, attendenda moraliter, & politicè, & quid. 160. & 443.

Azymi uſus in Conſecratione, ſeu Fermentati, quæſtio enucleata. 23. Chriſtus in Azymo conſecravit, & nullum impoſuit præceptum, & uterque panis approbatur ab Eccleſia pro validitate Sacramenti. *ibid.* Græcis uſum fermentati indultum, Latinis Azymi: & auctores qui ſuper hoc ſcripſerunt. *ibid.* & *ſeqq.*

Azymus Panis abſque fermento adhibitus à Chriſto in Conſecratione. 427. negatur à Græcis, cur. *ibid.* probabilior ſententia affirmativa. *ibid.* Latini tenentur conſecrare in Azymo, & Græci in Fermentato, ſub pœna læthali, & cur. *ibid.* an Latini tranſeuntes per loca Græcorum, & Græci per regiones Latinorum, debeant huic Ritui ſe accommodare. *ibid.* uſus Græcorum Romæ celebrandi ſuo Ritu. 428.

BAldachinum in Proceſſione celebrante Epiſcopo, ac deferente Corpus Chriſti, Eccleſiaſtici induti pluvialibus albis, ſine Stola deferunt. 553. 671. à Beneficiatis, ſeu Manſionariis, & deficientibus Pluvialibus cum Cottis tantum ſine Stola: melius vero in habitu Chorali. 576. ob parvum Clericorum numerum in Collegiatis, & Parochialibus, à nobilioribus loci, ſeu aliis. 671.

Baldachini uſum perſonis Secularibus in Eccleſia prohibitum. 253.

Baldini opinio de ſecunda Miſſa in Clero Decreta à Deusdedit Papa. 54. *ſeq.*

Baltheus. V. *Cingulum.*

Baro Dominus in Parochiali, ubi non ſunt Canonici, thurificandus poſt Celebrantem, Miniſtros paratos, & Archipresbyterum. 302.

S. Baſilii Magni ſenſus exponitur de quibusdam Myſteriis noſtræ Fidei haud ſcripto traditis. 10.

Beatorum nondum Canonizatorum, an Officium, & Miſſa celebrari poſſint. 91.

*Bene-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Benedicamus Domino* quid, & quando in fine Miſſæ. 155.

*Benedicamus Domino* in fine Miſſæ cur verſus Altare. 368. quando dicatur. *ibid.*

*Benedicat vos omnipotens Deus, &c.* ante Benedictionem in fine Miſſæ ejus in dicendo Ritus. 373.

*Benedicite Pater Rev.* dum porrigitur Cochlear Celebranti ad incenſum, ſi Epiſcopus ſit, quid. 230. Præſcribitur etiam Abbatibus, Generalibus, & Præpoſitis Generalibus. *ibidem.*

Benedictio ſuper Oblata quomodo. 284.

Benedictio cur Subdiacono non detur in Miſſis Defunctorum. 257. Ritus dandæ à Celebrante poſt Epiſtolam. *ibid.*

Benedictio Candelarum in Feſto Purificationis fit in Paramentis violaceis. 704. ordo procedendi ad Altare. 705. ſi eſt Dominica, fiat aſperſio aquæ benedictæ. *ibidem.* Ritus benedicendi. *ibid.* diſtribuendi. 706. Dignior è Choro, ſine Stola (ſi eſt Dignitas, aut Canonicus Cathedralis, ſtans) ſine oſculo manus porrigit Celebranti ſtanti Candelam. *ibid.* Ordo diſtribuendi Candelas juxta gradum cujusque de Choro. *ibid. ſeq.* Prælati ſi adſint, & Epiſcopus, ſi non celebrat, quomodo accipiunt. 707. Fœminæ non oſculantur manum Celebrantis. *ibid.* Ordo recipiendi inter Clerum, & Magiſtratum. *ibid.* frequentiori Populo deputari poteſt unus, vel plures Sacerdotes, qui cum Cotta, & Stola diſtribuant. *ibid.* limitatio hujus Regulæ. 708. Epiſcopus Candelas Mulieribus cur diſtribuere prohibeatur. *ibid.* aſſiſtentiæ ratio non datur, ſed quilibet debet accedere, juxta ordinem ſuum. *ibid.* Benedictio poteſt fieri in omnibus Eccleſiis. *ibid.* impedito Epiſcopo pertinet ad primam Dignitatem. 709. cum Epiſcopus benedicit Candelas, Candela danda ipſi Epiſcopo à Celebrante. *ibid.* Decreta S. R. C. ſuper his. *ibid.* Benedictio non eſt de Juribus merè Parochialibus. *ibid.* Ritus ſervandi in Eccleſiis minoribus. 713. in Miſſa quando in manibus Candelæ tenendæ. 712. an in Miſſa de Septuageſima alibi gerendæ accenſæ. *ibid.*

Benedictio Cerei Paſchalis à quo ejus origo. 620. Ritus. *à* 614. *uſque ad* 626. ante Præconium Diaconus non oſculatur manum Celebrantis. 618. Præconium à quo. 620. non ubique olim Cerei Benedictio habita. 621. *O felix culpa*, & *certè neceſſarium Adæ peccatum*, à S. Hugone Abbate abraſa, & interdicta. *ibid.* Ordo figendi grana Incenſi. 622. quomodo accendendus. 624. ex ejus lumine lampades Eccleſiæ accendendæ. *ibid.* Nomen Papæ viventis exprimendum, & Sede Vacante omittuntur ea verba. *ibid.* item proprii Epiſcopi abſque capitis inclinatione. *ibid.* Vacante Imperio quid in Præconio, & aliis Orationibus dicendum. 625. Cereus jam benedictus anno præcedenti, non debet anno ſubſequenti benedici, niſi ex majori parte ſit renovatus. *ibid.* Ritus in minoribus Eccleſiis. 647.

Benedictio quinque granorum Incenſi Cereo Paſchali infigendorum. 612. varius Ritus in quibusdam Eccleſiis. *ibid.*

Benedictio Cinerum Fer. IV. Vide *Cineres.* Decreta S. C. R. ad hanc ſpectantia. 516. qui benedicit, ille Miſſam celebrare debet. 517.

Benedictio Concionatoribus danda. 266.

Benedictio Fontis in Sabbato Sancto. 629. ejus antiquitas. 630. antiquitus in Fluminibus Baptiſmus tradebatur. 631. Baptiſteria tempore S. Dionyſii inſtituta. *ibid.* Ritus ſingulorum agendorum traditur. *ibid. & ſeq.* Ritus in minoribus Eccleſiis. 648.

Benedictio Palmarum. ejus antiquitas, contra aliquorum authorum ſententiam aſtruitur. 526. *& ſeq.* Romæ præſertim. 527. cur nulla mentio apud Gallos, & Hiſpa-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hiſpanos Scriptores. *ibid.* in Oriente antiquius Feſtum Palmarum. *ibid.* quæ paranda ad hanc benedictionem. 528. Ritus. 529. *ſeq.* à Digniori ex Clero datur Celebranti, & quomodo. 531. ſi ſit Superior Eccleſiæ, qui non celebret, dum accipit Palmam, neque genuflectit, nec oſculatur manum Celebrantis, ut etiam Canonici Cathedralis Eccleſiæ. *ibid. & ſeq.* neque Prælati. 532. Ritus, & Ordo quoad alios. *ibid.* ut in diſtributione *Cinerum.* V. *Benedictio Cinerum*, & *Proceſſio cum Palmis.* Ritus ſervandi in minoribus Eccleſiis 540.

Benedictio danda Fidelibus poſt Communionem. 351. forma, & Ritus, non impertienda cum Pyxide Monialibus ex Feneſtrella, ſed manu tantum dextera. *ibid.* id tantum Infirmis competit. *ibid.* danda poſtquam Pyxis repoſita eſt in Tabernaculo. 352.

Benedictio in fine Miſſæ olim variè dabatur. 156. in Eccleſia Gallicana. *ibid.* in Orientali. *ibidem.* apud Ciſtercienſes, & alios Ordines olim non præſcripta. *ibid.* modus benedicendi varii. 157. etiam Presbyteri ter benedicebant. *ibid.* id abrogatum à Pio V. *ibid.* quoad Presbyteros in Miſſa privata tantum. *ibid.* etiam in ſollemni ſub Clemente VIII. *ibid.* ejus antiquitas, & Ritus. 375. ter ab Epiſcopo, ſemel à Presbytero ducenda Crux ſuper Populum, & Ritus. *ibid.* cum duobus tantum digitis extenſis olim apud aliquos. *ibid.* in Miſſa ſollemni omnes genuflectunt ad Benedictionem Epiſcopalem, præter Canonicos. 378. non datur in fine Miſſæ Defunctorum, etiamſi fiat Communio Fidelium. 348. non tamen Communicantes privantur Benedictione, & quomodo. 345.

Benedictio Epiſcopalis in Miſſa olim ante Agnus Dei. 156.

Benedictio Agni ad menſam. antiquiſſimus ejus Ritus, & cur. 729.

Benedictio Aquæ. V. *Aqua benedicta.*

Benedictio incenſi. V. *Incenſum.*

Benedictio ſuper incenſum, in Sacramentario Gelaſiano, intelligendum incenſum pro Cereo Paſchali. 622.

Benedictio Populi cum SS. Sacramento, quo Ritu danda à Celebrante. 688. cur nihil ab eo dicatur. 689. inter Miſſam ex Apoſtoli Pauli inſtitutione. 10.

Benedictio ſalis aquæ miſcendi. 722. duplex, & qualis. *ibid.*

Benedictio rerum in Altari dum fit, ſiniſtra manus ſuper illud non extenſa tenetur. 214.

Benedictio à Diacono petenda ante cantum Evang. quomodo. 259.

S. Benedicti Octava infra Quadrageſimam, quid de Miſſis, apud Caſſinenſes. 81. tranſlato ejus Feſto, transfertur & Indulgentia ex privilegio. 120. Miſſa illius propria in Eccleſiis ejusdem Ordinis ab omnibus dici poteſt. 159. ſi contingat in Dominica ſecunda Quadrageſimæ, quid. 453.

Benedictus PP. VIII. ſuadente S. Henrico Imperatore jubet Romæ in Miſſa Symbolum decantari. 141.

Benedictus XIII. commendatur; ejus Opuſculum edidit Italicè de Praxi Cæremoniarum. 58. Officium de Communi Doctorum concedit SS. Anſelmo, & Iſidoro Epiſcopis. 143. Miſſas proprias S. Thereſiæ, ac S. Benedicti pro Carmelitis antiquæ Obſervantiæ, & Benedictinis; etiam à Sacerdotibus confluentibus in eorum Eccleſiis celebrari indulſit. 159.

*Benedictus qui venit, &c.* quo Ritu. 291. ad quæ verba Crux ſibi efformanda. *ibid.*

Beneficiati parati incenſandi ante non paratos. 301.

Benvenuti (Cæſar) Abb. Can. Lateranenſis laudatur. 163.

Berengariani realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia impugnarunt. 318. *ſeq.*

Berlendi (P. Franciſci) Cler. Regul. Diſſertatio Hiſtorico - Theologica laudatur. 60. 148. 285.

Bibliotheca Corſinia Romæ mirè locupletata à SS. D N. Clemente XII. 44.

Biretum Celebrantis non ponendum ſuper Calicem 193. in capite ponendum poſt genuflexionem factam SS. Sacramento expoſito dum accedit, vel recedit ab Altare. *ibid.* à Diacono porrigendum quaſi cum oſculo Celebranti dum ſedet. 238. & accipiendum dum ſurgit. 239.

Blanchini (Joſeph) Congreg. Oratorii Romani Presbyter V. C. Codicem Gelaſianum edidit, titulo S. Leonis PP. Gelaſiano antiquiorem. 6. & Gelaſii revera deprehenditur eſſe. *ibid.* comitem S. Hieronymi reperit in Bibliotheca Vallicellana. 8. Sacramentarium Leoninum evulgavit. 663.

Bocquillot (Lazari Andreæ) de Sac. Liturgia Tractatus laudatur. 9.

Bohemis inhibet Divina Officia celebrari linguâ Sclavonicâ Gregorius PP. VII. 49.

Bona Cardinalis laudatur, ejus liber rerum Liturgicarum. 23.

P. Bremont Ord. S. Dominici Theol. Mag. Vir doctiſſimus Bullarii Dominicani editor. 669.

Breve Anni, id eſt Ordo Feſtorum, & Officii per totum annum, affigebatur olim Cereo Paſchali. 608.

Bricellæ, V. *Particulæ.*

*Bugia* ſeu Palmatoria, uti non poſſunt Canonici. 189

Burchardi (Johannis) Ordo quando primum editus, & Miſſali præfixus. 4.

Burſa quomodo, & ubi collocanda ſuper Altare. 199. ſuper Credentiam pro Miſſa cantanda. 201. quomodo deferenda à Diacono in Miſſa. 269.

CAdaver, ſi Defuncti Sacerdotis ſit, ponitur cum capite verſus Altare, ſecus ſi laici. 389.

Cæremoniarius an, & quando ſedere debeat in Miſſa. 239. ſupplet Vices Diaconi, quando hic alibi detentus non poteſt aſſiſtere libro. 370. ſi ſit Canonicus, quam reverentiam facit collegis ſuis. 628. in Proceſſionibus Sacramenti quem locum habeat. 680. Cathedralium quando violaceo colore utatur in veſtibus. 163. ſcamnum ei non conceditur in Miſſa ſollemni, ſed tantum in Veſperis, & Officiis Divinis. 204. an procedere debeat primus ante Thuriferarium, vel ante Subdiaconum. 207. ubi genuflectere. 210. 214. Magiſtro Cæremoniarum dandæ ſunt oblationes, quæ fiunt in adoratione Crucis. 585. cætera Cæremoniariorum munera. V. *in Miſſa ſollemni.* De ejus electione varia Decreta. 790. *& ſeq.*

Cæremoniæ, & Ritus Sacri ex diſciplina ac traditione Apoſtolorum. 1. ejus nominis etymologia. 2. ab antiquis Gentilibus. *ib.* cur à Cæteris oblationibus, vel à Cære Oppido Thuſciæ dictæ. *ibid.* probabilior ſententia explicatur. *ibid. & ſeqq.* quid proprie cæremoniæ. 3. confunditur cum Ritu accidentali. *ibid.* in Miſſa aliæ intrinſecæ, & aliæ ſunt partes Miſſæ. *ibid.* conſiſtunt in ſolis actionibus, quæ adhibentur in Miſſa. 4.

Cæſaries ficta (vulgo Perucca) cum ea non poteſt celebrari Miſſa ex Decr. Sac. Congreg. 181.

S. Cajetanus, & alii Clerici Regulares duplici palla pro Hoſtia, & Calice uſi ſunt. 178.

Calceamenta detrahenda à Celebrante, & Miniſtris in adoratione Crucis. 583. *& ſeq.*

Calix debet eſſe auro litus, & conſecratus. 176. in argenteo Chriſtum conſecraſſe negatur à Chryſoſtomo. 175.


Calix

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Calix non conſecratus, ſi bona fide adhibeatur, an egeat conſecratione. 176.

Calix quomodo accipiendus, atque deferendus ad Altare à Celebraturo. 190. nihil ſupra illum deferendum. *ibid.* ſuper Altare quando coopertus, aut diſcoopertus. 198. dum infunditur in eo vinum, & aqua, non elevatus ab Altari tenendus. 280.

Calix olim coopertus conſecrari poterat, ſecus nunc. 320. diſcoopertus elevari debet. *ibid.* bis tantum ori admovendus. 337. ſi particula remanſerit in Calice, quid. *ibid.* Velo cooperiendus à parte anteriori. 338.

Calix in Oblatione, qualiter tractandus. 281. ubi collocandus. 282. cooperiendus pallâ. *ibid.* quomodo à Credentia ad Altare deferendus. 292. detegendus à Diacono, extergendus à Subdiacono. 293. removendus à Diacono dum Crux incenſatur, & Altare. 299. cur non à Carthuſianis. *ibidem.*

Calix in Miſſa ſollemni poſt ablutionem abſtergi non debet à Celebrante. 370. à Subdiacono deferendus ad Credentiam. 371. in eo non eſt facienda Purificatio in duabus primis Miſſis Natalis Domini. 490.

Calix, in quo Fer. V. in Cœna Domini ſervanda eſt Hoſtia conſecrata, quomodo geſtandus, & cooperiendus. 547. deferendus in Proceſſione à Celebrante. 554. ac deponendus in Capſulam Sacelli parati pro Sepulchro. 555. Capſula pro claudenda clave ſtatim, ſed poſt incenſationem. *ibid.* Clavis cui danda. 556.

S. Calliſti Papæ, & Mart. Orationes Miſſæ ſumendæ in Miſſis votivis de Martyribus, Confeſſoribus, ac Virginibus ſimul. 95. auctor quatuor Temporum fuiſſe dicitur. 475. at probari non poteſt. *ibid.*

Campanæ majores Turris Eccleſiæ pulſandæ in elevatione in Miſſa. 323.

Campanæ, & Organa Fer. V. in Cœna Domini per totum Hymnum *Gloria in Excelſis* pulſanda, poſtea ſilent uſque ad Sabbatum Sanctum. 546. Matrix Eccleſia loci quæ. 636. Chorus non proſequitur Hymnum Angelicum, niſi prius deſierit ſonitus Campanularum, & Organorum intra Eccleſiam. *ibid.* Decreta S. Cong. ſuper hoc. *ibid.*

Campanula quomodo pulſanda ad *Sanctus, &c.* 291. ex Decreto Gregorii XI. PP. 319. quomodo. *ibid.* non pulſanda in Miſſis privatis, dum fit aliqua Proceſſio per Eccleſiam 320. ſi pulſetur verò, ab omnibus genuflectendum. *ibid.*

Candelabrum pro Cereo Paſchali quale. 608.

Candelæ accenſæ poſt Miſſam non extinguendæ niſi poſt finitum Evangelium, & primo in cornu Evangelii. 375. an unica ſufficiat. 172. ſine ullo lumine neque ex neceſſitate quacunque. *ibid.*

Candelarum Benedictio. V. *Benedictio Candelarum.*

Candelæ benedictæ diſtribui non debent, niſi præſentibus in Eccleſia, & ad ægrotos tantum mittendæ. 706. ordo diſtributionis earum in Eccleſia. *ibid. & ſeq.*

Canon, Author illius ignoratur. 152. quibus varie tribuitur. *ibid.* ex Apoſtolica traditione ſuſceptus. 153. cur *Actio* appellatur. 154. Auctores de illo pertractantes. *ibid.* alia Canonis nomina. *ibid.* totus alta voce, ſine culpa gravi legi non poteſt. 161. utrum ſemper ſecretò recitatus fuerit. *ibid.* ubi legitur: *Et pro Antiſtite noſtro &c.* qui, & qualis eſt nominandus. 310. nihil addendum juſſione S. Pii V. 311.

Canonici, quando ſunt parati ad Confeſſionem, ſtant in Miſſa ſollemni, itemque ſi habeant uſum Rocchetti. 224. an Celebrantes Miſſam ſollemnem poſſint pro

alio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

alio Sacrificium offerre cum ſtipendio. V. *Miſſæ ſtipendium.*

Canonico venienti, inchoato Officio, vel Miſſa, non aſſurgendum ab aliis, niſi poſtquam genuflexus in medio oraverit. 161. Ritus. *ibidem.*

Canonici, & Dignitates Cathedralium cum annulo celebrare non poſſunt: intelligendum de annulo cum gemma, & effigie. 189. non poſſunt uti Palmatoria, ſeu Bugia. *ibid.* ſi ſint in Officio Diaconi, vel Subdiaconi, Cruci non genuflectunt, ſed uti Celebrans profunde ſe inclinant. 235. ſalutandi ſunt à Concionatore prius, quàm Magiſtratus. 266. profunde à Diacono ante, & poſt incenſationem. 300. Canonicus Cathed. cum Epiſcopo in Eccleſia Collegiata exempta prius thurificandus, quàm Abbas illius. 301. non tenentur genuflectere ad Benedictionem Epiſcopi, nec quando Epiſcopum thurificant. 304. 378. ſub quo onere fructus percipiunt. 454. accipiunt Sacros Cineres, ſtantes, & ante Miniſtros. 515. niſi ſint Canonici. *ibid.* Collegiatarum vero genuflexi. *ibid.*

Canonico Celebrante, vel Dignitate, etiam Miniſtri debent eſſe Canonici. 515. Functiones Pontificales, quæ abſente Epiſcopo ſpectant ad primam Dignitatem, quæ. 603.

Canonici, & Dignitates ſi habeant habitus diſtinctos in Proceſſionibus, non conjunguntur. 681.

Canonicis, & Dignitatibus debetur reverentia profundâ inclinatione à Beneficiatis, Cæremoniario, & Clericis. 628. ſi Cæremoniarius ſit Canonicus, qualem ſuis Canonicis præſtat. *ibid.* Functiones, quæ ſpectant ad Epiſcopum, eo impedito, vel abſente, ſpectant ad primam Dignitatem, qua deficiente, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive. 676. quæ ſint hæ Functiones. 603.

Canonici, & Dignitates tenentur convenire ad Proceſſionem Corporis Chriſti Sacris Veſtibus induti, etiam Epiſcopo non deferente SS. Sacramentum. 670. aſpergendi ſunt ſingillatim cum Capitis inclinatione ante, & poſt à Celebrante. 725.

Canonici, quo habitu comitari debeant Epiſcopum ad Cathedralem, & ſi multùm domus diſtet, quid. 419.

Canthari Ceroſtrati. V. *Candelæ.*

Cappa. V. *Pluviale*, & *Planeta.*

Cappa Magna Epiſcopalis, Canonicalis, & Beneficiatorum, Forma, Uſus, unde, & quid. 164. Cauda, pellis, & applicatio, quid. 165.

Cappella Pontificia habet aliquot Ritus peculiares, aliis Eccleſiis non proponendos. 544. *ſeq.*

Cappellani Monialium. V. *Moniales.*

Cardinalis, vel Legatus, in ſuo habitu poſt Oſculum Evangelii in Miſſa ſollemni thurificandus, etiam coram Epiſcopo loci. 257.

Cardinalis ſi communicet in Miſſa ſollemni, quo Ritu. 365. ſi ſit Cardinalis Legatus. *ibidem.*

S. Carolus, quantum inſudaverit in ſupprimendis Bacchanalium ſolatiis in prima Dominica Quadrageſimæ. 509.

Carthuſiani Corporali magno, quo Calicem obducunt, utuntur. 177. & 299. Miſſam cum Diacono & ſine Subdiacono cantant. 275. Cochleari parvo ad miſcendam aquam vino in Calice utuntur. 435. non excutiunt novum ignem in Sabbato Sancto, & cur. 611. Cereum Paſchalem non benedicunt. *ibid.* non benedicunt in fine Miſſæ. 156. in Eccleſiis verò, quæ ſui Ordinis non ſunt, ſe conformant cum aliis. 157.

Caſtrum Doloris. V. *Tumulus.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Catalanus (Joſeph.) Opus de Codice S. Evangelii edidit. 139. laudatur. 252. & alibi.

S. Catharinæ Feſtum non reperitur in antiquis Sacramentariis. 467.

Catechumenis non clarè Myſteria fidei tradebantur. 10. Miſſa eorum qualis. 13. variæ eorum claſſes. 62. poſt Evangelium dimittebantur. *ibid.* Miſſa eorum qualis. 63.

Caudatarii S. R. E. Cardinalium Veſtibus violacei coloris utuntur. 163.

Celebrans, quæ agere debeat in Miſſa privata à diſceſſu è Sacriſtia uſque ad finem Miſſæ. *à pag.* 190. *quære per ſingulas partes Miſſæ ſuis locis. in Miſſa ſollemni ſimiliter.*

Cereorum uſus in Eccleſia etiam tempore perſecutionum. 171. cur. 172.

Cereus olim ſingulis diebus nocte adventante offerebatur, & Sabbatis ſingulis ſollemniori Ritu; ſed ſollemniſſimo in Pervigilio Paſchæ, & cur. 614.

Cereus Paſchalis debet eſſe ex cera alba, Crucis effigiem habens, quæ effigies in eo depingi poſſit, & cujus ponderis eſſe. 608. Romæ in Baſilica Lateranenſi eſt 80. librarum. *ibid.* olim formam Columnæ referebat, in qua imprimebatur, vel affigebatur illi Ordo totius Anni Feſtorum. *ibid.* conceſſus uſus Parochiis à Zoſimo Papa. 620. ejus uſus in Eccleſiis majoribus ante Zoſimum. *ibid.* Incenſi nomine appellatur in ejus benedictione. 622. antiquitus accendebatur, antequam à Diacono benediceretur. 623. à quo tempore 5. grana Incenſi. 624. quomodo infundatur ter in aquam, dum fit benedictio Fontis. 632. Romæ varia conſuetudo. 645. ex Cereo olim aliquæ particulæ decerptæ contra procellas, ex quo nonnulli arbitrantur originem Cereorum Agnorum. *ibid.* in diebus Paſchæ, & ſequentibus, ad quas Horas accendendus. *ibid.* Decreta. 646. Ritus benedicendi in minoribus Eccleſiis. 647.

Cerracchini (Lucæ Joſeph.) opinio de Miſſa infra Octavam S. Benedicti in Quadrageſima dicenda à Monachis ejusdem diſcutitur. 80.

Chartulæ Evangeliorum ad Collum olim appenſæ. 251.

Chorus Celebrantes detecto capite (exceptis Prælatis) profunde ſalutat. 208.

Chriſtiani cur à Gentilibus *natio latebroſa, & Lucifugax*, appellati. 15. in Cryptis, & Speluncis olim cur Sacra facerent. *ibid.*

S. Chriſtophori Commemoratio cur in Miſſis privatis, non in ſollemni. 120.

Chriſtus idem ac Unctus. 126. expreſſius repræſentatur in Evangelio, quàm in Cruce. 251. in Azymo conſecravit. 23. Vinum cum aqua mixtum. 433. ſermone Syro-Chaldaico uſus eſt. 30. & Veſtibus cerulei coloris. 163.

Cineres benedicti. Ritus illos benedicendi. 510. olim ad ſolos publicos pœnitentes pertinuit hic Ritus. *ibid.* quo conſecrata fuerunt Jejuniorum primordia. *ibid.* non ſunt benedicendi poſt Tertiam, & poſt Nonam. 511. capite detecto ſunt diſtribuendi. 513. Dignior è Clero in habitu Chorali ſine Stola Celebranti ſtanti imponit. *ibid.* ſi non adſit alius Sacerdos, Celebrans ſibi imponit nihil dicendo, & quomodo. *ibid.* Epiſcopo ſedenti, & quomodo porrigendi à Celebrante. *ibid.* an habentibus uſum Mitræ ſtando, cum Mitra diſtribuendi, *ibid.* Papæ quomodo. *ibidem.* à Diacono non imponendi Celebranti. *ib.* Canonici Cathedralium debent accipere ſtantes, & ante Miniſtros. 515. item Superior Eccleſiæ ſi non celebret. *ibid.* Magiſtratus, Principes, ac Nobiliores ad Altare poſt Clerum. *ibid.* Populus extra gradus Altaris. 516. in Vicario, & Canonicis attendenda conſuetudo. 515. Decreta S.R.C.

quæ ſpectant ad Benedictionem, ac diſtributionem. 516.

Cingulum congruentius eſt lineum, quàm ſericum. 182. Auctores de eo agentes. *ibid.* poteſt eſſe coloris paramentorum. *ibidem.*

Circumciſionis Domini Feſtum: Tres olim Miſſæ in eo celebratæ. 36. olim Miſſa ad prohibendum ab Idolis. 73.

Circumciſionis Domini Feſtum cum Octava Nativitatis celebratur, & quot Feſta eâ die celebrabantur. 500. olim duæ Miſſæ. *ibid.* etiam Miſſa ad *prohibendum ab Idolis*, cur dicebatur. *ibid.* Ritus olim celebrandi hoc Feſtum in Hiſpania cum Jejunio, itemque in Gallia, & quales Miſſæ. *ibid.* in ordine Miſſæ tria Feſta in unum conflata videntur. 501.

Ciſtercienſes olim Miſſam quotidie, & ſæpius, Dominica etiam die non celebrabant. 38.

Clavis Sacramenti in Fer. V. in Cœna Domini cui datur. 556.

S. Clemens PP. Miſſam à S. Petro Apoſtolo inſtitutam ſcripto Romanæ Eccleſiæ conſignavit. 45. ejus libri Apoſtolicarum Conſtitutionum ſuppoſititii cenſentur, non vero ejus Liturgia. *ibid. & ſeq.*

Clemens PP. V. Bullam Urbani IV. de Feſto Corporis Chriſti promulgavit, & confirmavit. 668.

Clemens PP. VI. Ludovico Neapolis Regi Roſam auream dono miſit. 520.

Clemens PP. VIII. trinam Benedictionem dandi Populo in Miſſa etiam ſollemni Presbyteris abrogavit. 157.

Clemens XI. indulget Religioni Hieroſolymitanæ Miſſæ celebrationem in ſuis magnis Navibus occaſione qua &c. 173. *ſeq.* decrevit ne tres Miſſæ Nativitatis Domini privatæ celebrentur ante Auroram. 494. Inſtructionem edi juſſit omnium ſervandorum in Expoſitione SS. Sacramenti pro Oratione 40. Horarum. 393.

Clerici omnes in primitiva Eccleſia Veſtibus cerulei coloris utebantur. 163. nunc etiam in Seminariis Epiſcopalibus degentes. *ibid.* parati thurificantur ante Beneficiatos. 301. Ob gravia crimina laicâ communione mulctabantur, & quid. 354.

Clerici Regulares ex laudabili Inſtituto duplicem pallam in Miſſa adhibent, aliam ad tegendum Calicem, aliam ſupponendam Hoſtiæ ſuper Corporale, ut facilius fragmenta colligantur. 178. Fer. II. & III. ante Cineres jejunant. 506.

Cochlear ad miſcendam aquam vino in Calice. 435. eo utuntur Carthuſiani, & Eccleſiæ in Germania. *ibid.* quomodo oſculandum, dum porrigitur Celebranti à Diacono. 230. & manus. *ibid.*

Cœleſtinus Papa I. Antiphonæ concentum ad Miſſæ Introitum inſtituit. 124. auctor putatur Reſponſoriorum. 137. inſtituit quinque Pſalmos in Præparatione Miſſæ. 217. non autem *Judica me Deus*, initio Miſſæ. *ibid.*

Collecta ad Stationem quid, & quomodo fiebat. 699.

Color in Miſſis votivis, qualis. 162. an quatuor omnes colores in una Planeta adhiberi poſſint. *ibid.* primis Eccleſiæ ſeculis varius color in veſtibus Clericorum. 163. Decreta de coloribus in Miſſa. *ibid.*

Color auri in ſacris veſtibus pro quibus coloribus valeat. 162.

Color ceruleus loco violacei non eſt adhibendus. 162. hujus coloris erant veſtes Chriſti. 163. Monachi quando hunc colorem in veſtibus in nigrum mutare cœperunt. *ibid.*

Color violaceus convenit afflictioni. 162. hujus coloris veſtes Chriſti. 163. Clericorum in primitiva Eccleſia. *ibid.* & à quibus retentus. *ibid.*

Color in Miſſis de B. V. in Sabbato, quando Miſſa cum Officio diſcordat, qualis.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lis. 84. *ſeq.* & in Miſſis Vigiliarum infra Octavas. *ibid.* ſi in Vigilia Aſſumptionis. 101.

Colores in Miſſis votivis. 102.

Comenſis Eccleſia Breviario Patriarchino Aquilejenſi uſque ad Clementem PP. VIII. uſa eſt. 48.

Comes S. Hieronymi liber qualis. 7. *& ſeq.*

Comes Miniſtris in Miſſa quando datur. 258.

Commemoratio S. Anaſtaſiæ Mart. in ſecunda Miſſa Nativitatis Domini, olim tantum Romæ in ejus Eccleſia. 491.

Commemoratio Vivorum in Miſſa. V. *Oratio pro Vivis in Canone.*

Commemoratio quando de ſimplici, omittitur in Miſſa ſollemni. 120. quando non fiat etiam in Miſſis privatis. *ibid.* S. Anaſtaſiæ cur in ſecunda Miſſa Nativitatis Domini. 121. in Feſtis primæ Claſſis nulla in Miſſa. *ibid.* de Octava in iis facienda. *ibid.* in aliis Feſtis. *ibid.* Collecta pro particulari Defuncto fieri poteſt in Miſſa privata de ſemid. & ſimpl. 122. de SS. Sacramento à Canonicis facienda, quando in Dominica menſis fit cum eo particularis Proceſſio. *ibid.* in duplicibus majoribus, & minoribus. 128. pro privatis neceſſitatibus an in duplicibus conveniat dicere. *ibidem.*

*Communicantes.* Ritus in eo ſervandi. 313. Patriarcharum, & Prophetarum nulla memoria cur. *ibid.* cur de S. Matthia nulla mentio. 314. cur S. Paulus nominetur. *ibid.* cum ſunt particulares de aliqua Octava nunquam omittuntur. *ibid.*

Communio *Commercii* apud Fideles olim quid. 353. dicta Communio ſine oblatione, quia reſpicit Corpus Chriſti myſticum, id eſt Eccleſiam. *ibid. & ſeq.* duplex erat, laica, & Eccleſiaſtica. 354. laica Communione privari, & laica tantum Communione donari quid. *ibid.*

*Communio* dicitur Miſſæ Sacrificium. 16.

Communio Peregrina quid. 354.

*Communio hodie ſolam Euchariſtiæ participationem* ſignificat. 353. olim plura præter Euchariſtiam. *ibid.* dicebatur *Communio Euchariſtiæ*, & cur. *ibid.* Ritus, & Ordo in diſtributione Euchariſtiæ in Eccleſia olim ſervatus. 354. inter communicandum digiti in purificatorio non ſunt extergendi: & ſi humefacti ſint, quid. 341. extra Miſſam in paramentis nigris non eſt adminiſtranda Euchariſtia. 348.

Communio in Quadrageſima non quotidie fiebat à Populo, & tunc omittebatur in Miſſa Poſtcommunio. 343. olim fiebat etiam in Miſſa Sabbati Sancti. 639.

Communio an facienda intra Miſſam Defunctorum, variæ Doctorum ſententiæ. 342. à Gavanti ſententia negativa recedere, magnis rationum momentis auctor Additionum cogitur. *ibid* præſertim quoad Particulas conſecratas in eadem Miſſa. *ibid.* mens Sacri Concilii Tridentini explicatur. *ibid.* ex Antiphona, quæ Communio dicitur, & ex alia, quæ Poſtcommunio appellatur. *ibid & ſeq.* rationes ex verbis Canonis, & Rubricæ. 343. exponitur Decretum S. R. C. negativum, & quid circa illud. 344. uſus non miniſtrandæ antiquitus, cur contra affirmativam ſententiam non urgeat. *ibid.* neque quod non detur benedictio in fine Miſſæ. 345. nonnulla Decreta S. C. Viſitat. Apoſt uſum confirmantia. 346. fieri poteſt etiam ex Particulis præconſecratis in alia Miſſa. *ibid.* rationes. 347. Decretum quoad miniſtrandam Euchariſtiam in Miſſis Defunctorum ex Particulis in ea conſecratis, non vero exiſtentibus in Tabernaculo, ut ſuppoſititium rejicitur. 348. ante, & poſt Miſſam Defunctorum non convenit, ut miniſtretur Euchariſtia, ratione coloris Paramentorum. *ibid.*

Communio non miniſtranda Fidelibus in nocte Nativitatis Domini ante Auroram. 493.

Com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Communicantes quomodo ſint participes Sacrificii. 347. In Dominicis diebus Fideles communicare deberent. 343 Ritus Communionem diſtribuendi ante, & poſt Miſſam. 349. ante Miſſam non decet absque juſta cauſa urgente. *ibid.* Ritus adminiſtrandi extra Miſſam. 351.

Communio olim ſemper fiebat intra Miſſam. 353.

Communio Paſchalis, tempus incipit à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſive, ex Decreto Eugenii IV. ubi alia legitima conſuetudo non eſt. 540.

Communio Cleri, ſeu Sacerdotum in Miſſa Fer. V. in Cœna Domini cur fiat. 548. Ritus. *ibid.* ad Altare Sacerdotes cum Stolis, & Diaconi. 549. item Magiſtratus, & Nobiles ad Altare. *ibid.*

Communio ſi facienda in Miſſa ſollemni, qui Ritus. 362.

Communio ſi præbeatur in aliquo Altari, dum Sacerdos accedit, vel recedit paratus, non debet permanere genuflexus, donec terminetur. 194.

Communio pueris recèns baptizatis dabatur, antequam lac, & cibum alium acciperent. 639. *ſeq.*

Competentes, quæ Claſſis Catechumenorum. 62.

Concio habenda in Miſſa ſollemni poſt Evangelium. 265. ſi Celebrans, quo loco, & quomodo. *ibid.* cur Romæ Concionator Stolâ non utatur. *ibid.* Diaconus, & Subdiaconus quid in Concione. *ibidem.* ſi concionetur Celebrans, vel Regularis, aut Canonicus, ſive Dignitas, quomodo. *ibid.* ſi coram Legato, Cardinali, vel Epiſcopo in loco ſui juris, quid à Concionatore. *ib* Canonicus Cathedralis benedictionem à ſuo Epiſcopo profunde inclinatus petat. *ibid.* Epiſcopus extra ſuam Diœceſim concionaturus, à nullo benedictionem petat. 266. quo Ritu utendum in Concione. *ib.* Ordo ſalutationis faciendæ ſub initium Concionis. *ibid.* ſepimenti inter viros, & mulieres, uſus antiquiſſimus. *ibid.*

Confeſſio publica Sacerdotis in Miſſa Armeniorum qualis. 220.

*Confiteor Deo, &c.* à quo, & cur initio Miſſæ. 218. à quo tempore hæc formula ab Eccleſia Romana adhibita. *ibid. & ſeq.* diverſa Confeſſionis formula in antiquis Liturgiis. 219. auctores qui de eadem veteri pertractant. *ibid.* Ritus Rhemenſis, & Laudunenſis Eccleſiæ, & aliquot Ordinum. *ibid* in ea non addendum nomen Patroni, aut alterius Sancti, niſi de licentia Papæ. 220. Pius V. id Eccleſiis Hiſpaniarum indulſit. *ibid* Miniſter illam facit nomine circumſtantium. 221. non genuflectunt Cantores, ſi cantant Introitum. 224. neque Canonici, ſi bini & bini faciunt Confeſſionem. *ibid.* Moniales in Choro non debent mutare verba: *Et tibi Pater* 226. in Miſſa ſollemni, quo Ritu cantandum ante Communionem peragendam à Diacono. 363.

Confraternitas SS. Sacramenti in Proceſſionibus SS. Sacram. præcedentiam habet ſuper alias. 682. *ſeq.*

Confraternitates an poſſint ſuas Proceſſiones facere absque licentia Parochi. 683. Cappellanus ſine licentia Epiſcopi non poteſt Proceſſiones facere. *ibid.*

S. Congregationis Rituum Decreta. V. *Decreta S R. C.*

Conſecratio Dominici Sanguinis cur dicatur ſibi tradita fuiſſe à S. Laurentio. 295.

Conſecrationis verba ſecreto dicenda. 161.

Conſecratio Calicis & Patenæ. V. *Calix.*

Conſecrationis Epiſcopi anniverſaria celebritas antiquiſſima. 718. an omnes Diœceſis Sacerdotes Miſſas privatas celebrare debeant de illa. 87. V. *Anniverſaria.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Conſiſtentes* olim appellabantur pœnitentes. 63.

Conſtitutionum Apoſtolicarum liber S. Clementi Papæ adſcriptus, ſuppoſititius cenſetur. 45. 46. magnæ tamen auctoritatis ſunt. *ibid.*

Contactus rerum ſacrarum quibus vetitus. V. *Vaſa ſacra.*

Corporale. Antiquitus ejus aliqua parte tegebatur Calix. 177. olim latius, & longius quàm hodie. *ibid.* antiqua ejus forma utuntur Carthuſiani, & nonnullæ Eccleſiæ. *ibid.* in Burſa recondendum. 198. ut extra Burſam deferatur, Pius V. diſpenſavit cum Hiſpanis. *ibid.* ablutio quando. 180. an laici, & Sanctimoniales tangentes, & primo lavantes Corporalia, & pallas peccent. *ibid.* quomodo extendendum ſuper Altare. 198.

Corporale miraculo, quod Bolſenæ contigit, Hoſtiæ forma ex guttis Sanguinis Euchariſtici pluribus in locis impreſſa, occaſionem dedit Urbano PP. IV. inſtituendi ſolemnitatem Corporis Chriſti. 667. translatum ſollemni Proceſſione ad Urbem veterem. 669.

Corpus Chriſti an olim miniſtratum à Diacono. 295. Corporis Chriſti Feſtum primum Leodii hortante B. Juliana Virgine Moniali celebrari cœptum. 666. ab Urbano IV. deinde occaſione miraculi Bolſenæ acti, apud Urbem veterem celebratum. 667. atque per Orbem celebrandum indixit Fer. V. poſt Octavam Pentecoſtes. *ibid.* confirmatum à Clemente PP. V. & iterum à Joanne XXII. Officium primum ab aliis juxta Gallicanum Ritum compoſitum eſt: mox juſſu Urbani IV. à S. Thoma juxta Ritum Romanæ Eccleſiæ egregiè elaboratum. 668. de Proceſſione hujus Feſti. V. *Proceſſio Corporis Chriſti.*

Credentia quomodo inſtruenda pro Miſſa ſollemni. 201. 202. pro benedictione Cinerum. 511. Candelarum. 704. Palmarum. 528. Fer. V. in Cœna Domini. 545. Fer. VI. in Paraſceve. 574. in Sabbato Sancto. 607. in Feſto Corporis Chriſti. 671. pro Miſſa ſollemni Defunctorum. 382.

*Credo* an in Miſſa Vigiliæ occurrentis infra Octavam. 81. *& ſeq.* in Miſſis votivis tam privatis, quàm ſollemnibus: *require per ſingulas earum claſſes à pag.* 86. *uſque ad* 109. *& ſpecialiter pag.* 106. V. *Symbolum.*

Criſpi (Hieronymi) Archiep. Ravennat. Diſſertatio Myſteriorum Evangelicæ Legis laudatur. 126. *&* 382.

Crotalum, Inſtrumentum ligneum, loco Campanarum adhibendum in triduo mortis Chriſti, an pulſandum ad Elevationem Hoſtiæ Fer. V. & VI. 546.

Crucis ſignum quomodo ſibi efformandum à fronte ad pectus. 212. cur, & myſteria. 213. cum benedicuntur Oblata. 284. aliæ res. *ibid.* ad *Pax Domini* Crux in fronte, ore, & pectore aſtantes ſibi efformant ex devotione tantum, non ex Ritu. 357. transverſa pars Crucis, an manu quoque transverſa facienda. 283. 284.

Crucis ſignum in Benedictionibus apud aliquos cum duobus tantum digitis extenſis. 373. cur in fronte, & pectore ante lectionem Evangelii. 250.

Crucis ſignum ſuper Oblata cum Thuribulo. V. *Incenſatio Oblatorum.*

Crux Benedictionis non debet excedere longitudinem unius palmi. 316.

Crux cum Patena ſuper Corporale poſt Oblationem, quomodo. 278.

Crux nuda ſine imagine Crucifixi in Altari ſufficit. 170. an etiam in Tabula, vel pariete depicta. *ibid.* Crux parva poſita in ſummitate Tabernaculi non ſufficit, & cur. *ibid.* debet adeſſe Crux, etiamſi in eodem Altari ſit expoſitum SS. Sacramentum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum. *ibid.* an Rubrica de hac obliget ſub gravi, vel levi culpa. 171. Decreta ſpectantia ad hanc materiam. *ibid.* profunda inclinatio illi debetur. 191. qualiter. 200.

Crux. cur in fronte, & pectore tantum ſe ſignet Celebrans Evangelium lecturus. 250.

Crux in Altari toto tempore Paſſionis tecta eſſe debet Velo coloris violacei numquam mutando. 543. *& ſeq.* in triduo Paſſionis Chriſti ei debetur reverentia unico genu. 560. etiam à Canonicis. *ibid.* incenſanda Fer. VI. in Paraſceve, præſente Sanctiſſimo Sacramento. 594.

S. Crucis Lignum expoſitum in Altari incenſandum à Celebrante ſtante. 596.

Crux parva Epiſcopalis pectoralis, adhibetur ab Abbatibus pontificaliter celebrantibus. 186.

Crux in Proceſſionibus ſollemnibus SS. Sacramenti ſemper deferenda in habitu Subdiaconali. 679. ſi Parochia ſit Regularium, Presbyteri omnes alicujus Eccleſiæ intra limites ejusdem ſub Cruce Parochiali debent incedere. 683.

Crux Stationalis, quæ. 700.

Crux Altaris, & Proceſſionis non eſt benedicenda de præcepto. 171.

Cubiti ſuper Altare in Conſecratione, & in Sumptione Euchariſtiæ. 334.

S. Cunegunda improbo ferri candentis examine purgata. 75.

D

Dalmaticâ ac Tunicellâ in aſperſione Aquæ Dominicâ die non induuntur Miniſtri, ſi Celebrans non induitur Pluviali. 723.

S. Damaſus PP. decreviſſe putatur, Miſſam publicam ante horam diei tertiam non celebrandam. 53. hortante S. Hieronymo decrevit addendum in fine Pſalmorum *Gloria Patri.* 125.

Decimæ quibus ex rebus dabantur. 73.

Decreta S. R. Cong. cenſeri debent tanquam Regula proxima Sacrorum Rituum, & Pontificis Oracula. 448. An reputari debeant tanquam regulæ præceptivæ vel ſolùm directivæ. *ibid.* non omnes declarationes Sac. Cong. ſunt decreta rigoroſè ſumpta. *ibid.* formulæ earum, quæ obligant tanquam decreta, habent in fine formulam aliquam decreti. *ibid.* & obligant in utroque foro. 449. cum Clauſulam non habent, ſunt tantum directivæ. *ibid.* quam vim habeant Decreta & reſolutiones S. C. *ibid.* an ſequi debeant in caſibus ſimilibus. *ibid.* ut obligent, debent eſſe ſufficienter propoſitæ, & publicatæ. 450.

Decreta omnia S. C. R. *habes in Indice peculiari pag.* 731. quæ pertinent ad Miſſas Conventuales. 450. *ſeq.*

Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis celebrari debet à Clero Civitatis, & Diœceſis. 144. cur in Miſſa Symbolum. *ibid.*

Defuncti quomodo olim ad Orientem ſepeliebantur. 245. Commemoratio omnium fidelium Defunctorum. Decreta S. R. C. quæ ad Miſſas in tali die celebrandas ſpectant. 115.

Denarios offerri in Miſſa loco oblationum Panis, & Vini, cur, & quando incœperit. 147.

Deo gratias, reſpondetur poſt Epiſtolam & Prophetias. 248.

Deusdedit Papæ decretum de duabus Miſſis ſollemnibus celebrandis in Cathedralibus in concurrentia Feſtorum cum Dominicis, aut feriis quibusdam. 55.

Deus paſſus, & Deus mortuus eſt pro nobis, cur dici poſſit; & non Pater Divinus. 326.

Diaconus antiquiſſimis etiam temporibus Evangelium in Eccleſia legebat. 139. ex vi ordinationis id illi munus non tribuebatur. *ibid.* nec verba adhibebantur, quibus

bus hodie ordinatur. *ibid.* uſus Planetæ Plicatæ. 470. ac Stolæ latioris. 471.

Diaconus, & Subdiaconus quo jure tenentur Divinum Officium recitare. 457. debent eſſe regulariter ejusdem Ordinis cum Celebrante, & non inferioris. 515.

Diaconus oſculatur cochlear, & manum Celebrantis. 230. quomodo concurrat cum Celebrante ad offerendum Calicem, non verò Hoſtiam. 294. Miniſter olim Sanguinis erat, an & Corporis Domini. 195. ejus munera in tota Miſſa ſollemni. *Vide Miſſa Sollemnis per ſingulas ejus partes.* In Proceſſionibus, benedictionibus &c. *vide in ſuis locis, & titulis.*

Dies Aliturgici in quibus nulla celebrabatur Miſſa. 37. polyturgici, in quibus plures celebrabantur ab uno. *ibid.*

*Dies iræ Dies illa.* V. ſequentia.

Dies Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum. Caſus in ea occurrentes per Sac. Congreg. Rituum decreta reſolvuntur. 714. Si occurrat Duplex minus quid. 715. Si dies octavæ Dedicationis Eccleſiæ. *ibid.* Sacrificia applicari poſſunt ad libitum. 716. Si quis obierit hac die, celebranda erit alia Miſſa, ut in die obitus. *ibid. Vide Miſſa Defunctorum.*

Digiti ſi in magna copia Communicantium ſaliva ſint humefacti quid. 341.

Dignior è Clero quomodo Cineres imponit celebranti. 513. Palmas eidem tradit. 55. Candelam Benedictam. 706.

Dignitates. V. *Canonici.*

S. Dionyſius Arepagita in Galliam Fidem invexit, & liturgiam ſcripſit. 46. quæſtio, an fuerit Epiſcopus Pariſienſis, agitatur. *ibid.* utrum opera ejus nomine inſcripta ſint ipſius verè genuina. *ibid. &* 124.

Diptycha, tabulæ, quibus nomina offerentium in Miſſa inſcribebantur, & eorum uſus. 313.

Divinitas in Chriſti morte ab Anima & Corpore non fuit ſeparata. 327.

SS. Doctoribus Eccleſiæ quando Symbolum conceſſum in Miſſa. 143.

Dominica dies; quot in ea operata myſteria, & cur Ritu Semiduplici celebretur. 77. dici poteſt prima Feria. 78.

Dominica dies quælibet per annum olim appellata Reſurrectionis dies. 482. in qualibet agitur memoria SS. Trinitatis. 665.

Dominica prima Adventus ejusque privilegia. 472. Secunda, ac Tertia, & earum Ritus. 474. Dominica *Vacans*, cur diceretur. 480.

Dominica poſt Sabbatum ordinationis. 483.

Dominica in Albis eſt major primæ claſſis. 651. In Eccleſia ubi occurrit Titulare Feſtum, poſſunt cantari duæ Miſſæ, vel ſaltem fieri Commemoratio de Feſto. *ibid.*

Dominicæ ab epiphania uſque ad Septuageſimam, ad ſummum ſex & ad minimum una. 503. dependent à Feſto Mobili Paſchatis. *ibid.* Miſſarum harum Dominicarum Ritus, ſi plures, vel pauciores ſint hæ Dominicæ. *ibid. ac ſeqq.*

Dominica 2. ſi fuerit Septuageſima transferendum Officium SS. Nominis Jeſu. 504. & Miſſa Dominicæ 2. dicenda in Sabbato antecedenti. *ibidem.*

Dominica 6. Miſſam, & Officium non habebat ante Pium V. à quo addita ſunt. 504.

Dominicæ Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ. V. *Septuageſima, &c.*

Dominica Palmarum. Benedicendi in ea Palmas, antiquiſſimum Ritum in Romana Eccleſia fuiſſe probatur. 526. *& ſeq.* in Gallia, & aliis Regionibus nulla de hoc Ritu antiqua memoria. 527. V. *Benedictio Palmarum.* Tradebatur Symbolum competentibus. 71. Romæ quid. 72.

Domi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dominica de Paſſione, dicta Dominica *Mediana*, & cur. 522. in ejus Sabbato præcedenti ordinationes habentur. *ibid.* omittendum in Miſſa *Gloria*, & *Judica me Deus* toto tempore Paſſionis, exceptis Miſſis de Feſto Dupl. ac Semid. occurrente, ac Votivis. *ibid.* eſt Major primæ claſſis. *ibidem.* in Miſſa duæ Orationes. 523. an tertia occurrente Feſto ſimplici dicenda. Decretum S. Cong. Rituum. *ibidem.*

Dominica Prima Quadrageſimæ olim inchoabatur Quadrageſimalis obſervatio, & Ritus, & jejunium. 519. ut nunc Mediolani. *ibid.* Eſt primæ claſſis. *ibid.* Altare floribus non ornandum, neque Imagines vel Sanctorum Reliquiæ inter Candelabra ponendæ. *ibid.* Secunda eſt ſecundæ claſſis, ſicut & tertia ac quarta. 520. quarta, cur ſigna lætitiæ. *ibid.* Cardinales utuntur veſtibus roſaceis, & Papa Roſam auream defert. *ibidem.*

Dominicale: Linteum, ſeu velum quo mulieres accedentes ad Communionem caput contectum habere jubebantur. 340.

Dominicum, Miſſæ Sacrificium. 16.

*Dominus vobiſcum* ab Apoſtolis traditum. 123. cur ab Epiſcopo dicatur *Pax Vobis. ibidem.* auctores de hac ſalutatione pertractantes. *ibid.* à Diacono dicitur junctis manibus. 261. cur Dominus Vobiſcum verſus populum non dicatur in Præfatione. 290. cur omittatur in repoſitione Sanctiſ. Sacramenti. 688. 696.

Domnus convenit homini præclaro, velut Pontifici. 250. Celebrans ita appellatur à Diacono, & quilibet alius inferior Epiſcopo. *ibidem.*

Domus Epiſcopi. In ea poteſt erigi Altare ad celebrandum quotidie. 168.

*Dona nobis Pacem:* cur & à quo cæpit dici. 331. non dicitur in Baſilica Lateranenſi. *ibidem.*

EBionitæ in Azymo conſecrabant. 25.

Eccleſia Matrix, ut aliqua ſit, quid probare ſufficit. 636.

Eccleſia S. Crucis, ſeu Cappella, aut Oratorium per quod litania major procedebat ad S. Petrum, prope ipſum S. Petrum quando ſublata. 654.

Eccleſia Sancti Valentini extra Portam Flaminiam, quo loco ejus Reliquiæ videantur. 655.

Electi, quæ Catechumenorum Claſſis. 62.

Elevationis Hoſtiæ Ritus apud Græcos antiquiſſimus. 318. quando apud Eccleſiam latinam. *ibid.* cur mos introductus. *ibid.*

Encolpium. V. *Crux Pectoralis.*

Energumeni expellebantur ab Eccleſia poſt Evangelium. 63.

*Enim* in forma Conſecrationis non eſt de eſſentia. 436. omiſſio lethalis. *ibid.*

Ephod Bat. V. *Rocchetum.*

Epimanicium apud Græcos manipulo noſtro reſpondet. 184.

Epiphania ſeu Theophania primitus in Oriente unita cum Feſto Nativitatis Domini. 487. quid, & quot feſta recolantur. 502. ejus antiquitas in Eccleſia. *ibid.* cur affixum diei 6. Januarii. *ibid.* infra ejus octavam non poſſunt dici Miſſæ Votivæ neque Defunctor. *ibid. ſeq.*

Epiſcopi Conſecratio in quacumque Dominica peracta. 483. Extra domum ſuæ habitationis utrum poſſit erigere Altare ad celebrationem Miſſæ in domibus laicis. 168. de indumentis Archiepiſcopalibus, & Papæ, qui auctores tractant. 190. extra ſuam Diœceſim illi non competit deoſculatio Evangelii. 253. quando thurificandus eſt, vel non, poſt Evangelium. 257. 264. In Miſſa privata, & ſollemni, coram eo in ſua Diœceſi Ritus. 415. 418.

Epiſcopus quo habitu indutus concionari debeat. 265. extra Diœceſim à nullo neque

Cardinali benedictionem petit. 266. prædicanti cum Pluviali & Mitra in Ambone tantum debetur aſſiſtentia à Canonicis. *ib.* prohibetur Candelas Benedictas mulieribus diſpenſare, & cur. 708.

Epiſcopum quomodo comitari debeant Canonici à domo ſuæ habitationis ad Eccleſiam. 419. & 732. *ubi vide Decreta indicata.*

Epiſcopi Nomen in Canone exprimendum. 310. debet eſſe ejus loci, in quo celebratur. *ibid.* ſi vacat ſedes, quid. *ibid.* an aliorum Prælatorum non Epiſcoporum. *ibid.* varia ſuper hoc dubia ſolvuntur. *ibid. ac ſeq.* Romæ permittitur, & pro *Antiſtite noſtro. ibid.* Epiſcopi, Cardinales, & Papa non orant pro Epiſcopo loci, in quo celebrant. 311.

Epiſcopus ſi communicet in Miſſa ſollemni, quo Ritu. 365.

Epiſcopus, quæ Miſſa in ejus Conſecrationis die. 86 an plures in die anniverſaria. 87. dicendum Symbolum in Miſſa. *ibid.* in Miſſa ſollemni Defunctorum, licet non ſit paratus, incenſatur. 385.

Epiſcopus tenetur diebus Dominicis, ac Feſtis de præcepto celebrare pro populo. 464.

Epiſcopi in Proceſſionibus ſollemnibus non poſſunt poſt ſe deferri facere ſellam geſtatoriam: excepto Archiepiſcopo Granatenſi juxta declarationem S. C. R. 682.

Epiſtola. Eam legendi in Miſſa auctores Apoſtoli. 136. cur. *ibid.* olim non legebatur à Subdiacono, ſed à Lectoribus in Miſſa, & quando cæptum. *ibid.* in neceſſitate poteſt legi à Clerico in Ordinibus Minoribus conſtituto, absque Manipulo. 137. antiquitas & uſus cantandi Epiſtolam in Miſſa. *ibid.* quo Ritu, & in qua Altaris parte legenda. 248.

Epiſtolæ Decretales Summorum Pontificum ante Siricium Papam, quamvis à nonnullis pro ſuppoſititiis habeantur, non ideo ſunt omnino rejiciendæ. 12. Pii I. & Cornelii Pontificum comuniter tanquam Genuinæ admittuntur. *ibid.*

*Et incarnatus eſt.* Quid à Celebrante, & Miniſtris. 268. In Nocte Natalis Domini Celebrans in Miſſa ſollemni utroque genuflectit, & ubi. 489. uno genu verò in Miſſis Privatis. *ibid.*

Ven. Eva Recluſa Leodii adlaborante, cæpta eſt celebrari Feſtivitas Corporis Chriſti. 667.

Evangeliorum Codex. de eo egregium opus editum à Joſepho Catalano. 252. quomodo à Diacono incenſandus. 262.

Evangeliſta, qui Paſſionem Domini cantat, medium locum tenet inter illos, qui Chriſti & turbarum locum tenent. 536.

Evangelium olim legebatur à lectoribus in Miſſa Sollemni, quandoque à Subdiacono. 139. à Diaconis, antiquiſſimus uſus. *ibid.* olim in Ambone. *ibid.* de Codice S. Evangelii ejuſque Ritibus opus editum à C. V. Joſepho Catalano. *ibid.* ſi in pulpito cantandum, pulpitum pannis pretioſis veſtiendum, 204. ſi plures Cardinales, & Prælati adſint Miſſæ privatæ, nemo eorum oſculatur Evangelium. 221. cur legatur in dextera parte Altaris. 249. quibus ad oſculandum defertur in Miſſa. 251. 252. dum legitur, quid. 250. libri Evangeliorum varius uſus. 251. cum Incenſo per Chorum delatum porrigebatur ſingulis ad oſculandum. 252. Principibus cunctis, exceptis Sacro Oleo unctis, vetitum ab Honorio PP. III. *ibid.* id indultum Reginæ Polonorum nondum coronatæ, à Paulo III. PP. *ibid.* ſi celebret Epiſcopus coram Card. Legato, alius liber huic deoſculandus defertur. *ibid. & ſeq.* Ritus Pariſienſis Eccleſiæ, & aliarum. 253. Decreta ſuper hoc Ritu deoſculandi Evangelium, *ibid.* expreſſius repræſentat Chriſtum, quàm Crux. 251. Ritus cantandi illud. 261.


Evan-

Evangelium Vigiliæ, an dici debeat in fine Miſſæ, ſi Feſtum celebretur in Vigilia intra Adventum. 82. *ſeq.*

Evangelium in Terris Moravorum, ut primum latinè legeretur, poſtmodum Sclavonica lingua populo annunciaretur, ſtatuit Johannes Papa VIII. 48. idque agitur Romæ in Eccleſia S. Hieronymi Illyricorum. 49. idem quoque indultum Ruthenis, & Moſchis. *ibid.*

Evangelium S. Johannis *In principio &c.* ſemper dicendum in fine Miſſarum Votivarum. 108. in aliis omnibus Miſſis, niſi aliud Dominicæ, aut Vigiliæ. 157. Præſcriptum à S. Pio V. & cur. *ibid.* olim ad libitum. *ibid.* varius Ritus. 158. Ritus in eo dicendo ſervandus. 374. qui aliud ſuo arbitratu recitat ob linguæ impedimentum, ſuſpendi debet à celebratione, donec aſſueſcat. *ibidem.*

Evangelium S. Matthæi conſcriptum linguâ Syriaco-Chaldaicâ. 30. non vero Hebraica. 31.

Euchariſtia olim Fermentum appellata, & cur. 15. ab Acolythis deferebatur ad Titulos. *ibid.* Miſſa à Summo Pontifice erat ſignum Unitatis, & Charitatis. *ibid.* eſt Myſteriorum omnium maximum. 18. quando inſtitutum ab eo. *ibid.* abuſus quorumdam Monachorum Syrorum. 25.

Euchariſtia delata continuò ſuper naves. 174. non deferenda proceſſionaliter in feretro in nocte Fer. VI. in Paraſceve. V. *Proceſſio nocturna.*

Euchariſtia extra Miſſam adminiſtrari non debet in paramentis nigris. 348. neque in Fer. VI. in Paraſceve, niſi Infirmis. 602.

Euchariſtia olim in Eccleſia ſervabatur pro uſu Infirmorum tantum. 353.

Euchariſtiæ expoſitæ pro Oratione 40. Horarum Ritus omnes editi juſſu PP. Clementis XI. 393. Decreta alia S. R. C. 400. *ſeq.* Ritus exponendi illam in Feſto Corporis Chriſti. 691.

Eugenius PP. IV. in Concilio Florentino præſcripſit uſum Azymi latinis, Græcis vero Fermentati. 23. tempus Communionis Paſchalis à Dom. Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive ſtatuit. 540.

Eulogiæ. Panis, qui Conſecrationi ſupererat in particulas diſſectus, iis poſt Miſſam diſtributus, qui communicare non poterant. 355. quando ob Jejunium non diſtribuebantur, loco earum Oratio ſuper Populum dicebatur. 369.

Excommunicatio Mortuorum, erat ex Sacris Diptychis *nomen eradi, & excludi à ſuffragiis Eccleſiæ.* 325.

Expoſitionis SS. Sacramenti pro Oratione 40. Horarum Ritus omnes editi Juſſione Clementis PP. XI. 393. in Feſto Corporis Chriſti. 691. infra Octavas ejusdem. 693. quacumque alia die. 694. de modo illud recondendi. 695.

*Exultet*, ſeu Præconium Paſchale. V. *Benedictio Cerei Paſchalis.*

Faldiſtorium Epiſcopi quomodo parandum. 418.

Feria quid, & à quo. 78. quando de ea dici poſſit Miſſa, vel non. *ibid.* Quatuor Temporum, & ſecundæ Rogationum privilegia. 80. Feriæ interdum dictæ dies Feſti. 61.

Feria IV. Cinerum, quando in ea Jejunium inceptum, & vocata in capite Jejunii. 508. Miſſa quando inſtituta. *ibid.* & cur in Codice Gelaſiano reperiatur. *ibid.* Decreta S. R. C. circa Miſſam ejus. 518. *ſeq.* Privilegia hujus Feriæ. 519. nulla de Octava currente Commemoratio. 122.

Feria IV. Quatuor Temporum ſi infra Octavam Conceptionis, quid circa Officium, ac Miſſam. 147.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Feria V. in Cœna Domini, quomodo Altare hac die parandum. 543. locus ad deponendum Corpus Chriſti quomodo poteſt ornari. 550.

Feria VI. in Paraſceve vocata dies Paſchatis. 573. Ritus Officii hujus diei. *ibid. & ſeq.* Ritus hujus Miſſæ. *ibid.* Altare quomodo inſtruendum. *ibid.* Crux diſcooperienda à Celebrante. eadem quæ eſt inter candelabra. 574. Credentia quomodo inſtruenda. *ibid.* quæ paranda in Presbyterio, & Choro. 575. in Sacriſtia. *ibid.* Ritus à fine Horarum uſque ad initium Paſſionis. 576. Ritus à denudatione Crucis, uſque ad Proceſſionem. 580. Vid. tamen Decr. ſub num. 693. Deponendi Manipuli ad adorationem Crucis. 581. dum Celebrans aptat Crucem ſuper pulvinum, omnes aliæ Cruces Eccleſiæ diſcooperiendæ. 583. Celebrans, & Miniſtri, detractis calceis, quo Ritu Crucem adorant. *ibid* etiam alii ex Clero deponant calceamenta. 584. & Prælati extranei ante Miniſtros. *ibid.* Epiſcopus proprius ante Celebrantem. *ibid.* Laici non deponunt calceamenta. *ibid.* Gubernator, vel alius Princeps, poſt Canonicos ante alios de Clero. 585. Oblatio pecuniæ facienda, quæ ex conſuetudine danda Magiſtris Cæremoniarum. *ibid.* Ritus in Proceſſione & Regreſſu ad Altare cum SS. Sacramento. *ibid* Incenſatur Altare, & Crux in eo erecta. 594. non oſculatur Diaconus manus Celebrantis, neque illum incenſat. 595. Ritus à lotione manuum Sacerdotis uſque ad elevationem Hoſtiæ. 596. ab Elevatione aſque in finem. 598. ſi Annunciatio B.V.M. occurrat, quid. 601. non poteſt hac die miniſtrari Euchariſtia, niſi Infirmis. 602. Decreta nonnulla. 603. Ritus ſervandi in minoribus Eccl. *ibid.*

Fermentum cur à priſcis Fidelibus appellata Sacra Euchariſtia. 15. ejus uſus in Eccleſia latina quo tempore. 23. *ſeq.*

Fermentatum ſufficit ad Conſecrationem, nunquam tamen licet apud Latinos. 427. Orientalibus id tantum conceſſum. *ibid.* Controverſia de Fermentato & Azymo non eſt de Fide. *ibid.* Vide *Azymus Panis.*

Feſtivitates, olim *Miſſæ* appellatæ. 17.

Feſtivitates, quæ antiquitus ſollemniores, & quæ Secundi Ordinis habebantur. 662.

Feſta Duplicia quotuplicis Claſſis ſint. 76. quando in iis poſſint cantari Miſſæ pro Defunctis, vel non. 110. 115. Ritus quoad Miſſas in Translatione Feſtorum. 119. *ſeq.* Decreta de Translatione. 120.

Feſta Principalia Ordinum qualia, & quo Ritu celebranda. 146. quoad Symbolum in Miſſa. *ibid.*

Feſtorum, & Officii totius Anni Ordo Breve Anni appellatum, Cereo Paſchali olim affigebatur. 608.

*Feſtum Duplex* quoad Miſſam. Cum Officium recitatur ſub Ritu Duplici, Miſſa quoque ſub eodem celebranda. 75. ſi celebrandum in aliena Eccleſia, ubi de alio Duplici agitur, eidem Eccleſiæ ſe conformandum. 76. ſed ex Miſſali Romano. *ibidem.* quid ſi in Dominica infra Octavam ejusdem. *ibid.*

Feſtum ſemiduplex quid. 77. tales ſunt omnes Dominicæ, & cur. *ibid.*

Feſtum ſimplex, quando de eo Miſſa celebrari poſſit, vel non, & quomodo, etiamſi Officium non recitatum ſit. 78.

Feſtum Purificationis B. M. ſi transferri contingat, non protrahitur Antiphona *Alma Redemptoris.* 448.

*Filioque* particula Sxmbolo addita primum à Concilio Toletano. 142. quando approbata, & recepta ab Eccleſia Romana. 143.

*Flectamus genua.* In Miſſis privatis. 246. in ſollemnibus. 247. Ritus quoad Diaconum, & Subdiaconum. *ibid.* Miniſtri omnes inclinati, & manibus junctis. *ibid.*

Flo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores. Vas cum floribus non eſt collocandum ante oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti. 171. non ponendum ad ornatum Altaris in Dominicis Quadrageſimæ, excepta quarta. 519.

Fons Baptiſmalis. V. *Benedictio Fontis.*

Forma neceſſaria ad conſecrationem non ſunt verba: *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat.* 429. variæ opiniones circa veram, & neceſſariam formam conſecrationis. *ibid. & ſeqq.* ſunt verba Chriſti. 430. *Enim* an de ſubſtantia ſit. 436. in conſecratione Calicis an omnia verba ſint de eſſentia Sacramenti. *ibidem.* proferenda in perſona Chriſti. *ibid.*

Formulæ pro ſollemni Miſſa inſtitutæ non mutantur in privata. 295.

Fragmenta ex Corporali quanta diligentia ſunt colligenda, & in Calicem immittenda. 335. *ſeq.* ſi reperiatur aliquod fragmentum poſt ſumptam ablutionem, poteſt ſumi à Celebrante, & cur. 338

Functiones Pontificales, quæ, abſente Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem. 603. eædem functiones, deficiente prima Dignitate, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive. 676.

S. GAbrielis Archangeli, an in benedictione incenſi ad oblata potius quàm Michaelis dicendum eſſet. 297.

Gelaſius PP. Miſſarum Ordinem digeſſit. 5. ejus Sacramentarium, ſeu Miſſale ſtudio Card. Thomaſii in lucem editum. *ibid.* 33. Gelaſio attribuitur, quatenus antiquiori plura addiderit. 5. alius Codex ejuſdem editus ſub titulo S. Leonis Papæ, revera Gelaſianus eſt. 6. plures compoſuit Præfationes. 150. Ordinationes Sabbato affixit. 480. *ſeq.* Romæ abſtulit Lupercalia, & an Feſti Purificationis invexerit Ritum. 703.

Gemelliones. V. *Ampullæ.*

Genuflectere quomodo debet Celebraturus, ſi tranſeat ante Altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum. 191. vel ubi elevetur, vel adſit. *ibid.* non debet genuflectere ad omnia Altaria, ubi adeſt SS. Sacramentum. *ibid.* ſi Tabernaculum ſit cum Sacramento in medio Altaris, unico genu flectendum à Celebrante initio Miſſæ. 211. ſi elevetur Hoſtia in alio Altari, antequam dicatur *in nomine Patris, &c.* genuflectendum. 213. Celebrans coram Summo Pontifice genuflectit poſt Confeſſionem, antequam aſcendat ad Altare. 222. dum cantatur Introitus, Cantores non genuflectunt. 224. ſi adſit in Altari Tabernaculum SS. Sacramenti, dum incenſat, Celebrans genuflectit, quoties tranſit ante medium Altaris; & Ritus. 234. unico genu cum Miniſtris. 235. non vero in alio tranſitu, niſi Sacramentum ſit expoſitum. *ibid.* Canonici Cathedralis in officio Diaconi, vel Subdiaconi, prout Celebrans, nunquam Cruci genuflectunt. *ibidem.* in Miſſis privatis quatuor Temporum ad plures Orationes. 246. in Miſſis ſollemnibus. 247. ad verba: *Et incarnatus eſt* in Miſſa privata quomodo. 354. in Miſſa ſollemni. 269. ad *Sanctus* omnes præter Miniſtros, & Aſſiſtentem. 307. genuflexio poſt conſecrationem, quæ, & Ritus. 317. cum dicitur: *Et Verbum Caro, &c.* & *Procidentes adoraverunt eum*, omnes genuflectunt. 379. ad *Tantum ergo, &c.* Subdiaconus ferens Crucem, & Ceroferarii non genuflectunt. 554.

Georgii (Dominici) Liturgia Rom. Pont. laudatur. 27. 32.

Gerardus (Ludovicus) Epiſcopus Cortonenſis. 186.

Gervaſi (Franciſcus) Archipresbyter Montisfaliſci. 190. & alibi pluries.

*Gloria in Excelſis Deo* in Miſſis de Feſto ſimplici poteſt dici, etiamſi recitatum non ſit Officium. 78. in Miſſis Vigiliarum, &

Feriarum majorum infra Octavas nunquam dicitur. 82. non dicitur in Miſſa votiva de SS. Trinitate. 96. ſemper dicitur in votiva de Angelis. *ibid.* non dicitur in votivis de Apoſtolis. 97. neque de Spiritu Sancto. *ibid.* neque de SS. Euchariſtiæ Sacramento. 98. neque in votivis de B. V. ſi dicantur extra Sabbatum. 100. ſecus, ſi cantentur ſollemniter pro re gravi, & publica, vel ex voto die Dominica. *ibid.* 103. Decretum de recitando hoc Hymno in Sabbatis. 100. non dicendus in omnibus votivis privatis etiam tempore Paſchali, infra Octavas, & de Titulari, ac Patrono, niſi ſint Angelorum. 103. vel dies obitus Sancti, vel titulus ſit Altaris. 104. ſi Miſſa de Sancto ſimplici in Feriis Adventus & Quadrageſimæ dicatur, licet non ſit in Kalendario, ſed Feſtum eo die occurrit, dicendus. 474.

*Gloria in Excelſis Deo* Teleſphorus Papa non addidit, ſed dici juſſit ante Sacrificium. 127. Simmachus PP. ut recitaretur in Dominicis, & natalitiis Martyrum. *ibidem.* varius uſus à S. Gregorio præſcriptus. 128. in quibus temporibus dictus, ac Miſſis dicendus. *ibid.* ſemper dicitur, quando in Officio dicitur *Te Deum, &c. ibid.* quid à Miniſtris, dum incipitur, & dum cantatur à Choro. 237.

*Gloria Patri, &c.* ab Apoſtolis. 125. quibus tribuitur ab aliis. *ibid.* in Eccleſia Græca à quo additum in fine Pſalmorum. *ibid.* in Latina à Damaſo Papa, curante S. Hieronymo. *ibid.* ei convenit inclinatio minima, & quomodo. 217.

Gotti Card. allegatur & laudatur. 33. & 440.

*Graduale.* Gradale, quid, cur, & quando dicendum. 137. cur poſt Epiſtolam ante Evangelium. *ibid.* cur tardius canitur. *ibid.* an à Cœleſtino, ſeu Gregorio inſtitutum hoc Reſponſorium. *ibid. & ſeq.* quando dicendum, vel non, in Miſſis votivis. 105.

Gradus Altaris, ante infimum incipienda Miſſa. 200. infimus ſeu primus gradus qualis ſit. 686. in quo genufleↄendum, dum incenſatur SS. Sacramentum. 673.

Græci *Miſſam* Liturgiam appellant. 11. illis indulta conſecratio in fermentato. 23. non permittitur celebrare Ritu Latino, neque Latinis Græco. *ibid.* & 427. cur bis aquam in Calicem infundant. 435. non eſt improbandus hic Ritus. 436.

S. Gregorius PP. I. Romanum Miſſale in meliorem formam redegit. 5. cur Codex Gregorianus appellatur Gelaſianus Codex. *ibid.* exemplaria diverſa ubi, & à quibus edita, & quæ correctiora. 6. Antiphonarium ejus quid. 8. cæremonias antiquas Eccleſiæ Romanæ conſervavit, non accepit à Græcis. 126. quid conſtituerit circa Hymnum Angelicum recitandum in Miſſa. 128. decrevit, ut Diaconus in Miſſa Evangelium, Pſalmos & Lectiones Subdiaconi recitarent. 137. Gradualis Reſponſoriorum an inſtitutor. 138. Litaniam ſeptiformem indixit. 653. Litaniam majorem non compoſuit, ſed ſollemniori Ritu celebrari præcepit, auxit, & ampliavit. 655.

Gregorius PP. III. Oratorium ædificavit in honorem Sanctorum omnium, & cur. 153. clauſula, pro illo tantum, addita in Canone. *ibidem.*

S. Gregorius PP. VII. abrogari curavit in Hiſpania Officium Mozarabicum, & Romanum admitti. 43. inhibuit Bohemis lingua Sclavonica Divina celebrare Officia. 49.

Gregorius PP. XI. campanulam pulſari in elevatione Euchariſtiæ. 319.

Gremiale quid, & cur Epiſcopo. 189.

Gubernatoribus, & aliis Miniſtris non tradendum Evangelium ad oſculandum. 253.

Gubernator Civitatis, an præſente Epiſcopo, ſit thurificandus immediate poſt Canonicos aſſiſtentes: abſente vero Epiſcopo, an poſt Vicarium generalem. 301. in adoratione Crucis, etiamſi habeat honorem ante Canonicos, in hoc actu ibit poſt Canonicos. 585.

Guttæ diſperſæ intra Calicem, cur uniri debeant,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

beant, vel purificatorio abſtergi. 280. extra Calicem, ſi ad eas non dirigatur intentio, non ſunt conſecratæ. 441. idem de guttis diſperſis intra Calicem. 442.

HAdrianus I. PP. Moravis concedit, ut lingua Sclavonica in Miſſa, & Officiis uterentur. 48. hoc confirmatur à Joanne PP. VIII. *ibid.*

*Hanc igitur Oblationem.* quid petatur in ea. 314.

Hebdomada major. quibus diebus in ea prohibentur Exequiæ. 110. & 573.

Hebræi poſt Captivitatem Babylonicam Chaldaicè loquebantur: pſalmos tamen, & Scripturas hebraice cantabant. 29. & ſi Hebraice, non purè, ſed Chaldaico-Babylonico idiomate. 30.

S. Henricus Imperator perſuaſit Benedicto PP. VIII. ut Romæ in Miſſa Symbolum decantaretur. 141.

S. Hieronymus auctor libri, qui *Comes* appellatur, an fuerit, & quid contineat. 7. & à quibus editus. *ibid.* Codex egregius in Bibliotheca Vallicellana. 8. in Eccleſia ejus nationis Romæ, in Feſto ejusdem Evangelium primùm Illiricè canitur, poſtea in idiomate Sclavonico. 49. eo curante *Gloria Patri* additum in fine Pſalmorum à Damaſo. 125.

S. Hilarius Epiſcopus *Miniſtrales* conſtituit in Eccleſiis, ubi Stationes fiebant. 700.

Homiliæ SS. Patrum legebantur à Diaconis in Miſſa, ſi Presbyter prædicare non poſſet. 139.

Honorius PP. III. omnibus interdixit, plures Miſſas eodem die celebrare. 36. Evangelii oſculum cuicumque Principi, niſi eſſent Oleo Sacro inuncti, prohibuit. 252.

Hora celebrandi. una hora poſt Meridiem quando. 160. an pro Moribundo communicando poſſit anticipari celebratio Miſſæ poſt mediam noctem. 159.

Horæ Canonicæ aliquando appellatæ ſunt Miſſæ. 17. 124.

Hoſtia. Imago Crucis in Hoſtia, unde, & cur. 278. qualiter accipienda in manibus antequam conſecretur. 316. quid in actu Conſecrationis. 317. poſt Conſecrationem. *ibid.* in Elevatione. 318. Elevatio ejus in Eccleſia Græca non ſtatim poſt Conſecrationem. *ibid.* quando fieri cœpta in Eccleſia Latina. *ibid.* unde præcidenda particula. 330. cur hæc ponatur in Calicem. *ibid.* Plures in partes apud Græcos, & Mozarabes dividitur. *ibid.* Fragmenta quâ diligentiâ colligenda ex Corporali cum Patena, & in Calicem immittenda. 335. *ſeq.*

Hoſtia ſuper Palla ultra Corporale poſita à S. Cajetano, & aliis, approbante Summo Pontifice. 178. an ab aliis ſint imitandi. *ib.*

Hoſtia conſecranda, ſi ante vel poſt Conſecrationem advertatur eſſe corrupta, vel non triticea, quid. 428.

Hoſtiæ, ſeu Particulæ conſecrandæ. Pyxis cum illis conſecrandis diſcooperienda, non tamen elevanda, cum ſufficiat intentio. 279. cum paucæ ſunt, ubi collocandæ. *ibid.* poſt incæptum Canonem offerri non poſſunt neque ad dandum Viaticum; & quid in hoc caſu. *ibid.* Pyxis poſt Conſecrationem cooperienda. 319. non ſtatim diſtribuendæ populo. *ibid.* ſi ex neceſſitate ad aliud Altare deferendæ. *ibid.* ſi non adſit Cuſtodia, & poſt Communionem Fidelium in Miſſa remanſerint Particulæ, ſumendæ à Celebrante. 349. in Pyxide clauſæ ſi ſuper Corporali exiſtente validè ſunt conſecratæ. 426.

Humerale. V. *Amictus.*

*Humiliate capita veſtra Deo*, quando dicendum in Miſſa, & quo Ritu. 369. in Miſſa ſollemni à Diacono, & quo Ritu. 372. tunc non dicendum ſubmiſſa voce à Celebrante. *ibid.*

Hymnologia Catholica. Vide *Symbolum.*

Hymnus *ad incenſum Cerei Paſchalis* à Prudentio compoſitus, an ad ſolum Cereum ſit referendus. 620.

Hypante, ſeu Hypapante cur à Græcis dictum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctum Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Vide *Purificatio B. V.*

S. JAcobus Apoſtol. Græcè ſuam ſcripſit Liturgiam. 30. Auctor Liturgiæ Græcæ ejus nomine inſcriptæ. 33. quæ ut genuina accepta eſt. *ibid.*

S. Jacobi Fratris S. Joannis Evangeliſtæ Feſtum olim celebratum poſt Natalem Domini. 497. non quidem Natalis ſed ordinationis ejus. *ibid.*

Jejunium, ad celebrationem Miſſæ & ad Communionem, naturale ex præcepto Eccleſiæ ab Apoſtolis derivatum. 443. media nox cum à die naturali diſtingui non poteſt, ſumitur moraliter, & politicè, & quid. *ibid.* debet ſumi à puncto mediæ noctis præcedentis diem. *ibid.* ſi plura horologia diſcrepent, arbitrarium eſt, ultimum ſequi. 444. ſi Reliquiæ cibi ſumpti ante mediam noctem remanentes transglutiantur, non impeditur celebratio, & cur. *ibid* Aromata, & Saccarum in ore poſitum ante mediam noctem, ſi poſt medium noctis duret, violat jejunium. *ibid.* non vero quicquid ab intrinſeco provenit, & quod non eſt comeſtibile. 445. neque tabacum ſumptum per nares, vel in fumo. *ibid.* neque in folio per os, niſi deglutiatur aliqua particula ex induſtria. *ib.* quando non jejunus Sacerdos poſſit Particulas, & Reliquias Sacramenti ſumere. *ib.*

Jejunium variè apud Græcos in Adventu. 468. jejunium in 4. temporibus Adventûs ab Apoſt. traditione. 475. Romæ tempore Sancti Auguſtini uſitatum. 476. etiam in Hiſpania. 477. quo tempore per totum Occidentem ſtabilitum fuit. *ibid.* in Gallia. *ibid.* S. Carolus illud inſtauravit in Diœceſi Mediolanenſi. 478.

Jejunium ad Celebrandam primam Miſſam in nocte Nativitatis Domini, quale. 493.

Jejunium Quadrageſimale olim à Dominica Quinquageſimæ incipiebat, & cur. 505. & cur Græci à Septuageſima. 506. antiquitus non inchoabat, niſi Fer. 2. poſt Dominicam Quadrageſimæ. 508. uſque ad S. Caroli tempus idem mos in Diœceſi Mediolanenſi, à quo ſtatutum eſt, ut in Provincia ſumeretur jejunium Fer. 4. Cinerum, Mediolani vero Dominica 1. Quadrageſimæ. 509.

Jejunium Sabbati Pentecoſtes olim non jejunabatur, & à quo tempore cæptum jejunium. 662. oſcitantia Queſnelii ſuper hoc. 663.

Jejunium in quibusdam Vigiliis. deſuper Decreta. 84.

Jeſus Nomini profunda inclinatio debetur. 192. cum nominatur in Miſſa, Cruci caput inclinatur, & cur. 242.

Ignis novus in Sabbato Sancto cur ex lapide excutiendus, nec de Cryſtallo. 611. cur extra portam Eccleſiæ; Ritus in hoc ſervandi. 609. & in Benedictione. 610. Carthuſiani non excutiunt novum ignem. 611.

Ignis olim Hieroſolymis ad S. Sepulchrum Domini in Sabbato Sancto è Cœlo lampades accendebat, ex quo miraculo ſancitum eſt, ut ex novo igne accendantur lampades in Eccleſia. 614. in quibusdam Eccleſiis recitabatur Præconium Cerei, dum novus ignis accendebatur. 623.

Imagines Sanctorum debent eſſe inter candelabra & ſculptæ, non depictæ. 233. velandæ in Sabbato Paſſionis, nec detegendæ toto tempore Paſſ. 521. ad ornatum Sepulchri non adhibendæ, niſi Angelorum. 551. diſcooperiendæ Sabbato Sancto, quo tempore. 635.

Immunitate Eccleſiaſtica gaudet aſſocians Proceſſionem SS. Sacramenti. 683.

Incenſationis Altaris faciendæ Ritus. 232. prout diſtribuuntur Candelabra, non vero illa incenſantur, ſed pars poſterior menſæ Altaris. *ibidem.* Reliquiarum, ſeu Imaginum Sanctorum. 234. Tabula prima cum ordine incenſandi Altare tam in Veſperis, quàm in Miſſa. *ibid.* quomodo ſi adſit Tabernaculum SS. Sacramenti. *ibid.* incenſatio Celebrantis à Diacono faciendæ

Ritus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ritus. 235. Celebrans præſente Epiſcopo non thurificatur poſt Evangelium. 257. Ritus quoad Epiſcopum, & Legatum, ac Cardinales præſentes. *ibid.* incenſatio adhiberi poteſt in Miſſa Cantata ſine Miniſtris, ad quæ. 273.

Incenſatio Ligni S. Crucis ſuper Altari expoſiti fiat à Celebrante ſtante. 596. SS. Sacramenti in infimo gradu. 686. Expoſiti in Altari qualiter facienda. 687. Ritus Baſilicarum Urbis. *ibid.*

Incenſatio SS. Sacramenti ſuper quo gradu Altaris facienda à Celebrante genuflexo. 673. in Expoſitione publica an incenſandum ſit, poſtquam extractum Oſtenſorium è Tabernaculo, ſiſtit in medio Altaris, vel poſtquam collocatum in eminenti loco ſub Baldachino parvo. 691. *ſeq.* in Depoſitione. 697.

Incenſatio Sacramenti à Cæremoniario in Elevatione, qualiter. 323. à Subdiacono in Miſſa Defunctorum. 386.

Incenſatio Oblatorum. Tabula exhibens ductus Thuribuli in forma Crucis. 298. Tabula ordinis incenſandi oblata per modum circuli. *ibid.* in Incenſatione Crucis Calix removetur à Diacono, quomodo. 299. cur non apud Carthuſianos. *ibid.*

Incenſationis Chori Ritus omnis, & ordo explicatur. 300. quæ reſalutatio à thurificato debeatur thurificanti. 301. Clericorum ſi adeſt multitudo, quid. *ibid.* Decreta S. C. R. circa præcedentiam in thurificando. *ibid.* ſi Prælati exteri, triplici ductu immediate poſt Celebrantem. 302. Ritus thurificandi omnes præſente Epiſcopo. *ibid.* triplici ductu aliquando plures perſonæ thurificantur. 303. Decreta S. C. R. ſuper quot ductibus perſonæ in Choro, vel extra ſint thurificandæ. *ibid.* Incenſatio Subdiaconi. 304. Diaconi. *ibid.* Acolythorum, & Populi. 305. quo in ſitu, & loco Subdiaconus ſit incenſandus. 643. Diaconus poſt incenſatum Celebrantem, cum pergit ad incenſandum Chorum, an debeat genuflectere. *ibid.*

Incenſatio Epiſcopi quomodo, & à quo incenſandus, dum aſſiſtit Miſſæ ſollemni in ſua Diœceſi. 420. 422.

Incenſatio Feretri quomodo. 390.

Incenſum, quomodo ter immittendum in Thuribulum. 230.

Incenſi Benedictio in Miſſa ad Oblationem, cur in ea mentio S. Michaelis Archangeli fiat, cum potius S. Gabrielis deberet fieri. 297. omittitur à PP. Prædicatoribus, & Carthuſianis. *ib.* & ab aliis Eccleſiis. *ib.*

Incenſi quinque grana Cereo Paſchali infigenda, qua forma. 609.

Incenſum, pro Cereo Paſchali ipſo ardente, accipienda Verba in ejus Benedictione dici ſolita: *Incenſi hujus Sacrificium Veſpertinum* 622. nomine *Incenſi* aliquando res ipſa accenſa appellatur. *ibid.*

Inclinatio triplex, profunda, media, & infima, quid, & quando. 191. *Gloria Patri, &c.* convenit infima. 217. cur non inclinandum ad Mariæ nomen, dum dicitur *Confiteor*, & in tribus Orationibus ante communionem Celebrantis. 220. cum nominantur in Miſſa *Jeſus*, *Maria*, vel Sanctus, de quo dicitur aut fit commemoratio, cur inclinandum caput Cruci. 242. *ſeqq.* quando nomen Papæ viventis in Miſſa, quomodo. 243. ad *Humiliate Capita veſtra Deo*. 244. ad *Supplices Te rogamus*, qualiter. 324.

Indulgentia non transfertur, ſi transferatur Feſtum. 120. niſi fiat ex ſpeciali privilegio. *ibid.*

Infantium nomine, recens per baptiſmum regeneratos, appellavit S. Auguſtinus. 498.

SS. Innocentium Feſtum an antiquiſſimum. 497. an Origenes, & S. Auguſtinus de his Infantibus mentionem fecerint. 498. in Africa, à quo tempore celebratum. *ibid.* cur Cantica lætitiæ non admittat. *ibid.* non ſic ab origine. 499. Ritus Miſſæ talis Feſti. *ibid.* ſi eſt Titulus Eccleſiæ, vel aſſerventur eorum inſignes Reliquiæ vel Corpus,



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pus, poſſint recitari Miſſa, & Officium cum Canticis, & ſignis lætitiæ. *ibid.* cur adhibeantur in die Octavæ. *ibid.* Miſſa Votiva qualis. 96.

Innocentius PP. I. juxta quosdam auctor Ritus dandi Pacem in Miſſa, ſeu dandi oſculum Pacis Sacerdotibus tantum. 332.

Innocentius PP. III. decrevit ſemel in die tantum poſſe Sacerdotem celebrare Miſſam, excepto die Nativitatis Domini, & nonniſi ex cauſa neceſſitatis. 36. Ritus de non dicendo *Gloria*, niſi in Miſſis B. V. in Sabbato, quando dicebatur Officium ejus, mutatus. 101. probabilius ipſi adſcribitur ſequentia *Veni Sancte Spiritus*, quæ legitur in Miſſa Pentecoſtes. 664.

Innocentius PP. XIII. Officium SS. Nominis Jeſu proprium in Dominica 2. poſt Epiphaniam ab omnibus cum Miſſa recitandum juſſit. 504.

Inſtructio Rituum omnium ſervandorum pro Expoſitione SS. Sacramenti ad Orationem 40. Horarum. 393. Decreta S. R. C. ſuper eadem materia. 400. *ſeq.*

Intentio neceſſaria ad Conſecrandum in Miſſa quid, quotuplex. 437. Actualis, Virtualis, Habitualis, & interpretativa, quæ ſint. *ibid. ſeq.* Abſoluta, & Conditionata, Implicita, & Explicita, quæ. 438. Actualis & explicita, optima, & optanda, non tamen neceſſaria. *ibid.* ſufficit ſola virtualis, & implicita. *ibid.* Habitualis non ſufficit, neque interpretativa. *ibid.* Virtualis aliquando appellata habitualis. *ibid.* major, & perfectior intentio requiritur in miniſtrante, quàm in ſuſcipiente Sacramenta. *ibid.* Conditionata, quando utendum eſt, non verò tam facile. 439. nunquam Conditionata de futuro. *ibid.* an vitietur Sacramentum ex defectu intentionis merè internæ Miniſtri nolentis conficere Sacramentum, cum intentione tamen faciendi exterius, quod facit Eccleſia, adhibendo materiam, & formam. *ibid.* ſtatuitur ſententia affirmativa. *ibid.* & *ſeq.* ſi quis ex pluribus Hoſtiis præſentibus unam indeterminate non intendit conſecrare, nulla eſt conſecrata, poſt prolatam formam. 441. Guttæ Vini extra Cuppam non ſunt conſecratæ, ſi ad illas non dirigatur intentio. *ibidem.*

Intortitia ad Conſecrationem, & Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti in Miſſa ſollemni, quando accendenda, & extinguenda. 321. non auferenda, ſi debeat fieri Communio, niſi illa peracta. 322.

Introitus Miſſæ cur appellatur *Antiphona.* 124. ejus Inſtitutio cui, & an recte tribuatur Cœleſtino I. PP. *ibid.* Incipientes à primo Verſu Pſalmi. 125. Irregulares aliquot. *ibid.* Auctores de eo agentes. *ibid.* in Miſſa ſollemni Ritus quoad Celebrantem, & Miniſtros. 236. cur non dicatur in Miſſa Sabbati Sancti. 636.

S. Joannes qualis in Canone. 327.

S. Joannis Evangel. Feſtum. Circa diem ejus obitus variæ opiniones enucleantur. 496. quo die Epheſi ejus natale celebratum. *ibid.* ab Eccleſia Latina, & Græca. 497. dies obitus ejus incertus. *ibid*

S. Joannis Feſtivitas *Miſſa* S. Joannis appellata. 18.

S. Joannis Baptiſtæ Vigilia infra Octavam Corporis Chriſti, Miſſæ Ritus. 79. Votiva & ſeq. qualis eſt ſumenda, & quomodo. 95.

Joannes PP. VIII. ſpecialiter indulget Sclavis Officium, & Miſſam propria lingua celebrare. 29. & 31.

Joannes XXII. PP. inſtituit Feſtum SS. Trinitatis celebrandum in Octava Pentecoſtes. 665.

S. Joſephi nomen in Litaniis, præponendum Apoſtolis. 129. & in Oratione *A cunctis*, ſi eſſet Titularis. *ibidem.*

S. Joſephi Feſtum, ſi in Fer. V. Cœnæ Domini, ſervandum præceptum vacandi ab operibus ſervilibus, & audiendi Miſſam, & quid. 550.

*Ite Miſſa eſt*, quid, & cur. 154. à quo inſtitutum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tutum. *ibid.* S. Leoni Papæ perperam attributa. *ibid.* Ritus antiquiſſimus dimittendi populum per hæc verba. 155. in fine Miſſæ antiquiſſima populi dimiſſio, completo Sacrificio. 13. 14. in Miſſa ſollemni à quo, & quo Ritu cantandum. 371.

Jube *Domine*, non *Domne* benedicere cur ante Evangelii lectionem. 250. Diaconus vero *Jube Domne*, & cur. 259.

*Judica me Deus*, Pſalmus initio Miſſæ dicitur, an ex Decreto Cœleſtini Papæ I. 217. Refellitur opinio Claudii de Vert. 216. à quibus Eccleſiis, & Ordinibus omittitur. *ibid.* à quo tempore recitatur in Romana. *ibid.* dicitur in Miſſis Votivis de Paſſione, & Cruce, etiam tempore Paſſionis. 98. 103. 217.

Judicium per aquam ferventem, ſeu ferrum candens prohibitum: & quomodo olim. 75.

B. Juliana Virgo Sanctimonialis Leodii Feſtum Corporis Chriſti promovit. 666.

Julio I. PP. adſcribi poteſt, ut Natalis Domini Feſtum die 25. Dec. celebretur. 487.

Junctio Manuum in Miſſa quomodo. 214.

Juſtinianus Imperator ſcribit ad Epiſcopos omnes, ut Feſtum Nativitatis Domini celebretur die 25. Dec. 487.

KYrie eleiſon. Vox Græca. 126. quid. *ibid.* reperitur in liturgiis Apoſtolorum, & Veterum SS. Patrum. *ibid.* Græci *Litaniam* appellant. *ibid.* dirigitur ad SS. Trinitatem: cur ter Chriſte-eleiſon ad Filium. *ibid.* an Silveſter Papa ad Romanos tranſtulerit. *ibid.* S. Gregorius non accepit à Græcis, ſed conſervavit. *ibid.* apud Græcos dicitur à Populo, & non interponitur Chriſte-eleiſon. 127. Auctores de hac deprecatione erudite agentes. *ibid.* Ritus dicendi in Miſſa. 227. non eſt ſedendum, quando moderate canitur à Choro. 236. vocatur interdum Litania. 653.

LAteranenſis Baſilicæ Ritus Miſſæ in die Anniverſaria Creationis, & Coronationis Papæ. 87. In fine tertii Agnus Dei in Miſſa antiquum morem *Miſerere nobis* retinet. 331.

Latini ſub culpa gravi tenentur in Azymo conſecrare. 427. & prohibentur in Fermentato. *ibid.*

Lavandæ manus in Miſſa quomodo. 277. Ritus atque Myſterium. 286. poſt diſtributionem Candelarum. 709.

S. Laurentii Feſtum. Secunda Miſſa in eo aſſignata in Sacramentario S. Gregorii. 54. circa Symbolum in Miſſa. 146.

Lectica Mortuorum. V. *Tumulus.*

Lectiones cur ſine titulo, quæ ex Moyſis, & Salomonis libris. 136. Miſſæ titulo olim appellatæ. 17.

Lectores olim ordinabantur per traditionem Codicis Epiſtolarum. 136. quandoque conceſſa facultas tangendi Vaſa Sacra. 176.

Lectores olim Alba in miniſterio uti poterant. 472.

S. Leo I. PP. decrevit Ordinationes fieri in Dominica tantum, ſive in nocte, quæ Dominicam præcedit. 483. Vigiliarum obſervantiam inculcat. 701.

Leo PP. II. juxta quosdam dicitur auctor Ritus dandi pacem in Miſſa, vel ut oſculum pacis etiam Laicis daretur. 332.

S. Leo PP. III. conſtituit, ut Romæ ante Aſcenſionem Domini Litaniæ celebrarentur. 659. Novies aliquando in eadem die Miſſam celebravit. 36.

S. Leo PP. IX. Penſionem annuam pro expenſa Roſæ Aureæ ſuper redditus Monaſterii S. Crucis Lotaringiæ impoſuit. 520.

Liber Evangeliorum, æquo honore, ac imago Chriſti adorandus. 251. de Codice S. Evang. egregium opus editum à Joſepho Catalano. 139. 252. V. *Evangelium.*

Liber Miſſalis. V. *Miſſale.*

Linguæ tres Hebraica, Græca, & Latina cur adhibitæ tantum ab Eccleſia in celebratione Miſſæ. 29. 127. qua lingua Apoſtoli uſi ſint in celebratione. 28.

Lingua Hebraica Babylonicæ mixta poſt captivitatem. 30. Syriaca Hebraica appellata, quâ utebantur Judæi. *ibid.* & Syro-Chaldaica, qua Chriſtus Dominus loque-

batur. *ibid.* Evangelium S. Matthæi eadem conſcriptum. *ibid.*
Lingua Illyrica ubi celebrentur Officia, Ritu tamen Romano. 48. id Moravis permiſſum ab Hadriano PP. I. *ibid.*
Linteum, quo laici Euchariſtiam accipiebant, non erat Dominicale. 339. *ſeq.*
Litaniæ nomine appellatur Kyrie eleiſon à Græcis. 126.
Litaniæ. Nomen S. Joſephi in Litaniis præponendum Apoſtolis. 129.
Litaniæ in Sabbato Sancto quo loco, & tempore incipiendæ à Cantoribus. 633. Ritus ſervandi dum cantantur. *ibid.*
Litaniæ majores. Litaniæ quid. 652. pro Kyrie eleiſon ſolo etiam uſurpatur. 653. Proceſſiones Litaniæ appellantur. *ibid* indictæ à Gregorio PP. & cur ſeptiformis vocata, & cur indicta. *ibid.* major, id eſt in die S. Marci, diverſa ab alia. 654. ante S. Gregorium hæc inſtituta. *ibid.* diſcrimen inter ſeptiformem, & majorem. *ibid.* cur major appellata. *ibidem.* ejus circuitus qualis tunc. *ibid.* non fuit inſtituta à S. Gregorio PP. ſed aucta, & ampliata. 655. olim in die S. Marci non celebrata, ſed variè. 656. ſi Feſtum S. Marci occurrat in die Paſchatis, Litaniæ majores transferuntur in Fer. III. Paſchæ. *ibid.* ſi infra ejus Octavam, quid. 657.
Litaniæ minores, id eſt Rogationes, Græcis ignotæ. 657. à S. Mamerto Viennenſi in Gallia an inſtitutæ, vel reſtitutæ. *ibid.* cum jejunio. 659. Romæ quando receptæ. *ibid.* ac minores appellatæ. *ibidem.* in Hiſpania quando. *ibid* in Gallia tres dies Rogationum primitùs feſtivi. *ibid.* Romæ nunquam feſtivi, neque cum jejunio. 660. Ritus Miſſæ Proceſſionum, etiam Feſtis aliis occurrentibus. *ibidem.*
Liturgia, publicum opus, cur. 11. titulus à SS. PP. uſurpatus. 12. 15. 16. Liturgiæ variis linguis conſcriptæ apud quas nationes. 31. V. *Miſſa.*
Lotio Altarium Fer. V. in Cœna Domini. 560.
Lotio manuum in Miſſa cur, & quomodo. 286. coram SS. Sacramento. 408. ſi Celebrans eſt in dignitate conſtitutus, quomodo. 643. poſt Miſſam. 377.
Lotio pedum. V. *Mandatum.*
S. Ludovicus IX. Rex Galliarum in mari quotidie Miſſam ſiccam celebrare faciebat. 66.
Lupercalia Romæ ſublata à Gelaſio PP. I. & in eorum locum ſuffecta Purificationis B. M. Feſtivitas. 703.
MAffei (Laurentius) Vir eruditiſſimus laudatur. 703.
Magiſter Cæremoniarum, ejus munera *in ſingulis Miſſæ ſolemnis partibus quære.* Cathedralis Patavinæ, quibus inſigniis utatur, &c. Decreta varia de eorundem Electione. 790. *& ſeq.*
Magiſter Cappellæ in Proceſſionibus non convenit, ut procedat cum Beneficiatis, ſed cum ſuis Cantoribus. 679.
Magiſtratus thurificandus eodem tempore, quo Canonici, ſi adſit conſuetudo immemorabilis. 301. pax illi danda per inſtrumentum. 359.
S. Malachias Hibernicorum populorum, ac Britonum conſuetudines abrogavit, & Romanos Ritus introduxit. 45.
S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis an inſtitutor, vel reſtitutor fuerit Litaniarum minorum, ſeu Rogationum. 657.
Mandatum, locus ejus qualis. 561. qualiter paratus. *ibid.* Subdiaconus cum Cruce inter Ceroferarios. 562. Verſiculi exhibentur eo modo, quo cantari debent. 563. cur hoſpitibus ævo Chriſti lotio pedum præſtabatur. 567. exemplo Chriſti, Papa, Epiſcopi, & Superiores hac die ſolent lavare pedes 12. vel pluribus juxta conſuetudinem. *ibid.* Sanctimonialibus licet facere mandatum. *ibid.* varii Ritus diverſarum Eccleſiarum. *ibid.* Narbonæ quilibet Canonicus 12. pauperibus. *ibid.* Lauduni non pedes, ſed manus omnium Canonicorum lavantur in Capitulo. *ibid.* magna diſcrepantia inter Cæremoniale Epiſcoporum,
&

& Ordines Romanos. *ibid.* alibi 12. alibi 13. pauperes lavantur, vel Canonici. *ibid.* Papa olim 12. Diaconis, vel Cappellanis in defectu ipſorum. *ibid.* vel Subdiaconis. 568. vel 13. pauperibus, præſcripto numero in Cæremoniali Romano. *ibid.* duplex aliquando lotio fiebat hac die, ex Ruperto explicatur. *ibid.* in decimotertio lavando quis. 569. duæ pariter à Pontifice fiebant lotiones, & qualiter. *ibid.* cur Papa lavet pedes 13. Presbyteris hac die, & quotidie 13. pauperes convivio excipiat. 570.

Manipulus cur ultima veſtis Epiſcopi. 189. de ejus uſu, & antiquitate. 183. uſus laicis in Cœnobiis Monachorum abrogatus. 184. Ritus apud Græcos. *ibid.* infra cubitum quomodo firmandus. *ibidem.*

Manipulus non accipiendus à Diacono, & Subdiacono, quando Celebrans eo non utitur, niſi ſint cantaturi Epiſtolam, aut Evangelium. 723.

Manus ſiniſtra, dum aliquid benedicitur in Altari, nunquam in aëre ſuſpenſa tenetur, ſed ſuper Altare ponenda. 214. ſic & dextera, cum ad aliquid adhibeatur ſiniſtra. 289.

Manus ſuper Altare non ponendæ cum dicitur *Sanctus, &c.* & quid. 290. pollices extergendi antequam accipiatur Hoſtia mox conſecranda. 316.

Manus jungendæ quomodo. 210. junctio earum, dum aliquid eſt benedicendum. 283. ſiniſtra ponitur ſuper Altare, cum benedicitur aliquid. & cur. *ibid.* quomodo jungendæ ſuper Altare ad *Suſcipe Sancta Trinitas.* 287. extendendæ ad *Te igitur* quando. 308. lavandæ poſt Miſſam ob reverentiam. 377. ſi non laventur, nulla venialis noxa committitur. *ibidem*

Manutergium quid, non deferendum ſuper Calicem. 190. pro manibus non extendendum in extremitate Altaris, ſed ſuper brachium ſiniſtrum Miniſtri adaptandum. 277. non decet, ut ad Communionem deſerviat. 366.

Mappa diſtincta pro Communicandis. 366.

Mappæ Altaris poſt Miſſas contegendæ. 169.

S. Marci Evang. Feſtum. Ritus dicendi *Credo* in Miſſa Rogationum. 147. in Eccleſia Occidentali ante finem ſeptimi Seculi non recolebatur. 656. particulariter in quibusdam Eccleſiis affixum 23. Sept. *ibid.* ſi occurrat in die Paſchatis, quid. *ibidem.* ſi infra Octavam, quid. 657.

S. Mariæ Virgini cur conveniat ſpecialiter Oratio de Spiritu Sancto. 133. Feſta ejusdem Purificationis, Annunciationis, &c. *Vide ſingulos eorum titulos.*

Maronitæ in azymo conſecrant. 25. habent Liturgiam Syriaco idiomate, vel Syro-Chaldaico. 31.

S. Mathias cur in Canone, non cum aliis 12. Apoſtolis, & poſt S. Stephanum nominetur. 327. cur idem non nominetur cum aliis Apoſtolis in prima parte Canonis. 314.

*Memento.* ejus Ritus, & ordo ac formula. 312. olim dicta Oratio ſuper Diptycha. 313.

*Memento Domine &c.* Tam vivorum, quàm mortuorum, ſecretò ea Verba dicenda. 325.

S. Michael Archangelus cur nominetur in Benedictione Incenſi ad oblata in Miſſa. 297. quædam Miſſalia habent S. Gabrielis. *ibid.*

Miniſter Miſſæ an & in quo caſu poſſit eſſe filius illegitimus Celebrantis. 193. Celebrare ſine Miniſtro quando liceat, & quomodo. *ibid.* cum duobus Miniſtris non competit Vicario Generali. *ibid.* quæ agere debeat à Sacriſtia uſque ad ingreſſum Sacerdotis ad Altare. 192.

Miniſtrales dicti Clerici deſtinati ad ſerviendum Miſſis in Eccleſiis ſtationalibus. 700.

Miniſtrare in actis Apoſtolorum, idem ac Sacrificium Miſſæ offerre. 12.

*Miſereatur Veſtri &c.* Variæ hujus precis formulæ. 221.

## M I S S A.

Miſſæ Ritus ex Apoſtolorum diſciplina, ac traditione. 1.

Miſſa, vox latina, & antiquiſſima; Unde ducta, & quid. 11. 12. an ab Hebræis derivata.

vata. *ibid* Liturgia appellata. *ibid.* cur publicum opus dicta. *ibid.* primis Eccleſiæ ſeculis adhibita. 12. ante ævum Ambroſianum. *ibid.* Sancti Jacobi Apoſt. Miſſa Græco, vel Hebræo Sermone primum exarata. 13. Miſſa, idem ac Miſſio precum Populi ad Deum. *ibid.* vel Miſſio Catechumenorum. *ibid.* & 17. & fidelium. *ibid.* Miſſæ titulus omnibus Officiis Eccleſiaſticis olim affixus, tum Diurnis, tum Nocturnis. 14. pro Collectis, & Orationibus uſurpatus. *ibid.* & 17.

Miſſarum Sollemnia, unum tantum Miſſæ Sacrificium ſignificatur. *ibid.* cur Chriſtiani Veteres obſcuro hoc nomine Rem Divinam appellarunt. *ibid.* in Cryptis olim celebrabatur à Chriſtianis, & cur. 15. pro Lectionibus uſurpatus titulus Miſſæ. 17. pro Horis Canonicis. *ibid.* pro Feſtivitate ipſa. *ibid.*

Miſſa eſt verum Sacrificium Incruentum Chriſti ab eodem inſtitutum. 18. Ordo Miſſæ à S. Petro Apoſt. primum inſtitutus. 21. ab eodem prima Miſſa celebrata Hieroſolymis in die Pentecoſtes. 22. in Cænaculo Montis Sion. 25. 26. quibus Veſtibus. *ibid.* & *ſeq.* quâ linguâ Apoſtoli celebraverint. 28. tribus tantum linguis, nempe Hebraica, Græca, & Latina celebrari permittitur. 29. Sclavis propriâ linguâ celebrare permiſſum à Joanne PP. VIII. *ibid.* an linguâ purâ Hebraicâ primitus fuerit celebrata. 30. & 31. Miſſa S. Jacobi cur Græcè reperiatur ſcripta, non Hebraicè. *ib.*

Miſſæ Ordo præſcriptus à S. Petro, & evulgatus à S. Jacobo Apoſt. 32.

Miſſa ſeu Liturgia Romana à S. Petro inſtituta. *ibid.* ſaltem quoad præcipuas ejus partes. *ibidem.*

MISSÆ APPLICATIO.

In Cathedralibus, & Collegiatis Miſſa Conventualis applicanda pro illis, ex quorum diſpoſitionibus diſtributiones percipiuntur. 455. à Regularibus, pro quibus. *ibidem.*

Celebrans non poteſt applicare portionem Sacrificii propriam Sacerdotis accepto ob eam ſtipendio, tanquam pro integra Miſſa. 466. an qui tenetur alicubi celebrare abſque applicatione Sacrificii, poſſit accipere ab alio ſtipendium pro applicatione. 459. pro Miſſa Convent. & Paroch. in propriis Eccleſiis ratione Beneficii non poteſt accipi. *ibid.* ſi in fundatione beneficii, aut Cappellæ expreſſe cautum eſt, non teneri Celebrantem ad applicationem Sacrificii, poteſt novum ſtipendium accipi. *ibid.* & 465. Cappellani Monialium quando poſſint. 459. Applicatio Sacrificii pro Eleemoſyna futura prohibita à Paulo V. 466. Applicatio Miſſæ Parochialis, ubi cura Animarum habitualiter eſt apud Capitulum, vel actualis eſt penes Canonicum, vel Dignitatem. 460. Decreta. *ibid.* & *ſeq.*

Miſſæ ſatisfactio non fit per Miſſam ſiccam. 65. an ſi celebretur in Altari Privilegiato, dicendo Miſſam de Duplici quod non fit in ea Eccleſia. 114.

In die Comemorat. Omnium Fidelium Defunctorum ex Decreto S. R. C. applicari poteſt ad libitum. 716.

MISSÆ CELEBRATIO.

Miſſa olim quotidiè non celebrabatur, & à quo ſeculo incœperit. 34. & 36. quibus diebus tantum per hebdomadam olim. *ib.* Tempore S. Auguſtini varius uſus. 34. In variis Eccleſiis. 35. S. Baſilius quotidie. *ib.* Quotidiana Celebratio antiquitus permiſſa. *ibid.* Imo, & plurium Miſſarum eâdem die iteratio. *ibid.* Leo III. Papa novies aliquando in eodem die Miſſas celebravit. 36. quando, & à quo vetitum plures Miſſas eodem die celebrare. *ibid.* Excepto die Nativitatis Domini, & cauſa neceſſitatis ex Decreto Innocentii III. *ibid.* tres olim in Feſto Circumciſionis Domini. *ibid.* & in Feſto Paſchatis. *ibid.* Per Octavam Paſchæ totam duæ. 37. Fer. 5. in Cœna Domini duæ ac etiam tres. *ibid.* Tres in Vigilia Aſcen

ſcenſionis in Eccl. Turonenſi: *ibid.* alibi etiam plures eodem die tum privatæ tum ſollemnes. *ibid.* non omnes olim quotidie celebrabant, ſed perfectiores monachi. *ib.* non licet eodem die celebrare in Altari, in quo celebravit Epiſcopus. 55. non celebrandum niſi à Jejuno. 65.

Matutinum cum laudibus recitandum ante Miſſam, an obliget ſub mortali. 457. utique in Choro, non quoad Miſſam Privatam. *ibid.* nulla interveniente rationabili cauſa eſt tantum Veniale. *ibid.* temperatur rigoroſa ſententia Gavanti & aliorum, quos ſequitur. 458.

Miſſas plures celebrare ſub uno Canone, vel ſub duobus. 66. 67.

*Miſſa qualiter dicenda.* Regulariter debet eſſe conformis Officio. 38. quibus tamen diebus exceptis. *ibid.* quare. 39. nec non in alia Eccleſia, ubi Duplex Feſtum celebretur. 76. quando poſſit eſſe non conformis Officio 80. In vigilia Aſſumptionis. *ibid.*

*Miſſæ propriæ*, ſi non habentur, recurrendum ad Commune Sanctorum. 158 propriæ Regularium, dici non poſſunt à Secularibus neque in eorum Eccleſiis. *ibid.* Decreta. *ibid.*

*Miſſæ Celebratio quoad locum.* In Mari, aut in Flumine nunquam licet celebrare. 172. an in aliquo caſu celebrari poſſit in Altari non conſecrato. 169. olim in Cryptis. 172. In magnis Navibus an liceat celebrare, vel non, pro utraque parte Doctores. *ibid & ſeq.* ſtatuitur verior ſententia. 173. id ſpecialiter conceſſum militibus Hieroſolymitanis à Clemente XI. cum quibus circumſtantiis. *ibid.* in triremibus olim denegatum. 174.

MISSA CONVENTUALIS.

Quæ dicatur Conventualis. 54.

Miſſæ duæ Sollemnes celebrandæ in Cathedralibus, in Collegiatis ex concurrentia Feſtorum, aut Feriarum, ex Decreto Deusdedit Papæ. 55. 82. ſi Feſtum Titularis ſit transferendum. 119. in die infra Octavam occurrente cum Vigilia quid. 78. *ſeq.* 81. Privilegiati quid de Conventuali infra Octavam in Feriis Quadrageſimæ, & de privata. 80. in Sabbatis Adventus, etiam non recitato Officio cantanda de B. M. 84. quæ Votivæ loco Conventualis in diebus Ferialibus dici poſſint. 85. In Feria, in qua reſumitur Officium Dominicæ impeditæ, Miſſa de eadem debet eſſe. 88 Cantanda, ubi adeſt Oratio 40. horarum. 90. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum. 115. ſi plures Miſſæ cantandæ, poſt quam Horam. 160. nonnulla Decreta S. R. C. circa Miſſas Conventuales. 451. de Miſſa Conventuali infra Octavas. 452. Regulæ nonnullæ circa Miſſas Conventuales. 453. Decreta alia. *ibid. & ſeq.*

Miſſa Conventualis in Collegiatis, & Cathedralibus pro quibus applicanda. 454. *ſeq.* conſuetudo cantandi Miſſam Convent. diebus Feſtis tantum, in quibus Cathedralibus, & Collegiatis tolerari poſſit 455. ratione tenuitatis reddituum poteſt. *ibid.* quot perſonæ requirantur ad Miſſam Convent. cantendam. *ibid.* ex defectu Miniſtrorum ſine Miniſtris cantari poteſt. *ibid.* an Miſſa in Aurora, & Votiva poſt Nonam loco Conventualis ſufficiat, ſi adſit conſuetudo immemorabilis. 458. quando Votiva, & Defunctorum ſufficiat. *ibid.* debet applicari pro Benefactoribus tam à Canonicis, quàm à Beneficiatis. 459.

*Miſſæ Sollemnis Ritus ac partes.* 201. quæ paranda in Sacriſtia. *ibid.* In Credentia propè Altare. *ibid.* Præparatio ad illam in Sacriſtia quoad Celebrantem, & Miniſtros. *ibid.* Egreſſus Celebrantis, & Miniſtrorum è Sacriſtia. 207. Ingreſſus ad Altare. 208. cur Celebrans ſe inclinet ad Miniſtros, dum in Confeſſione dicit *Vobis, & Vos fratres.* 223. à fine Confeſſionis uſque ad Incenſationem. 228. In Reliquiarum Incenſatione, ſi adſint in Altari. 235. quan-

quando reperitur SS. Sacramentum in Tabernaculo incluſum. 234. Ab Introitu ad initium Orationum. 235. Ab Oratione uſque ad Epiſtolam. 240. In Orationibus etiam quando dicitur *Flectamus genua* 247. ab ultima Oratione uſque ad finem Epiſtolæ. 255. dum cantatur Symbolum. 268. à fine Offertorii ad Incenſationem Oblatorum. 291. uſque ad Præfationem. 297. uſque ad Canonem. 306. à fine Præfationis uſque ad Calicis repoſitionem. 321. uſque ad Orationem Dominicam. 328. uſque ad ultimam Purificationem Celebrantis. 355. quæ ſervanda in Miſſa Pontificali in danda Pace, & diſtribuenda Communione Cleri & aliorum Fidelium. 361. Ritus miniſtrandi Euchariſtiam intra Miſſam Sollemnem. 362. ab Ablutione digitorum uſq; ad ultimam Orationem. 369. à Benedictione uſque ad finem. 378.

Miſſæ Sollemnis coram SS. Sacramento Ritus omnes. 405.

Missa Cantata ſine Miniſtris quomodo, & Ritus. 272. poteſt adhiberi incenſatio ad Evangelium, Offertorium, & Elevationem. 273. minus ſollemnis cum uno Acolytho, Ritus. 274. cum Diacono, ſine Subdiacono non eſt in uſu, niſi apud Carthuſianos. 275.

MISSA PRO DEFUNCTIS.

Miſſa *pro Defunctis* poteſt eſſe Principalis qualibet Fer. II. cum de ea ſit Officium, 96. conſuetudo dicendi Miſſas pro Defunctis à temporibus Apoſtolicis. 109. De tertio, ſeptimo ac trigeſimo die. *ibid.* Decreta Sac. Congreg. circa dies, quibus celebrari poſſunt Miſſæ privatæ, vel cantatæ de Requiem. 110. an privatæ dici poſſint in Feſtis duplicibus præſente Cadavere. 111. *ſeq.* ac tertia, ſeptima, ac trigeſima die obitus. 113. Miſſa Feſti duplicis celebrata in Altari Privilegiato ſatisfacit pro obligatione Miſſæ de Requiem. 114. idem de Dominicis, & Feriis Privilegiatis. *ibid.* Decreta pro Miſſis in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. 115.

Miſſa ſollemnis in die obitus poteſt celebrari cum primùm certa notitia de obitu habetur. 116. pro Papa, Cardinali, Epiſcopo, & Sacerdote, & aliis quæ. *ibid.* Offertorium quale. 148. quomodo in eo Verba: *Ne abſorbeat eas tartarus, &c. ibid.* Quæ omittenda in Miſſis privatis Defunctorum, & cur. 380. *& ſeqq.* Quæ omittenda in Miſſa ſollemni, & cur. 382. *& ſeqq.*

*Miſſa pro Defunctis* die 2. Novembris & die prima non impedita cujuslibet menſis, non eſt Votiva, & cur. 59. dici non poteſt infra Octavam Corporis Chriſti. 80.

Missæ Feriales, quibus temporibus, & quo Ritu. 78.

Miſſæ Fer. V. in Cœna Domini Ritus. 546. conceſſa ſolis Eccleſiis, in quibus aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum. 550. non eſt de Juribus merè Parochialibus. *ibidem.* unica tantum ſollemnis eſſe poteſt, niſi occurrat Feſtum de præcepto. *ibid.* in minoribus Eccleſiis Ritus. 570. Magiſtratus, & Nobiles communicant ad Altare Fer. V. in Cœna Domini. 549.

Miſſæ Fer. VI. in Paraſceve Ritus. 576. *ſeqq.*

Miſſæ in Feriis Rogationum. 660.

Missæ tres Nativitatis Domini. Teleſphoro PP. attribuuntur, at Decretalis ejus ſuppoſititia eſſe convincitur. 488. olim duæ tantum. *ibid.* cur tertia. *ibid.* quando in Gallia tres. 489. Papa ubi, & quomodo eas celebrabat. *ibid.* primæ Miſſæ Ritus. *ib.* ſecundæ. 490. tertiæ. 491. non poſſunt celebrari privatè poſt mediam noctem. 493. non debet genuflectere Celebrans tranſiens ante Calicem, in quo Stillæ Sanguinis nondum exſiccatæ ſunt. 492. Jejunium pro celebranda prima Miſſa in media nocte, quale. 493. tres Miſſæ privatæ non poſſunt celebrari ante Auroram. 494. poſſunt celebrari interpolatè etiam privatè, ſed in die. *ibid.* ſi una tantum celebretur, quæ. *ibidem.*

MISSA DIEI PASCHATIS. *Ite Miſſa eſt* cum duplici *Alleluja* ſolùm in hac Octava dicendum, non vero, ſi quæ dicantur Miſſæ Votivæ ſollemnes pro re gravi. 651. tres olim Miſſæ celebrabantur. 36. & per totam Octavam duæ. 37.

MISSÆ PRIVATÆ Ritus uſque ad Confeſſionem. 210. ad initium Introitus. 224. ad Kyrie eleiſon. 226. ab Oratione uſque ad Epiſtolam. 240. in Sabbato Quatuor Temporum, vel quando plures Orationes dicuntur. 246. ab initio Epiſtolæ ad finem Gradualis. 248. uſque ad finem Evangelii. 249. uſque ad finem Symboli. 254. à fine Symboli uſque ad finem Offertorii. 276. uſque ad Hoſtiæ Oblationem incluſivè. *ibid.* ad Oblationem Calicis. 279. ad Lotionem manuum. 285. uſque ad initium Præfationis. 287. à Canone uſque ad *Una cum famulo tuo &c.* 308. à Memento Vivorum, uſque ad Conſecrationem Hoſtiæ. 313. ad Elevationem Calicis 319. ad Calicis repoſitionem. 320. uſque ad Memento Mortuorum. 323. uſque ad *Nobis quoque Peccatoribus*, 324. ad verba *Per quem hæc omnia.* 325. ab Oratione Dominica ad ejus finem. 328. à fine Orationum uſque ad Ablutionem digitorum. 333. & Purificationem Calicis. 335. poſt factam Communionem Fidelium. 349. à Purificatione uſque ad Benedictionem. 366 à benedictione uſque ad finem Miſſæ. 372.

Miſſæ privatæ coram SS. Sacramento Ritus. 411.

Miſſa privata, quæ celebratur coram Epiſcopo in propria Diœceſi. 415. quæ in ea dicenda clara voce, aut ſecreto, & cur. 160. *ſeq.*

Miſſæ privatæ variæ cauſæ, ex quibus poteſt anticipari Celebratio ante auroram. 159. & poſt meridiem. 160.

Miſſæ lectio, quibus conditionibus peragenda clara voce, vel ſecreto. *ibid. & ſeq.*

Miſſa privata coram Summo Pontifice, & Prælatis in Eccleſiis eorum Jurisdictionis. 211. 374. Coram Epiſcopo in Eccleſiis ſuæ Diœceſis. 415. 418. Coram Cardinali, Legato à Latere, Patriarcha, Archi-Epiſcopo &c. 211. Coram Prælatis extraneis, & aliis Principibus. *ibid.*

MISSÆ IN SABBATO SANCTO Ritus omnes à principio uſque ad finem ſervandi. 634. *& ſeqq.* olim in hac Miſſa omnes communicaſſe probatur. 639. cur in ea non dicatur Offertorium, 637. nec Poſtcommunio dicatur. 640. Ritus cantandi Veſperas. 641. alia Miſſa præter ſollemnem hac die celebrari non poteſt ex Decretis S. R. C. 644. Feſta omnia in hac die occurrentia in totum ſunt transferenda. *ibid. ſeq.* Ritus in minoribus Eccleſiis. 646.

MISSA B. V. IN SABBATO initium habet à miraculo, quod Conſtantinopoli ſingulis Sabbatis contingebat. 61. an recte dicatur Votiva. 85. ratione Officii cantari debet poſt Sextam. *ibid.* Ritus ejus in Adventu, Vigiliis, & Quatuor Temporibus. 84.

Miſſa B. Mariæ dicitur in duobus Sabbatis prioribus Adventus, licet non dicatur Officium de B. M. & cur. 59.

Miſſa de B. Maria V. in Sabbatis Adventus quomodo. 473.

Miſſa *Votiva B. M. V.* Ritus ejusdem in Vigiliis, & Quatuor Temporibus. 84. in Adventu quomodo. 99. Ubi eſt conſuetudo canendi eam in Sabbatis, poteſt continuari etiam in Sabbatis impeditis Feſto duplici non omiſſa Conventuali. 100. ſi dicenda in Vigilia Aſſumptionis quomodo. 101. ſi infra aliquam Octavam ejuſd. B. V. *ibid.*

MISSÆ SOLLEMNIS RITUS, ET PARTES. V. *Miſſa Convent.*

## MISSA VOTIVA.

Miſſa *Votiva* ſtrictè accepta, eſt, quæ non convenit cum Officio diei, nec ab Eccleſia præſcribitur dicenda. 59. late ſumpta, quæ non concordat cum Officio, tamen ab Eccleſia præſcribitur tali die dicenda, ex Voto, ac Devotione ipſius Eccleſiæ. *ibid* nec pendet à Voluntate Sacerdotis. *ibid.* Au-

ctores de Miſſis Votivis agentes eruditè. *ib.* quot olim, & quot nunc enumerentur. 85. quæ dici non poſſint quocumque tempore. 86. quibus diebus ſingulæ conveniant. 88. pro re gravi quacumque die à Feſto duplici (exceptis ſollemnioribus) poteſt cantari. *ibid.* ad hoc quænam ſit res gravis. *ibid.* cur faciliùs in Feriis per annum, & non Adventus quàm Quadrageſimæ, & Vigiliæ permittantur Miſſæ Votivæ. *ibid.* Decreta S. Cong. Rituum circa dies, in quibus poſſunt celebrari, vel non Miſſæ votivæ privatæ, vel ſollemnes. 89. ſi votivæ exigantur de myſteriis Domini, vel de ſollemnitatibus, quæ ſubſtitui poſſint. 90. & quæ varianda. *ibid.* de Sanctis non deſcriptis in Calendario, quorum, & quales. 91. an de Beatis nondum Canonizatis. *ibid.* (ſeu Collectæ) quæ Miſſæ, ac Collectæ, quæ propriæ ſunt ſollemnitatum, pro Votivis dici non poſſunt, & cur. 93. Miſſæ, in quibus Veritas, & Ritus Verborum non violatur, poſſunt pro Votivis celebrari, & earum Catalogus. *ibid.* quæ poſſint in iis variari. 94. infra Octavam ejusdem Sancti, quomodo. *ibid.* in Vigilia Aſſumptionis, ſi exigatur Miſſa Votiva de S. Laurentio quid. 95. Votivæ plurimorum Sanctorum, unde ſumendæ. *ibid.* quorum habentur Reliquiæ, quomodo. *ibid.* de omnibus Sanctis qualis Miſſa, & quomodo. *ibid.* de S. Johanne Baptiſta qualis. *ibid.* SS. Innocentium qualis. 96. ſemper in fine Votivarum dicitur Evangelium S. Johannis. 108. de Votiva ſollemni. *ibid.*

Miſſa Votiva dici non poteſt infra Octavam Corporis Chriſti. 79. Votivarum multiplex genus, & quale. 85. dies, in quibus poſſint celebrari, vel non. 86. de quibus Sanctis, vel Sollemnitatibus dici poſſint, vel non. 90. quæ & quales dicendæ, vel non de illis Feſtivitatibus, & Sanctis, de quibus conceſſum eſt Votivas celebrari. 92. aliæ ſecundi generis. 96. Colores in Miſſis Votivis. 102. de ſingulis partibus Miſſarum Votivarum à pag. 103. uſque ad 108. de Miſſa Votiva ſollemni. 108. non poſſunt celebrari infra Octavam Nativitatis Domini 495.

Miſſæ votivæ in fine Miſſalis, quibus diebus dici poſſunt. 716. *ſeq.* cauſæ rationabiles dicendi eas diebus vetitis, & quas admittit auctor Additionum. 717. *ſeq.*

## MISSARUM VOTIVARUM ALIQUOT SPECIES.

Miſſa Votiva *SS. Trinitatis*, quæ, & quomodo. 96. eadem cantanda pro re gravi. *ibid.* *de Angelis*, dicenda Feria III. cum *Gloria*, ſine *Credo*, *&c.* *ibid.* *S. Michaelis Archangeli*, ac de aliis Archangelis, & Cuſtodibus. *ibid.* *de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo*, & de omnibus ſimul, atque ſingillatim, quæ. 97. *de SS. Petro, vel Paulo* tantum Votiva, quæ. *ibid.* vel Converſionis S. Pauli. *ibid.* *de Spiritu Sancto*, quæ, quo die, & quid in ea. *ibid.* an ſecunda Oratio de S. Maria. 98. *de SS. Sacramento*; quâ in Feriâ. *ibid.* pro iis, qui habent privilegium recitandi qualibet Fer. V. Officium ejus, quid in Miſſa. *ibid.* *de Cruce*, & *Paſſione* Votivæ duæ pro Fer. VI. qualiter. *ibid.* ſi tempore Paſſionis, non omittuntur Pſal. *Judica*, & *Gloria Patri*. *ibid.* *de B. Virgine* pro temporis diverſitate, qualis. 99. ſi in Adventu, quid. *ibid.* *de SS. Roſario*, quæ. *ibid.* ſi ex onere dicenda. 716. *ſeq.* S. Mariæ de monte Carmelo. 717. *Miſſa Conceptionis B. M. V.* non eſt dicenda, ut Votiva in Sabbatis. 100.

## MISSARUM VARIA GENERA.

*Ex Auctoribus, Nationibus, tempore, loco, Ritibus, & aliis circumſtantiis.*

Missa Adventitia, olim votiva, nunc intelligitur manualis, quæ juxta mentem offerentis eleemoſynam celebratur. 59.

Missa, ſeu Liturgia Africana, quæ. 44. ubi viguit, & quando. 45.

De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Aguinaldo ex Concilio Mexicano, quæ ſummo mane celebratur. 67.
Alta, quæ. 53.
S. Amatoris Miſſæ prohibitæ. 75.
S. Ambrosii Liturgia qualis, à quo, cur ſic appellata. 41. pluries immutata, à quibus edita. *ibid.*
Animarum, id eſt Defunctorum, cantata. 60.
Annualis, quæ. 61.
Aurea, quæ, & cur. 52.
Bassa, quæ ſine cantu. 57.
Bifaciata, Trifaciata, & Quadrifaciata quid. 66. ex avaritia Sacerdotum. *ibid.* reprobatus abuſus. 67.
Bobiensis cur ſic appellata. 50.
Cantata prout diſtinguitur à ſollemni ſine Miniſtris. 53.
Capitularis, quæ diebus Feſtis ſollemniter cum Miniſtris paratis. 56.
Cardinalis, quæ in ara principali matutine dicebatur. 68. accipienda pro publica, & ſollemniori Miſſâ. *ibid.*
Catechumenorum, quæ. 13. V. *Catechumeni.*
Chrismalis, quæ dicebatur, dum S. Chriſma conficiebatur. 73.
Clementina, ſeu Liturgia S. Clementis. 45. eſt ejus genuinum opus. 46.
In Clero secunda, quæ ex Decreto Deusdedit, intelligi debeat, diſcuſſis variorum opinionibus. 54.
Communis, eadem ac Publica. *ibid.*
Conventualis, quæ. *ibid.* à Regularibus variè appellata. *ibid.*
Decensita, quæ. 56. obſcuritas hujus nominis. *ibid.*
Pro Decimis solvendis. 73. in qua ſolvebantur Decimæ. *ibid.*
Defunctorum, quæ pro Mortuis celebratur. 59.
Diei, quæ poſt matutinalem orto jam die dicebatur. 70.
Dionysiana, ſeu Liturgia Sancti Dionyſii Areopagitæ, quæ. 46.
Dominica, & Dominicalis. 52. 61.
De Expectato, quæ dicebatur ante Vigiliam Nativitatis Domini. 62.
Familiaris Miſſa quid. 57.
Ferialis, quæ per hebdomadæ Ferias canitur. 61.
Fidelium, eſt eadem cum Miſſa Sacramentorum, cui confitentes intererant. 63.
De Galli Cantu, quæ nunc de Aurora dicitur. 70.
Gallicana, ſeu Liturgia, ejus Ordo, auctor, & diverſitas à Romana. 41.
S. Gregorii intitulata pro Vivis, & Defunctis prohibita. 92.
Hibernica qualis, & Ritus. 45.
De Jejuniis, quæ. 61.
Illyrica, ſeu Liturgia Sclavonica quid, & ubi in uſu. 48.
Illyriciana, quæ. 50. prohibita in odium auctoris, plurimum tamen Catholicis favet Dogmatibus. *ibid.*
Imperfecta, in qua Corpus, & Sanguis non conficiuntur. 62.
Judicii, quâ cum aqua, ſeu ferri candentis ſupplicio veritas extorquebatur, prohibita. 75.
De Luce, ead. ac in Galli Cantu. 67.
Legata, quæ ex Legato, ſeu Teſtamento. 60.
Lunatica, quæ in die Lunæ celebratur. 61.
Matutinalis, quæ ſollemniter celebrabatur, vel poſt Primam æſtivo tempore, vel poſt Tertiam hyeme. 67. differentia cum Conventuali, & in uſu olim apud Monachos. *ibid. & ſeq.*
Media, quæ participat de privata, & ſollemni. 58.
Minor, eadem ac Matutinalis. 68.
Pro morte Inimicorum, prohibita. 75.
Mozarabica Liturgia cur, & quæ. 42.
Navalis, ſeu Nautica, idem ac Miſſa Sicca, ejus Ritus, ac ratio. 66.
Nocturna, quæ olim noctu celebrabatur, prohibita, excepta nocte Natalis Domini. 69.
Nova, ac Novella, quæ à novo Sacerdote celebratur. 70.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NUPTIALIS. 59:
OCCULTA, id eſt Schiſmaticorum. 58.
PAROCHIALIS, quæ dicitur. 56.
PASCHALIS, quæ in Feriis hebdomadæ Paſchatis dicitur. 61.
DE PATRE ÆTERNO prohibita. 92.
PATRIARCHINA, ſeu Liturgia Aquilejenſis. 47.
PECULIARIS, eadem ac Privata. 57. aliquæ peculiares Miſſæ cum ſuperſtitione auditæ, ſunt prohibitæ. 58.
PEREGRINORUM, ad eorum, pauperumque commodum. 69.
PERFECTA, in qua conficitur, & ſumitur Corpus, & Sanguis Chriſti. 62.
POPLICA, quæ. 54.
PRÆSANCTIFICATORUM, quæ caret conſecratione, origo, uſus, & Ritus. 64.
PRIVATA, prout diſtinguitur à ſollemni. 56. prout diſtinguitur à publica. *ibid.* Decretum Conc. Trid. quod nullæ Miſſæ ſint omnino privatæ, quid. 57.
AD PROHIBENDUM AB IDOLIS. 73.
PUBLICA, quæ. 53.
QUADRAGESIMALIS, quæ. 61.
DE QUINDECIM AUXILIATORIBUS prohibitæ. 92.
ROMANA, quæ. 40. triplex ejus ſtatus, ſeu Ordo Primigenius, Gelaſianus, & Gregorianus. *ibid.* auctores de hac Liturgia tractantes. *ibid. & ſeq.*
PRO REQUIE SANCTORUM, quæ. 74.
REVELATA, ſuperſtitioſa, & prohibita. 75.
REVOCATA, quæ. 74.
SACRAMENTORUM, quæ. 63.
DE SANCTIS, quæ. 62.
SCRUTINII, quæ, quâ die, & Ritus. 70.
SECRETA, idem ac privata. 57.
SICCA, idem ac Nautica. 64.
SINGULARIS, idem ac Specialis. 58.
SPONTANEA, quæ. 60.
SOLITARIA, prohibita. 58.
SOLLEMNIS, quæ. 51.
SPECIALIS, id eſt privata. 58.
DE TEMPORE, quæ correſpondet temporibus, & variis anni Eccleſiaſticis Feſtis. 61.
DE TRATITIONE SYMBOLI, quæ. 71. ubi plura de traditione Symboli, quæ Catechumenis fiebat. *ibid.*
TREVIRENSIS, ſeu S. Simeonis Syracuſani, quæ, & qualis. 49. ejus antiquitas. 50.
VESPERTINA, ſeu Serotina, quæ erat, ejusque uſus. 69.
PRO VIVIS, quæ pro adhuc viventibus celebratur. 60.

*Miſſæ nonnullæ particulares.*

MISSA S. BENEDICTI propria Regularium ejusdem Ordinis ab omnibus etiam Secularibus in eorum Eccleſiis dici poteſt. 159.
MISSA DE CORONA SPINEA Fer. IV. ante Dom. Paſſionis conceſſa in Eccleſia Monialium Canoniſſ. Lateranen. Viturclani. *ibid.*
MISSA VII. DOLORUM B. M. V. olim ex ſpeciali indulto dicebatur Fer. VI. hebdomadæ Paſſionis. 217.
MISSA S. THERESIÆ propria Regularium, ab omnibus etiam Secularibus dici poteſt in Eccleſiis Carmelitarum antiquæ Obſervantiæ. 159.
MISSALE olim Sacramentale nuncupatum. 7. item liber Myſteriorum, & Sacramentorum, & cur. *ibid.* ejus auctor non fuit S. Gregorius Papa. 5.
Miſſalia Gregoriana, & Gelaſiana ab Albino Flacco ordinata. *ibidem.* particularia ejusdem Albini. 6.
Miſſale *Romanum* hodiernum exceptis quibusdam Miſſis recentibus eſt purum Gregorianum. 7. quot olim voluminibus ſeorſim comprehenſi libri Miſſales. *ib. & ſeq.*
Miſſale *Plenarium* quid. 8. ejus Codex antiquiſſimus in Bibliotheca Angelica Urbis. *ibid.* an quatuor primis Eccleſiæ Seculis extarent Miſſalia conſcripta ad uſum celebrandi Miſſam, vel memoriter recitaretur. 9. ſententia Merati affirmativa, SS. Patrum teſtimoniis roborata. *ibid.*
Miſſalia tria *Gallicana* edita à Ven. Cardin. Thomaſio. 42. *Mozarabica.* 44.

Miſ-

Miſſale pro Miſſa ſollemni repertum ſuper Altare. 201. poteſt deferri ad alteram partem Altaris ab ipſo celebrante. 248. à Miniſtro quomodo. *ibid.* clauditur à celebrante in fine Miſſæ, quo Ritu. 367.

Miſſale deferendum in fine Miſſæ à cornu Evangelii ad cornu Epiſtolæ, quo Ritu. 370.

Monachi olim quàm raro quotidie celebrabant. 37. Ciſtercienſes Presbyteri ſæpius etiam Dominicis non celebrabant. 38. uſus apud Carthuſianos. *ibid.*

Moniales in Choro dum dicunt *Confiteor* mutare non debent formulam: *Et tibi Pater.* 226. poſt Communionem non eſt eis danda benedictio cum Pyxide, ſed manu. 351.

Moniales. In earum Eccleſiis Cappellani Seculares, Miſſam poſſunt celebrare de Sancto, de quo illæ recitant Officium, ſed cum Miſſali Romano. 158. Decreta ſuper hac materia S. R. C. *ibidem.*

Moretti (Petrus) Can. Baſilicæ S. Mariæ Tranſtyberim de Ritu variandi Chorale indumentum opus erudite edidit. 165. 639. *& alibi.*

Moyſis nomen cur taceatur ante Lectiones ex ejus libris deſumptas. 136.

Mozarabes cur appellati Chriſtiani in Hiſpania à Seculo octavo. 43. eorum Liturgia, ſeu Miſſa. *ibidem.* Officium eorum Gothicum quando in Romanum mutatum. *ibid.* quid retentum in quibusdam Eccleſiis à Card. Ximenez. 44.

MUC *non credit*, dicterium explicatur de Feſtis, in quibus *Credo* non dicitur in Miſſa. 144.

Mulieres ad Communionem accedentes Dominicale ſuum olim habere juſſæ ſunt, & quid Dominicale. 340.

Muratori (Ludovicus Antonius) Vir celeberrimus laudatur. 520.

Myſtagogia: idem ac ſummum miniſterium, idem ac Miſſa. 16.

Myſteria noſtræ Fidei Gentilibus olim celabantur, Catechumenis obſcurè, & initiatis breviter explicabantur. 10. 15.

N. In Oratione *A cunctis* exigit nomen Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, ubi celebratur, aliquando additur nomen familiæ, aut ab aliquo caſu deſumptum, nunquam vero loci, ut S. Franciſci *de Paula*, & ſimilia. 129. ordo Patronorum plurium juxta cujusque dignitatem ſervandus. *ibid.* circa Titulares Eccleſiæ, & Patronos Religionum. *ibid.* ſi plures ſint Patroni, ac Titulares, quomodo. *ibid.* ſi Eccleſia ſit dicata SS. Trinitati, Salvatori, aut alicui Sancto in ea Oratione expreſſo, quid. 130.

Natalitia Martyrum olim cum Miſſa celebrata. 74.

Nativitas Domini, ſeu Natalis dies, cur diem certum habeat, non vero Paſcha. 485. quo tempore celebrari cœptum, incertum eſt. *ibid. & ſeq.* olim idem ac Epiphania, eodemque die celebratum. 486. quando ſeorſim die 25. Decembris celebrari cœptum eſt in Oriente. *ibid.* Romæ ſub Julio Pontifice, idque opera Juſtiniani Imperatoris ubique receptum, præterquam ab Armenis. 487. cur Romæ dies certus potuerit innoteſcere Natalis Domini, magis quàm alibi. 488. tres Miſſæ in Nativitate. ℣. *Miſſa Nativitatis Domini.*

Neumata, quid in muſica. 118.

Nomenclator, & Sacellarius ad nutum Pontificis cauſas definiebat in itinere Stationum. 700.

Nomina offerentium in Miſſa olim ſcripta in Diptychis, recitabantur in Miſſa. 313.

*Non intres in Judicium cum ſervo tuo, &c.* ſemper dicenda hæc Antiphona præſente Cadavere, nec verba immutanda, ſi ſit fœmina, vel plura Cadavera. 392. cur dicatur ſic, cum jam Judicium peractum fuerit. 431.

Nundinas appellari Miſſæ titulo non bene aſſeruit Vicecomes. 18.

Nuptiarum Miſſæ Ritus, ſi in Dominica. 87.

O*blatio.* Miſſæ Sacrificium appellatum. 16.

Oblationes Panis, & Vini olim fiebant ante

Offertorium in Miſſa ab iis, qui communicabant. 147. ex his conficiebatur Euchariſtia, ex quâ reficiebantur. 638. hæ oblationes poſtea in alias res, cur immutatæ, 147. non fiebant in Miſſis Defunctorum. 638. in Sabbato Sancto fiebant olim ab omnibus. 639. & pro Catechumenis fiebant ab eorum ſuſceptoribus ante Miſſam, & cur. *ibid.* parentes pro parvulis offerebant. *ibid.*

Oblationis Populi faciendæ Ritus. 285. oſculantur viri, non mulieres manus Celebrantis. *ibid.* nunquam Patena oſculanda traditur. *ibid.* in Oratoriis privatis recipi non poſſunt. *ibid.*

Oblationes in adoratione Crucis competunt Magiſtris Cæremoniarum. 585.

Oblationis Corona. V. *Hoſtia.*

Octava dies Beatitudinem Cœleſtis Patriæ ſignificat. 499.

Octavarum uſus antiquiſſimus in Eccleſia, & cur. 77. die infra Oct. occurrente cum Vigilia quid de Miſſa Convent. 78. occurrente Vigilia, vel Feria majori quid de Miſſa. 80. Octava Corporis Chriſti cum Vigilia concurrens, quid. 79.

Octava quando perſeveret, & quando interrumpatur. 94. de Miſſa votiva ejuſdem Sancti infra Octavam. *ibid.*

Octavæ interdictæ à die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam. 502.

Octava S. Benedicti infra Quadrageſimam quid de Miſſis Conventualibus & privatis apud Caſſinenſes. 80.

Octavæ Paſchæ Ritus quoad Orationes in Miſſa. 650.

Octava Corporis Chriſti. Conſuetudo laudanda exponendi SS. Sacramentum, dum Veſperæ, & Officia Divina recitantur. 693. Ritus. *ibid.* Miſſæ Conventuales infra Octav. poſſunt cantari ſine Miniſtris, excepto Feſto, Dominica, ac die Octavæ. 697. Miſſæ Votivæ quæcunque, ac de Requiem prohibitæ. *ibidem.* & Miſſæ Defunct. niſi præſente Corpore. *ibid.* Miſſa dicitur per Octavam quomodo. 698. Octava Corporis Chriſti præferenda Octavæ SS. Trinitatis; ſi celebretur. *ibid.*

Octavas pro Defunctis in aliqua Eccleſia fieri non licet ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ. 114. 716.

Octavæ Commemoratio facienda in Feſtis primæ Claſſis, niſi &c. 121. & quando non. *ibid.* nulla de die infra Octavam in Fer. IV. Cinerum. 122.

Oculi demiſſi in celebratione Miſſæ. 200. elevandi ad *Te igitur*, quomodo. 308. in Commemoratione Vivorum in Canone, quid. 312.

*Oeconomia* Miſſæ Sacrificium appellatum. 16.

*Offerimus tibi Domine &c.* cur una cum Celebrante dicatur à Diacono. 295. cum in plurali etiam in Miſſa privata. *ibid.*

Offertorium ſic appellatum, quòd à Communicaturis offerebatur panis, & vinum ad conſecrandum. 147. poſtea immutata in aliud hæc oblatio. *ibid.* talis Antiphonæ author, quis. 148. quæ ſub hoc nomine comprehendantur. *ibid.* antiquitas, Ritus. *ibid.* olim ad modum Reſponſorii. *ibidem.* omittitur in Miſſa Sabbati Sancti. 149. & cur. 637. junctis manibus dicendum. 276.

Offertorium olim cum multis verſibus, nunc ſimplex, præterquam in Miſſa Defunctorum. 640.

Officia linguâ Illyricâ, ſed Ritu Romano, quibus in locis. 48. Bohemis inhibitum à Gregorio Papa VII. 49.

Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia, non ſunt transferenda, quando occurrunt in Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis ex vi Kalendarii, approbati à Sede Apoſt. 448.

Officium eſt præparatio, & diſpoſitio ad Miſſam. 39. ejus Ritus Duplex, Semiduplex, vel Simplex, meritis Sanctorum correſpondet. *ibidem.*

Officium SS. Nominis JEſu ab Innocentio PP. XIII. generaliter indultum pro Domin.

min. 2. poſt Epiphaniam. 504. ſi occurrat Dominica Septuageſima transferendum. *ibid.* Sequentia in Miſſa non dicenda, niſi à Fratribus Minoribus. *ibidem.*

Officium Mozarabicum à quibus; in Hiſpania, & aliis Regionibus viguit. 43. quando abrogatum. *ibid.* in Ordinem Romanum mutatum. *ibid.* quomodo inſtauratum à Cardin. Ximenio, & quibus in Eccleſiis reſtitutum. 44. ejus Miſſalia ubi. *ib.*

Orarium, & Orarius. V. *Stola.*

Orationes de B. V. variandæ in Miſſa juxta diverſitatem temporis Eccleſiaſtici. 130. *& ſeqq.* In Dominicis occurrentibus infra Octavas. 133. Tertia an excludatur, ſi occurrat ſimplex. *ibid.* olim quot, nunc regulariter quot. *ibid.* Regulæ circa numerum Orationum in Miſſis, cujuscumque generis. 134. ordo earum. *ibid.*

Orationes quinque, quæ poſt Oblationem dicuntur, non ſunt antiquæ valdè. 149.

Orationes ſecretò dicendæ, ante illas cur Oremus non dicatur. *ibid.*

Orationes quot, & quales in Miſſis Votivis. 104. *& per ſingulas earum claſſes à pag.* 87. *ad* 109. In Miſſis tum ſollemnibus, tum privatis Defunctorum. 116. *& ſeq.* Decreta ſuper Orationibus. 130.

Oratio *Deus Refugium,* ſi ex mandato dicenda ſit Fer. 6. 4. Temporum Pentecoſtes, Poſtcomunio, in quam commutanda. 66.

Orationibus *Eccleſiæ,* vel *pro Papa,* quæ vocantur *de Tempore,* ſubſtituitur Oratio de Simplici, quando occurrit. 524.

Orationes tres ante Communionem in Miſſa non ſunt antiquæ. 333.

Oratio tertia, an in Miſſis Ferialibus Tempore Paſſionis dicenda ſit, occurrente Feſto Simplici. 523. ſi Feſtum ſemiduplex occurrat, & duæ Miſſæ Conventuales, quid circa Orationes. 525. Oratio indicta à Superiore, ſi diebus in quibus duæ tantum præſcribuntur, ſuperadditur duabus. *ibid.*

Oratio unica in duplicibus & cur. 76. & ſi fieri debeat aliqua Commemoratio. *ibidem.*

In Miſſis Votivis quot & quo ordine: *require per ſingulas earum claſſes à pag.* 87. *uſque ad* 109.

Orationes, & precationes in Celebratione Miſſæ memoratæ à S. Auguſtino. 19.

Orationes quæ dicendæ in Miſſa poſt Orationem diei, ab octava Epiphaniæ, uſque ad Purificationem. 503. quot in Miſſis à Dom. Paſſionis uſque ad Fer. 5. in Cœna Domini. 523. à Fer. 4. Paſchæ ad Sabbatum in Albis. 524.

Oratio *ſuper Populum* in fine Miſſæ addebatur, quando Populus non communicabat. 343. cur loco Eulogiarum hæc Oratio. 369. cur in Dominicis diebus non diceretur. *ibid.* etiam extra Quadrageſimam dicebatur. *ibidem.*

Oratio 40. Horarum; Ritus omnes editi juſſu Clement. PP. XI. 393. Decreta S. R. C. ſuper eadem materia. 400. *ſeq.*

Oratio pro Vivis in Canone debet durare, ſaltem per ſpatium unius Pater noſter. 312. Ritus. *ibid.* ſufficit memoriter tantum. *ibid.* eſt privata & ideo etiam pro Excommunicatis. *ibid.* formula quædam exhibetur. *ibid.*

Oratio ſeu ſermo funebris habenda in fine Miſſæ Sollemnis ante Abſolutionem. 387. à Celebrante cum Pluviali audienda & à Miniſtris ſine Manipulo. *ibid.* non petitur Benedictio ab Epiſcopo. *ibid.*

Oratorium Epiſcopus non poteſt deputare in domo privata, ut ibi celebretur. 167. ſolus Papa id concedit, & cum quibus limitationibus. *ibid.* Paſchatis, & Pentecoſtes, prima dies tantum limitatur. *ibid.* Decreta circa Oratoria privata. 168.

Oratorium publicum extra oppidum erectum de licentia Epiſcopi, in eo non poteſt impediri Miſſa à Parocho. 168.

Ordinarius non dicitur Patriarcha, vel Archiepiſcopus in Diœceſibus ſuffraganeorum. 311. non poſſunt nominari in Canone, niſi in propriis Diœceſibus. *ibidem.* Græci & Orientales nominant Patriarcham,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cham, & Metropolitam. *ibid. V. Epiſcopus.*
Ordinatio Sacra, in Sabbato Sancto ſubſtituta Baptiſmo. 626.
Ordinationes. olim unica ordinatio per annum fiebat menſe Decembri. 480. circa medium noctis Sabbati, & perdurabat uſque ad Auroram Dominicæ. *ibid.* cur, & quando ad Sabbati Veſperum retracta fuerit. *ibid.* cur id affixum diei Sabbati. *ibid.* In Sabbato Sancto fieri, quo ſeculo inducta diſciplina. 481. Leo PP. I. decrevit ordinationes fieri die tantum Dominica, ſive in nocte, quæ Dominicam præcedit. 483.
Organa non pulſanda à Fer. 5. in Cœna Domini uſque ad *Gloria* in Miſſa Sabbati Sancti. 546.
Oſculum dabat Pontifex duobus Presbyteris ſeu Diaconis, poſtea cæteris peracta Confeſſione in Miſſa. 223.
Oſculum manus omittendum à Subdiacono poſt Epiſtolam in Miſſis Defunctorum cur. 257. nihil oſculantur Miniſtri in eadem Miſſa. 384. omittenda oſcula Fer. 6. in Paraſceve. 592. 601.
Oſculum pacis antiquitus in Miſſa Sabbati Sancti non dabatur, quia Romæ reſervabatur ad principium matutini Paſchalis. 640. juxta Ritum Mozarabum, & Ambroſianum datur. 641.

PAganorum nomen expreſſum in Collecta vel Miſſa contra Paganos, non poteſt mutari in *Turcarum*, 130.
Paganus quis vocabatur. 134.
Palatium Epiſcopale. poteſt in eo erigi Altare ad quotidie celebrandum. 168. extra domum vero propriæ habitationis quid poſſit Epiſcopus, V. Indicem Decretorum ſub num. 649.
Pallæ duplicis uſus à S. Cajetano, & Paulo IV. PP. ſervatus à Clericis Regularibus ab iisdem fundatis ſervatur. 178. In Eccleſiis eorundem an ſervari poſſit ab aliis. *ibid.* ſenſus Card. Baronii, 179.
Palmatoria. V. *Bugia.*
Palmæ benedicendæ ſollemniter in Dominica ultima Quadrageſimæ, debent eſſe vel ex Palmarum, aut Olearum ramis, his deficientibus poſſunt eſſe aliarum arborum, in quibus Ramis, ſi fieri poteſt, inſerantur Cruces ex foliis Palmæ. 528. Cruci in Proceſſione deferendæ in ſummitate alliganda eſt Palma. *ibid.* & 533. Ritus benedicendi, atque diſtribuendi. V. *Benedictio Palmarum.* tenentur in manibus dum fit Proceſſio. 533. *ſeq.* In Altari loco florum, aut Imaginum inter Candelabra rami interponendi, Auro vel Argento ornati. 528. Ritus in minoribus Eccleſiis. 541.
Panis pro Conſecratione vel Azymus, vel Fermentatus adhibitus varie. 23. Salis mica, & ſtilla Olei addita à Syris & Neſtorianis. 25. quinque panes pro ſequentibus feriis conſecrabantur in Miſſis præſanctificatorum. 64.
Panis Conſecrandus offerebatur in Miſſa, & formabatur à Clericis. 147. debet eſſe triticeus ex neceſſitate. 426. ex leguminibus, fructibus, ex hordeo, oriza, milio non eſt aptus. *ibid.* debet eſſe coctus, & quomodo. *ibid.* paſta Butyro, Lacte, & non Aqua Elementari ſubacta, non eſt apta. *ibid.* Hoſtia rubea eſt materia dubia. *ibid.* ex amylo confectus non eſt aptus. 427. V. *Azymum, & Fermentatum.*
Papa tenetur celebrare pro Univerſali Eccleſia. 464. Sedens in Solio cum Mitra, incenſatur à primo Card. Presbytero genuflexo in infimo gradu Solii. 674.
Papa olim Fer. V. in Cœna Domini pedes lavabat 12. Subdiaconis ac poſtea 13. Pauperibus. 569. modo 13. tantum Presbyteris, quibus & prandium diſtribuit. 570. quid in decimo tertio ſignificetur. *ibidem.* quotidie 13. Pauperes convivio excipit, & cur. *ibid.* protabatur in Sella geſtatoria, vel equo vehebatur ad Stationes, Presbyteris erogabat, & cauſas in itinere definiebat. 700. cur Domnus, & non Dominus appellatur. 250.

Papa. in ejus Creationis, & Coronationis die & in Anniverſaria quæ Miſſa. 86. an una, vel plures. *ibid.*
Paramenta ad Miſſam in Altari, in quo eſt celebrandum, non ponenda, niſi pro ſolis Epiſcopis, & Cardinalibus, & quid ſi deficiat Sacriſtia. 198. *ſeq.* Prælati Epiſcopis inferiores, uſum Pontificalium habentes, ex Altari ſumunt, cum ſollemniter celebrant. 180. quæ ſit cauſa neceſſitatis, & quod omitti poſſit. 187. quomodo induendus Celebrans pro Miſſa ſollemni. 204. quo Ritu exuendus poſt Miſſam. 377. ſi ex neceſſitate ad Altare. *ibid.*
Parochi, Vicarii perpetui, ſive amovibiles, in Eccleſiis, ubi Cura animarum habitualiter reſidet penes Capitulum, debent ipſi applicare Miſſam pro Populo. 460. Amovibilitas non tollit, quin habeant verè Curam Animarum. *ibidem.* quando Cura actualis eſt penes Canonicos per hebdomadam, ſeu per turnum, tenetur Capitulum. *ibid.* quando annexa eſt alicui Dignitati, & Canonicatui, quomodo applicanda Miſſa Conventualis, & Parochialis. *ib.* Decreta S. C. R. 461.
Parochi tenentur applicare Miſſam pro populo omnibus diebus feſtivis de præcepto. *ibid.* & *ſeq.* Decretum ſuper hoc ab Innocentio Papa XII. approbatum. 463. an teneatur Parochus in die Nativitatis Domini tres Miſſas celebrare. 494. ſi habeat plures Eccleſias, quid. *ibid.*
Parochus in delatione SS. Sacramenti ad Infirmum pileolo uti non poteſt abſque ſpeciali diſpenſatione. 197.
Parochialia Jura. Celebratio Miſſæ in Oratorio rurali ædificato à laico non poteſt prohiberi, antequam celebretur Miſſa Parochialis. 160. neque in Eccleſia aut Oratorio in territorio, & extra mænia Oppidi prope viam Romanam. *ibid.* Miſſa Fer. V. in Cœna Dom. non eſt de juribus merè Parochialibus. 550. Curati ratione Stolæ præcedunt aliis Presbyteris etiam Canonicis Collegiatæ. 681. non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, ſed ſeparatim ante Clerum Cathedralis. *ibid.* Presbyteri alicujus Eccleſiæ inter limites Parochiæ ſuæ in Proceſſionibus debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licet ſit Regularium. 683. Benedictiones Cinerum, Candelarum, & Palmarum non ſunt de Juribus merè Parochialibus. 516. 553. 709. in Eccleſiis Regularium Benedictio ac diſtributio Cinerum non pertinet ad Parochum. 517. Functiones hebdomadæ Sanctæ non ſunt de Juribus merè Parochialibus. 646. quo loco Curati procedunt in Proceſſionibus ſollemnibus. 679.
Particulæ Conſecratæ olim tinctæ in Sanguine Domini ac ſervatæ ad Miſſam Præſanctificatorum. 64.
Parvuli olim nec lac, nec ullum cibum capiebant poſt Baptiſmum, antequam communicarent. 639. pro eis Parentes offerebant. *ib.* ante Sacrarium aſſiſtebant, & primi poſt Clericos communicabant. 640.
Paſſio cantanda à Diaconis in legilibus nudis, ſi adſit conſuetudo, pro die Palmarum poſſunt parari. 536. Ritus cantandi. *ibid.* & *ſeq.* Qui Evangeliſtam agit, medium locum tenet; qui Chriſtum, dexteram, qui Turbas, ſiniſtram. 537. ſi deſint Cantores quomodo, & à quibus. *ibid.* Ritus legendi à celebrante, dum canitur à Diaconis. 538. an ad Verba, *Emiſit Spiritum*, Celebrans genuflectere debeat. *ibid.* dum cantantur, omnes genuflectere debent: nec prius ipſo Evangeliſta ſurgere. 539. Ritus cantandi cætera à Diacono in tono Evangelii. *ibid.* Canonici etiam, ubi adeſt conſuetudo, Paſſionem cantare debent. 540.
Patena. Duplex olim in Miſſa adhibita, miniſterialis quæ. 175. Particulæ, ſeu Hoſtiæ plures conſecrandæ ſi ſuper Patenam manere non poſſunt, quid. 199. Crux quomodo cum illa eſt facienda ſuper Corporali. 279. ſubtus Corporale aliquantulum ponenda. *ibid.* & Purificatorio coope-

rienda. 280. à Subdiacono in Miſſa tenenda, & quo Ritu. 269. Acolythus ſi pro Subdiacono miniſtret, an Patenam tenere in manu poſſit. *ibid.* abſtergenda & accipienda ad *Pater noſter*, quomodo. 328. in qua parte oſculanda. 329. quomodo Hoſtiæ ſubmittenda. *ibid.* Patenæ miniſteriales, quæ. 175.

Patripaſſiani Hæretici, cur ita appellati. 326.

Patroni Religionum in Oratione *A cunctis*, & in ſuffragiis, quomodo exprimendum nomen, & ordo. 129.

S. Paulus cur nominetur in prima parte Canonis. 314.

Paulus III. PP. Reginæ Polonorum nondum coronatæ indulſit oſculum Evangelii in Miſſa. 252.

*Pax omnibus* in Orientalibus Liturgiis olim pro *Dominus vobiſcum.* 123.

Pacis dandæ Diacono à Celebrante Ritus. 357. Subdiacono à Diacono. 358. Choro à Subdiacono, & quo ordine. *ibid.* Epiſcopo, ſi non adſit Aſſiſtens, danda à Diacono ante Subdiaconum. 359. Principibus laicis, vel Proregi, aut Gubernatori Provinciæ, vel Magiſtratui, per oſculum à Subdiacono danda. *ibid.* ab Epiſcopo Celebrante Diaconus, & Subdiaconus accipiunt poſt Diaconos aſſiſtentes. *ibid.* laicis nobilioribus, & Magiſtratui datur per inſtrumentum. *ib.* inſtrumentum quâ ex materia, & forma. *ib.* dandæ Ritus. *ibid.* ordo dandi pacem idem, ac in incenſatione. 360.

Pax in Miſſa privata quomodo danda, & quibus Ritibus. 332. dandæ in hac Miſſa, quis Author. *ibid.* non danda in Miſſis privatis cuique perſonæ, niſi Prælatis aut Magnatibus. *ibid.* apud quasdam Eccleſias pax dabatur ad Offertorium. *ibid.*

Pectoris tunſio dum dicitur *Confiteor*, quid, & qualiter. 220.

Pedum ablutio. V. *Mandatum.*

Pelagius Papa I. ut apocryphum rejicitur Decretum illi attributum, *ut memoria Defunctorum in omni Miſſa fieri debeat poſt elevationem Hoſtiæ.* 318.

Pelagius Papa II. an ejus Epiſtola genuina. 150. negativa ſententia roboratur. 151.

Pennazius (Andreas) Splendianus. 315. Hiſtoriam miraculi SS. Corporalis Bolſenæ acti edidit. 667.

Pentecoſtes die prima Miſſa celebrata à S. Petro Apoſtolo. 22.

Penula quid, idem ac Caſula uſurpatur, improbatur opinio, pro libro veteris legis penulæ nomen intelligendum. 28.

*Per Evangelica dicta, &c.* quo Ritu poſt lectionem Evangelii. 251.

*Per Dominum noſtrum.* ejus antiquitas. 134. cur. *ibid.* *Deus* appoſita vox, *& Spiritus Sancti*, an recens. *ibid.* alii modi concluſionum. 135.

Percuſſio pectoris dum dicitur *Confiteor* qualiter. 220.

*Per omnia ſecula ſeculorum*, finis ultimæ Orationis ſecretæ, & initium Præfationis. 149. 289. V. *Præfatio.*

Perſpicilla à conſecratione uſque ad Communionem non adhibenda, & ſi neceſſe ſit, quomodo. 317.

S. Petrus Apoſtolus primam Miſſam celebravit Hieroſolymis in die Pentecoſtes. 21. auctor Liturgiæ Romanæ. 32.

Phylacteria. V. *Crux pectoralis.*

Pileoli uſus. Parochi deferentes Euchariſtiam ad infirmos nec de die, nec de nocte uti eo poſſunt absque ſpeciali diſpenſatione. 197. non deferri debet ab ullo in ſollemni Proceſſione Corporis Chriſti, quamvis longe ſit à Sacramento. 678.

S. Pius Papa I. an Decretum ediderit de Paſchate celebrando poſt Lunam 14. primi menſis. 650.

Pius Papa II. Roſam auream à ſe benedictam Senenſi patriæ ſuæ dono miſit. 520.

S. Pius Papa V. Eccleſiis Hiſpaniarum indulſit, ut in Confeſſione *Confiteor Deo &c.* adderetur nomen Patroni. 220. Miſſam, & Officium VI. Dominicæ poſt Epiphaniam addidit. 504. facultatem benedicendi populo ter in Miſſa privata Presbyteris abro-

gavit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

gavit, ſed non in Miſſa ſollemni. 157. quod etiam prohibitum à Clem. VIII. *ibidem.* Evangelium S. Johannis in fine Miſſæ regulariter legendum præſcripſit. *ibidem.*
*Placeat* in fine Miſſæ, antiquitus, & varius Ritus. 155.
Planeta, forma ejus antiqua. 186. quomodo mutari cœpit. 187. cur Caſula appellata. *ibid.* poſterior pars à Diacono elevanda in elevatione Hoſtiæ conſecratæ. *ibid.* an à Miniſtro oſculari debeat. 319. ejus partes elevantur à Miniſtris, dum celebrans ſedere debet. 238. non elevanda Fer. VI. in Paraſceve. 598. Proceſſioni Corporis Chriſti pleriſque in locis interſunt Sacerdotes Planetâ induti. 572. an deficiente Pluviali Fer. V. in Cœna Domini, Celebrans cum Caſula debeat deferre Sacramentum ad Sacellum pro Sepulchro paratum. *ibid.*
Planeta plicata, quibus diebus uti debeat Diaconus, & Subdiaconus. 470. in Miſſis de Adventu. 469. Ritus illam exuendi, & induendi. 470. in minoribus Eccleſiis Miniſtri uti non debent, ſed in Albis tantum miniſtrare. *ibid.* ejus uſus, origo, ac Ritus. 471. *ſeq.*
Pluviale & Cappa ſunt idem. 164. ejus forma, & uſus. *ibid.* in quibus ſacris functionibus adhibeatur. *ibid.* quâ benedictione benedicendum. *ibid.*
Pluviale, cum defert Celebrans, Subdiaconus & Diaconus à lateribus fimbrias elevant. 207.
Pluviale, ſi non habetur in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans ſine Planeta cum Alba & Stola benedicit. 529.
Poculum Myſticum, Sanctum. V. *Calix.*
Pœnitentia publica olim quomodo. 510.
Polyliturgici dies, in quibus plures Miſſæ ab uno celebrabantur. 37.
Pons Olbi ſeu Milvius, per quem Proceſſio, ſeu Litania major ad S. Petrum tranſibat. 654.
Poſtcommunio, Oratio in Miſſa omittebatur, quando populus non communicabat; & loco illius addebatur Oratio ſuper populum. 343. non dicitur in Miſſa Sabbati Sancti. 640.
Præconium Paſchale. V. *Benedictio Cerei Paſchalis.*
Præfatio. plures compoſitæ à Gelaſio Papa. 150. uſus à tempore Apoſtolorum. *ibid.* Diverſæ & plures apud varias Nationes, & SS. Patres. *ibid.* Communis Gelaſio, ſive Gregorio tribuitur. 151. De B. V. inſtituta ab Urbano II. *ibid.* Decreta S. C. R. circa Præfationes. 152. de Feſtis proprias habentibus. *ibid.* Ritus legendi Præfationem. 289. Ritus cantandi illam in Miſſa ſollemni, & quæ ſervanda à Miniſtris. 306.
Præfatio in Miſſis Vigiliarum, & Feriarum majorum infra Octavas, qualis. 82. quales Præfationes in Miſſis Votivis. 106.
Prælati nullius, veniunt ſub nomine Ordinariorum, non autem ſub nomine Epiſcoporum. 310. in Choro qualiter thurificandi. 302.
Præſanctificatorum olim Miſſæ Ritus & Ordo. 64.
Præſentia materiæ conſecrandæ neceſſaria, qualiter. 426.
Præſidi & aliis Secularibus non porrigendum Evangelium ad oſculandum in Miſſa, nec dandum Baldachini uſum in Eccleſia, neque locum in Presbyterio. 253.
Præterita, aliquando, ut futura accipit, ac retrotrahit Eccleſia. 148.
Presbyterium erogabatur à Pontifice in Stationibus, & cur. 700. Aſſiſtentia in eo prohibetur perſonis Secularibus. 253.
Primicerius, licet dubitetur an ſit Dignitas, in Proceſſionibus debet capere Pluviale ſicut Dignitas. 683.
Principibus magnis tantum traditur Evangelium ad oſculandum. 253.
Priſcillianiſtæ jejunabant die Dominica. 483.
Proceſſio Corporis Chriſti, an inſtituta ab Urbano IV. Papa. 669. Alicubi fit etiam per totam Octavam. 670. nonniſi tamen ad illam, quæ fit ipſa die Feſti, tenetur Clerus Secularis, & Regularis convenire.

 *ibid.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ibid.* Eccleſia, & Altare, quomodo exornanda, *ibid.* in Sacriſtia quæ paranda. *ibid.* canonici tenentur Sacras Veſtes induere, & Dignitates Pluvialia, etiam Epiſcopo non deferente SS. Sacramentum. *ibid. ſeq.* Miſſa citius cantari poteſt, 672. Thuriferarii duo. 674. Ritus incenſandi, atque accipiendi in manibus SS. Sacramentum à Celebrante. *ibid. & ſeq.* Celebrans & Miniſtri non cantant, ſed ſubmiſſa voce hymnos dicunt, exceptis locis, ubi pauci Cantores ſunt. 675. Ordo Proceſſionis. *ibid ſeq.* Tabernaculum non deferendum humeris Sacerdotum, ſed manibus Celebrantis. 676. in Eccleſia Hiſpalenſi ex conſuetudine approbata à S. C. R. defertur ſuper machina pretioſa. *ibid* Urbeveteri in machina argentea cum Sacro Corporali *ibid.* Epiſcopus in Cathedrali deferre debet, & ſi impeditus, primæ Dignitati competit. *ibid.* Decreta S. C. *ib. ſeq.* deferendum Sacramentum ab eo, qui celebravit. *ibid.* excipitur tamen Epiſcopus. 677. Clerus quo ordine procedit. 678. *ſeq.* Regulares ante Clerum, & quo ordine. *ib.* Cantores, & Muſici. *ibid.* Candelæ accenſæ ab omnibus regulariter deferendæ. *ibid.* Cantiones vulgari ſermone non convenit cantare. 679. Intortitia octo juxta Baldachinum quomodo. 680. Decreta S. R. C. circa Ritum Proceſſionis hujus. 681. Confraternitatis SS. Sacramenti nonnulli Sodales poſſunt cum funalibus accenſis incedere hinc inde apud SS. Sacramentum. *ib.* Priores ejusdem non ante Baldachinum poſt Capitulum, ſed à latere Baldachini. *ibid.* Abbates, quando plures, quomodo. *ibid.* Decreta ſpectantia ad [P]roceſſionem. *ib. & ſeq.* debet inchoare à Cathedrali, ſeu Matrice, & ad eamdem terminare. 682. Canonici Collegiatæ, non debent incedere parati ſicuti Canonici Cathedralis. 683. non poteſt Epiſcopus cogere Clerum totius Diœceſis ad Proceſſionem Corporis Chriſti. *ibid.* aſſocians Proceſſionem SS. Sacramenti gaudet Immunitate Eccleſiaſtica. *ibid.* ordo geſtandi haſtas Baldachini. 684. Prælati poſt Celebrantem, cum facibus. *ibid.* non ſiſtendum ad ſingula Altaria, quæ per viam ſunt erecta. 685. Religioſi non diſcedant ab Eccleſia, niſi poſt Benedictionem. *ibid.* nonnulla Decreta ſpectantia ad hanc, & alias Proceſſiones indicantur. 732. ſub n. 8.

Proceſſio cum Palmis: ejus Ritus & Ordo. 534. Celebrans & Diaconus capite tecto tenent ramos in manibus. *ibid.* Prælati poſt Celebrantem procedunt. *ibid.* Cantores Muſici & laici ante Thuriferarium, Clerici poſt Crucem. *ibid.* Verſiculi *Gloria, Laus* quo Ritu cantandi. 535. Ritus in minoribus Eccleſiis. 542.

Proceſſio Fer. V. in Cœna Domini. hujus Ordo. 552. *& ſeq.* Officia Diaconi cum ad Sacellum perventum fuerit. 555. Epiſcopo celebrante Eccleſiaſtici Baldachinum deferunt induti pluvialibus albis, ſine Stolis. 553. aliàs cum Cottis tantum. *ibid.*

Proceſſio in Feſto Purificationis cum Cereis, an Romæ inſtituta à Sergio I. Papa. 703. ante Sergium in Hiſpania, & Gallia vigebat. *ibid.* Ritus ſervandi in ea. 710. in minoribus Eccleſiis. 713.

Proceſſio Fer. VI. in Paraſceve. hujus Ordo & Ritus. 585. *ſeq.*

Proceſſiones ad Stationem quomodo fiebant Romæ. 699.

Proceſſio ante Miſſam Sollemnem. 207.

Proceſſio olim ad cantandum Evangelium. 261

Proceſſio ſollemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in Fer. VI. Paraſceves, eo anno transfertur in aliam diem. 603.

Proceſſio nocturna cum delatione SS. Sacramenti in Feretro nigris velleribus contecto, ubi ſine gravi incommodo extirpari non poteſt, toleranda ex Decreto S. C. Epiſcop. 603. Venetiis ſervatur adhuc ex peculiari privilegio. *ibid.*

Proceſſiones cur appellatæ Litaniæ. 653.

Progreſſus è Sacriſtia ad Altare ad Miſſam ſollemnem quomodo ordinandus. 206. *& ſeq.*

Prophetiæ in Sabbato Sancto olim ad inſtructionem Catechumenorum lectæ. 626. varius circa numerum olim Ritus. *ibid.* Romæ olim 24. duodecim græcè, & totidem latinè. *ibid.* non moroſè, ſed expeditè & clarè cantandæ. 627. in Collegiatis, & Cathedralibus à quibus, & quo ordine. *ibid.* antiquitus cantabantur in Ambone, vel ad Pulpitum, incipiendo à Dignioribus Chori. 628. Ritus quoad Diaconum, & Subdiaconum, dum cantantur Prophetiæ, & leguntur à Celebrante. 627. ſi Celebrans ſedere voluerit, quid. 628.

Proſphora. Oblatio, Miſſa ſic appellata. 16.

Protonotarii non participantes Pileum apponere poſſunt ſuper inſignia. 188. de prohibitione annuli cum gemma. 189.

Pſalmi CL. ante Miſſam olim cantabantur antiphonatim ex Inſtituto Cœleſtini Papæ I. 124.

Purgatorium eſt ſtatus Salutis animarum: & cur in Offertorio pro Defunctis dicatur, *Ne abſorbeat eas Tartarus &c.* 148.

Purificatio B. M. V. cur Hypante, ſeu Hypapante à Græcis dicta. 701. coli cœpta Conſtantinopoli, & quando. 702. Romæ recepta. *ibid.* cur appellatur Quadrageſima dies celebritatis Natalium. 701. an ante Juſtiniani tempora, alibi in Oriente hoc Feſtum celebratum. 702. an Romæ inſtitutum à Gelaſio Papa. 703. V. *Benedictio Candelarum*, & *Proceſſio in Feſto Purificationis.* ſi venerit poſt Septuageſimam quid. 710. ſi in Dominica Septuageſimæ. *ibid.* vel ſi occurreret Feſtum Patroni, ſeu Titularis, vel eſſet Titulus Eccleſiæ, quid de Miſſa. 711.

Purificatio Calicis poſt ſumptionem Sanguinis vino facienda, & quo Ritu. 336. non facienda in duabus Miſſis natalis Domini. 490.

Purificatio Pyxidis intra Miſſam facienda ante Calicis Purificationem, & Ritus. 349.

Purificatio aquæ, & vini Communicatis ſumenda poteſt offerri à Miniſtro. 353. in Miſſa ſollemni à Diacono miniſtranda Clero, Clericis ab Acolytho. 364.

*Pyxis*, ejus operculum quale. 199. velo, & quali operienda. *ibid.* poſt ſumptionem Sanguinis reponenda in Tabernaculo. 335. ſi purificanda intra Miſſam, quo tempore, & quomodo. 349. extrahenda è Tabernaculo, ponenda in Altari, ac reponenda quomodo. *ibid. & ſeq.*

*Pyxis.* In Miſſa ſollemni ſi extrahenda è Tabernaculo, per Diaconum fiat. 363. ſi conſecretur clauſa ſuper Corporali, validè ſunt conſecratæ Particulæ. 426. debet tamen aperiri, dum fit Oblatio. *ibid.*

QUadrageſimæ initium Mediolani à prima Dominica, in Provincia vero à Fer. 4. Cinerum ſtatuit S. Carolus. 509. tempus Adventûs Domini appellatum à Græcis. 468.

Quadrageſima ante Paſcha à Græcis appellata Sancta & Magna Quadrageſima. *ibidem.*

Quatuor Tempora Adventus. Olim tria tantum Tempora nempe quarti, ſeptimi, ac decimi menſis. 478. Miſſæ Feriæ IV. Quatuor Temporum quomodo, ſi Feſtum aliquod occurrat. 479. ſi Fer. VI. vel Sabbato. 480.

Quatuor Temp. in Octava Pentecoſtes. cur in Miſſa non dicatur *Flectamus genua.* 664. Chorus non genuflectit ad Orationes, & de ſimplici Commemoratio ſine tertia Oratione. *ibid.* ſi Fer. 6. dicenda ſit Oratio *Deus Refugium* ex mandato Superioris, in quam aliam poſtcommun. eſt commutanda. *ibid.* ſi occurrat Feſtum Titularis, transferendum, vel Miſſa Votiva pro re gravi, duæ Miſſæ qualiter cantandæ. *ibid.*

Quatuordecim Auxiliatorum Sanctorum nomina, & qualis Miſſa Votiva de eis dici poſſit. 92.

Quinquageſima, à Teleſphoro PP. non fuit inſtituta. 505. ab ea olim jejunium Quadrageſimale inceptum, & cur. *ibid.* à Fer. 2. illius hebdomadæ. 506. vocata hæc Dominica *Ad Carnes tollendas*, & *Carnisprivium. ib.*

Quirini (Angelus Maria) S. R. E. Cardinalis laudatur. 649. Officium Quadrageſimale Veteris Eccleſiæ Græcæ in latinum vertit, ac eruditiſſimis Diatribis illuſtravit. *ibid.*

Regulares. Provincialis aut Generalis in Eccleſiis ſuæ Provinciæ ſedere poteſt ad partem Evangelii, ut ſedet Epiſcopus, ratione loci tantum. 203. In Canone pro Epiſcopo Diœceſano non poſſunt nominare ſuos Generales. 310. an Regularium Eccleſiæ dici poſſint Collegiatæ, & quotidie in eis cantari debeat Miſſa Conventualis. 455.

Regulares ad Divinum Officium recitandum extra Chorum tenentur ex conſuetudine tantum. 456. an ex alio jure. 457. applicatio Miſſæ Conventualis eorum pro quibus. 456.

Regulares Parochi ſeu Curati tenentur Miſſam applicare pro populo diebus Dominicis, & Feſtis de Præcepto. 464. etiam Prælati pro ſuis ſubditis. *ibid* Benedictio, ac diſtributio Cinerum in Eccleſiis eorum non pertinet ad Parochum, ſed ad regulares. 517. In Proceſſione ſollemni SS. Sacramenti quo ordine. 678. deferunt Crucem cum Velo pendente. *ibid.* regulares non poſſunt Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Fer. 5. in Cœna Domini, nec in Feſto Corporis Chriſti per Parochiam alienam. 682. Proceſſiones ab eis intra quos limites. 683. Epiſc. poteſt compellere regulares etiam per cenſuras, ut ad publicas Proceſſiones accedant. *ibid.*

Regulares Celebrantes in Oratoriis privatis Domicellorum diebus exceptis in Indulto vel &c. puniri poſſunt ab Epiſcopo. 168. In Cubiculis eorum privatis erigi non poteſt Altare, ut celebretur Miſſa *ibidem.*

Regulares Rochettum non deferant, niſi ſint ex tali ordine, cui competat. 181.

Regulares cogi non poſſunt ab Epiſcopo, ut faciant commemorationem ipſius in Miſſæ Collecta. 122. In Oratione *A cunctis* quid circa patronos Religionis, atque Titulares Eccleſiæ. 129. Miſſæ illis particulariter conceſſæ dici non poſſunt à ſecularibus, neque in eorum Eccleſiis. 158. Decreta. *ibid.* excepta Miſſa S. Thereſiæ & Sancti Benedicti. 159.

Regulæ Miſſalis non ſunt pro caſu particulari, ſed pro communibus. 226.

Reliquia Sanctorum debet eſſe talis entitatis, ut poſſit fieri Officium duplex. 144. *ſeq.* ut in Miſſa dici poſſit *Credo*, non eſt neceſſe, ut Reliquia ſit expoſita. 145. Beati non Canonizati, ſi Reliquia inſignis adſit, poteſt dici Credo in Miſſa. *ibidem.*

Reliquiæ Inſigni Sancti, de quo ſit Feſtum, expoſitæ in Altari, quæ inclinatio à Celebraturo tranſeunte facienda. 195. Altari cum Reliquiis ad ornatum. *ibid.* Choro. *ib.* Altari, à Sacerdote redeunte ab Altari. *ib.* ſi in Altari ex diſpenſatione Apoſtolica non ſint, quid omittendum à Celebrante. 225. In Altari expoſitæ quomodo incenſandæ. 233. *& ſeq.* ſi ſint Inſignes in medio Altaris, duplici ductu poſt Crucem. 234. in tranſlatione ſollemni duo Thuribula. 304. *&* 592.

Reliquiæ SS. aut Imagines non ponendæ inter Candelabra in Dominicis Quadrageſimæ. 519. præter 4. Dominicam. *ibidem.* à Sacerdote cum Stola & luminaribus deferendæ ad Altare, & ab Altari in Sacriſtiam. 557.

Remirus Aragoniæ Rex, coacta Synodo abrogari curat Officium Mozarabicum, & Romanum ſubſtitui. 43.

*Requieſcant in Pace* in Miſſa ſemper in plurali numero. 368. cur verſus Altare. *ibid* In Miſſis ſollemnibus à Diacono, & quo Ritu. 371.

Res gravis ad cantandam Miſſam Votivam in Dominica, & duplici, quæ ſit. 88. 108. non eſt profeſſio Religionis. 89. 108.

Reſponſoria ab Italis inventa, ſed à quo certè ignoratur. 137.

Reverentia profunda capite cooperto Cruci in Sacriſtia à celebraturo, ſi deferat Calicem;

cem; aliàs ſi non deferat. 191. quæ Reliquiæ Inſigni expoſitæ in Altari. 195. Altari cum Reliquiis ad Ornatum. *ibid.* Choro, & alii Sacerdoti redeunti. *ibid.* Prælatis, & Magnatibus. 196. ſi non deferat Calicem quomodo, cuicumque. *ibid.* Depoſitioni SS. Sacramenti, ſi Cardinalis, aut Epiſcopus loci aſſiſtat, quando facienda reverentia à Celebrante, & aliis. 696.

Ritualis, ac Ceremonialis diſtinctio. 4.

Ritus, ac Ceremoniæ, quæ differentia. 3. Ritus quid proprie. *ib.* Miſſæ eſſentiales, & accidentales, qui. *ibid.* latè magis patet, quàm Ceremonia. *ibid.* Ritus regulariter conſiſtunt in Verbis, & precibus. 4. qui ſunt partes ordinariæ, & extraordinariæ Miſſæ. *ibid.* memorati à D. Paulo Apoſtolo. 18. à S. Clemente Papa. 19. & à Canonibus Apoſtolorum. *ibid.* ex D. Baſilio. *ibid.* & teſtimonio priſcorum Summorum Pontificum. 20.

Ritus quando in Miſſali, & Ceremoniali diſcrepant, quid. 618.

Ritus ac Ceremonias approbatas ab Eccleſia contemnentes à Sacro Tridentino Concilio anathemati ſubjiciuntur. 21.

Rochettum à Regularibus tantum ejus ordinis, cui competat, deferri poteſt. 181.

Rogationes. V. *Litaniæ minores, & Litaniæ majores.*

Roſa aurea benedicitur à Papa, & ab eo defertur eundo, ac redeundo à Cappella in Dom. 4. Quadrageſimæ. 520. quid. *ibid.* olim fiebat hæc Ceremonia in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem. *ibid* alicui magno Principi mitti ſolet. *ibid.* ejus antiquitas ante S. Leonem PP. IX. qui penſionem annuam pro expenſa Roſæ ſuper redditus Monaſter. S. Crucis Lotharingiæ impoſuit. *ibid.* varii Principes, quibus dono miſſa fuit. *ibid.* Auctores qui de illa tractant. *ibid.* & *ſeq.*

De Rubeis (Bernardus Maria) Ord. Prædicatorum laudatur. 48.

Rubricæ Miſſalis dividuntur in præceptivas & directivas. 2. earum Materia quæ. *ibid.* qui aliquid addit *graviter peccat*, quot ſunt & quales. 447. præceptivæ ſunt, in quibus DD. concordant, eſſe de re gravi ſub mortali. *ibid.* In Miſſis Conventualibus Cathedralium, & Collegiatarum aliquæ ſtrictioris juris ſunt. 450. an omnes Rubricæ Miſſalis obligent ſub peccato mortali. 446.

SAbaoth, vox Hebraica. 127.

Sabbatum Sanctum. Altare majus, & alia quomodo hoc die paranda. 607. Credentia quomodo inſtruenda. *ibid.* Ritus ſervandi uſque ad benedictionem Cerei. 606. & *ſeq.* Ritus benedictionis Fontis. *à* 629. *ad* 634. an aliæ Miſſæ præter Sollemnem hac die celebrari queant, de hoc ſtatuitur negativa ſententia ex Decretis emanatis. 644. ſi occurrat Feſtum Annunciationis, transferatur in totum ad Feriam II. poſt Dominicam in Albis. *ibid.* qua ætate inducta diſciplina ordinandi. 481. & *ſeq.* refellitur Epiſtola Pelagio attributa ſuper ordinatione Epiſcopi facienda in Sabbato Sancto. 483.

Sabbatis Adventûs non impeditis non fit Officium de S. Maria, ſed Miſſa principalis dicitur de eadem, & quo Ritu. 473. ſi occurrant quatuor Tempora, vel Vigilia, quid in Miſſa. *ibidem.*

Sacramenta pueris etiam diſpenſantur à ſolis Miniſtris rationali modo agentibus. 439.

Sacramentalia Miſſæ, quid. 3. V. *Miſſale.*

Sacramentorum Codices, & libri. V. *Miſſale. Gelaſius PP. & Gregorius PP.*

Sacramentorum liber, in quo Evangelia & lectiones ordinantur à S. Hieronymo; ejus hortatu à Damaſo Papa in Romanam Eccleſiam introductus. 7.

Sacramentorum Eccleſiæ Gallicanæ liber editus à Mabillonio. 50.

Sacrificium Euchariſticum communiori vocabulo *Miſſa* appellatum. 16. Dicitur etiam *Collecta, Dominicum, Agenda, Communio, Oblatio, Liturgia, Myſtagogia, Synaxis, Anaphora, Proſphora, Oeconomia. ibid.* eſt

omnium

omnium Myſteriorum maximum, à Chriſto Domino, & cur inſtitutum. 18.
Sacrificii applicatio. V. *Miſſa Applicatio.*
Sacriſtia ſi deficiat, unde Paramenta Sacra ad Miſſam ſumenda. 199.
Sal cur in benedictione aquæ ter in eam mittatur unicâ formâ. 722. *ſeq.*
Salis mica, & olei ſtilla adhibita in pane conſecrando à Syris, & Neſtorianis. 25.
Sala (Robertus) Ord. Ciſtercienſis Reformatæ Congreg. laudatur. 48.
Salomonis nomen cur taceatur ante Lectiones & Epiſtolas ex ejus libris deſumptas. 136.
Salutare aperto capite alios Sacerdotes in Sacriſtia ſtantes Celebraturus an debeat, antequam accipiat manu Calicem. 191.
Salutatio Angelica pulſanda cum crotalo poſt Veſperas Fer. VI. in Paraſceve. 601.
Sancti, pro iis, qui tales olim credebantur, Miſſa pro Requie eorum celebrari conſuevit, & quomodo. 74.
Sanctimoniales an peccent lavantes Corporalia ſummis digitis. 180.
Sandini (Antonii) Diſſertatio de perpetuo azymorum uſu in Eccleſia Latina. 24.
Sanguis Chriſti olim à Diacono miniſtrabatur. 295. poſt ſumptionem Calicis aliquantiſper orandum. 336.
Scholaſticus an auctor Canonis. 152. Scholaſtici munus Eccleſiaſticum olim. 153. ſapientes olim ſic appellati. *ibid.*
Sclavis Officia Divina, & Miſſam propriâ linguâ celebrare ſpecialiter indultum à Joanne Papa VIII. 29.
Scrutinia ad Catechumenos olim quot in Eccleſia Romana fiebant in Quadrageſima, quibus diebus & ordine. 70. & 521. an fierent apud alias Eccleſias. 71.
Sedere in Miſſa ſollemni. Celebrantes ſedent in ſcamno juxta Decretum. 202. *ſeq.* non in ſede brachiata. 203. quando ad *Kyrie* dum canitur. 236. ordo procedendi ad ſcamnum. *ibid.* & 238. ſedendi Ritus. *ibid.* an ſedentibus Celebrante, & Miniſtris, ſedeant etiam Clerici & Ceremoniarius in ſcamnulis. 239. & quomodo. *ibid.* ſedere, aut ſtare dum cantatur Symbolum. 268. Celebrans & Miniſtri ſedere debent in ſcamno non in ſede coriacea. 490. procedere, & recedere debent aperto capite. *ibidem.*
Sedes Epiſcopalis quomodo. 418.
Septuageſima initium habuit à Græcis, & cur. 506. Romæ introductus Ritus cur. 507. termini breviores, & longiores pro hac Dominica, qui. *ibid.* cur cantica lætitiæ omittantur. *ibid.* Ritus Miſſæ quoad Orationes, Graduale, ac Tractus. *ibid.*
Sepulchrum Chriſti. locus quomodo exornandus. 550. Calix intra Capſulam eminenti loco poſitam deponendus. 551. Reliquiæ, & Imagines non adhibendæ, niſi Angelorum. *ibid.* ubi non aſſervatur SS. Sacramentum, nec celebratio Miſſæ in Feria V. Cœnæ Domini, nec aſſervatio SS. Sacramenti in Sepulchro licet. 603.
Sequentia in Miſſis Defunctorum improprie dicta. 118. quando inducta, & quando dicenda. *ibid.* pluribus attribuitur. *ibid.*
Sequentia Miſſæ propriæ SS. Nominis JEſu, *Lauda Sion, &c.* non dicenda, niſi à Fratribus Minoribus S. Franciſci. 504.
Sergius Papa I. ſtatuit ut ter cantaretur à Clero, & Populo *Agnus Dei, &c.* in Miſſa, & cur. 331. Thuribulum aureum ad Imagines S. Petri ſuſpendit. 229. an Proceſſionis in Feſto Purificationis fuerit inſtitutor. 703.
Sigillum cum inſcriptione: *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, dona nobis pacem,* à B. V. M. datum cuidam, & portandum in ſignum pacis. 331.
*Signat*, vel *ſignat ſe*, cum habetur in Rubricis, ſemper de ſigno Crucis intelligendum. 449.
S. Silveſter Papa an decreverit, non celebrandum niſi in Altari lapideo. 166.
S. Simeon Syracuſanus Treviris incluſus, ejus vitæ ratio, ac Liturgia. 49.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Siniſtrum latus, cur à ſiniſtro ad dexterum ſe vertit Celebrans. 240. *ſeq.*
S. Sixtus Papa I. decrevit, ut ſacra vaſa ab aliis, quàm à Sacris Miniſtris, non tangerentur. 176.
Sixtus Papa IV. Quercus aureæ ramum in ſignum gentilitii ſui ſtemmatis Cathedrali Savonæ patriæ ſuæ dono miſit. 520.
Sponſorum benedictio in Miſſa. V. *Nuptiæ.*
Standum à Miniſtris in Miſſa ſollemni, dum canitur *Kyrie.* 236. dum Celebrans intonat *Gloria.* 237.
Statio Eccleſiaſtica aliquando accepta pro jejunio voluntario, pro ſtatu orantium, & pro die illo, quo jejunabatur. 698. *ſeq.* Stationes appellatæ Eccleſiæ, & ſtationales dictæ, cur. 699. ad has Romæ Clerus ſollemniter, aut private convenire poterat, præcedente Collecta, & Indictione. *ibid.* Proceſſiones ſollemnes ad Stationes quomodo. *ibid.* Alibi extra Urbem fiebant Stationes Sacræ. *ibid.* Romæ antea vagas Sanctus Gregorius I. Papa certis Baſilicis fixit. *ibid.* Natalitiæ Sanctorum in Cœmeteriis quales. *ibid.* aliorum dierum quales. 700. earum antiquitas. *ibid.* indicebantur ab Archidiacono in publica Miſſa, & aliquando à Notario. *ibid.* Pontifex ad eas in ſella geſtatoria præeunte Cruce ſtationali portabatur. *ibid.* Presbyteria erogabantur. *ib.* uſus Stationum in Occidente tantum cognitus fuit. *ibidem.*
S. Stephanus Protomartyr eſt primus, cui Feſtum in Eccleſia conſecratum fuit. 495. cur poſt Natalem Domini. *ibid.* Tranſlatio ejus Corporis prima facta fuit 26. Decembris. *ibid.* cur Romæ Feſtum Inventionis celebretur 3. Auguſti. *ibid.* cultus ejus in Occidente quando. *ibid.* lapis unus ex eis, quibus obrutus fuit, Anconam delatus ſtatim poſt martyrium. 496.
Stipendia Miſſarum. V. *Miſſæ Applicatio.*
Stola muliebris veſtis Matronarum ad talos demiſſa. 184. aliquando pro tunica vulgari virorum accepta, & candida in ſacris literis. *ibid.* in ſacris miniſteriis in faſciam dependentem è collo immutata, ejuſque forma. 185. auctores de illa pertractantes. *ibid* *Orarius*, vel *Orarium* cur appellata. *ibid.* *Palla linoſtima*, & *Pallium linoſtimum.* *ibid.* ducere in modum Crucis Abbatibus convenit, quando pontificaliter celebrant. 186. Romæ Stolâ cur non utantur Concionatores. 265. Stola indutus non debet aſſiſtere alteri Sacerdoti. 695.
Stola ſuper Alba debet geri in forma Crucis, & ſolius Epiſcopi eſt ante pectus pendentem ſuper Albam deferre. 723.
Stolæ latioris ad uſum Diaconi uſus recentiſſimus eſt. 471. Stola rigoroſe non eſt appellanda. 472. ejus forma, & uſus. *ibid.*
Subbirretum non ponendum ſuper Altare. 277.
Subdiaconi munera in Miſſa ſollemni. Vide *Miſſa ſollemnis per ſingulas ejus partes.*
Subdiaconi olim ſolâ Albâ utebantur. 472.
Subdiaconus olim in Hiſpania Evangelium in Miſſa ſollemni legebat. 139.
Subdiaconus tenens Patenam in Miſſa, an aſcendere debeat ad Altare, ad dicendum *Sanctus*, cum Celebrante. 306.
Subſtantiæ tres in Chriſto, Corpus, Anima & Divinitas. 327.
*Subſtrati* quæ Claſſis Catechumenorum. 62.
Suffitorium. V. *Thuribulum.*
Suffraganeus ſedens in Presbyterio ad Concionem, diſtinctè à Canonicis ſalutandus eſt à Concionatore. 266.
*Suſcipiat Dominus &c.* à quo, & quo Ritu dicendum. 288. *ſeq.* non dicitur Fer. 6. in Paraſceve. 597.
Symbolum quotuplex. 140. Apoſtolorum quale & quid. *ibid.* an primis tribus Eccleſiæ ſeculis adhibitum in Miſſa. *ibid.* Nicænum an recitari in Miſſa juſſerit Marcus PP. vel Damaſus. *ibid.* Conſtantinopolitanum hodie in Miſſa legitur, cum Additione *Filioque*, an ex Decreto Damaſi. 142. à quo tempore apud Græcos, Hiſpanos, Gallos, & Germanos. 141. apud Romanos



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

manos legebatur tantum non decantabatur. *ibid.* decantari cœpit jubente Benedicto PP. VIII. hortante S. Henrico Imp. *ibid.* variè recitatum. 142. *Filioque* à quo primum addita particula, & quando confirmata & recepta ab Eccleſia Romana. *ib.* dies & Feſta, in quibus recitandum eſt in Miſſa, & cur. 140. *uſque ad* 147. Decreta. 147. in tribus Miſſis Natalis Domini ſollemnibus quomodo genuflectendum eſt ad *Incarnatus eſt.* 489.

Symbolum cur dicatur ratione Dominicæ in Feſtis, quibus non competit. 499. dum cantatur à Choro, Celebrans non proſequatur Miſſam. 452.

Symbolum quo die Competentibus tradebatur, quo Ritu, & ordine. 71. Romana in Eccleſia quando. *ibid.* in Africana. *ibid.* quomodo reddebatur. *ibid.* an traderetur Nicænum vel Conſtantinopolitanum. 73. utriuſque differentia. *ibid.*

Symmachus PP. juſſit, ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum in Miſſa diceretur *Gloria in Excelſis Deo &c.* 127.

*Synaxis.* Miſſæ Sacrificium. 16.

Syndon. V. Corporale, Linteum, & Velum Subdiaconi.

Syri à ſexto ſeculo in Azymo conſecrabant. 25. abuſus quorundam Monachorum circa Euchariſtiam conditam ad veſcendum potius. *ibidem.*

Syro-Chaldaica lingua, quâ Chriſtus Dominus loquebatur, qualis erat. 30. Evangelium S. Matthæi eadem conſcriptum. *ibid.*

TAbacum ſumptum per nares, aut in fumo, vel etiam in folio (niſi ex induſtriâ aliqua ejus particula trajiciatur in ſtomachum) Jejunium naturale non ſolvit. 445.

Tabernaculum SS. Euchariſtiæ clave claudendum. 350. in Miſſa ſollemni Defunctorum velo violaceo, non nigro tegendum. 382.

*Te igitur &c.* an elevatio manuum & oculorum fieri debeat ante, vel ſimul cum prolatione Verborum. 308.

Teleſphorus Papa Hymnum Angelicum conſtituit dici ante Sacrificium. 127. non ante horam tertiam cantari Miſſam. 53. ei tribuitur Quinquageſimæ, & Quadrageſimæ inſtitutio, ſed negativa ſententia adſtruitur. 505.

Teletin, id eſt Myſterium, Miſſa. 16.

S. Theclæ Miſſa poteſt recitari in Feſto S. Lini cum *Gloria.* 78.

Thomaſius (Joſephus Maria) Cardinalis ex Congregatione Cleric. Regul. ſummæ pietatis, & eruditionis vir Codicem Sacramentorum, ſeu Miſſæ à Gelaſio Papa conſcriptum in lucem edidit. 5. & Antiphonarium S. Gregorii Papæ. 8. Codex Gelaſianus ab eo editus vocatur Thomaſianus. 509. de Ritibus Eccleſiæ Græcæ, ſeu Officium Dominicæ Paſſionis edidit. 649.

S. Thomas Aquinas egregius auctor Officii Sanctiſſimi Corporis Chriſti. 668.

S. Thomæ Cantuarienſis Feſtum ſi in Sabbato, Miſſa quomodo. 500.

S. Thomæ Feſtum, ſi incidat in Sabbatum ante Dom. 4. Adventus, quid circa Officium, & Miſſam. 480. 483.

Thuribulum dicitur ab Anaſtaſio, Suffitorium. 229. ejus forma. *ibidem.* Aureum à Sergio Papa ſuſpenſum ad Imagines Sancti Petri. *ibid.* duorum thuribulorum uſus in incenſatione perſonarum non probatur. 304. & quando tolerari poteſt. *ib.* in Proceſſionibus SS. Sacramenti ac ſollemnibus translationibus Reliquiarum duo. *ibid.*

Thuribulum. Extra Proceſſionem, & Reliquierum translationem uſus duorum Thuribulorum non approbatur. 592.

Thuriferarii munera. V. *Miſſa ſollemnis per ſingulas ejus partes.*

Thuriferarii duo in Eccleſia Ambroſiana. 207.

Thus. V. *Incenſum.*

Titularis Sancti alicujus Cappellæ, ſeu Altaris, de quo non fit Officium, an poſſit Miſſa celebrari de eo in iiſdem. 76. ſi eſſet Canonizatus, vel in Martyr. deſcriptus, quid. 77.

Tra-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractus quando dicendus vel non in Miſſis Votivis. 105. quando dicatur. 138. à quo, & quomodo cantandus. *ibid.*

Traditio Symboli quando, & quomodo fiebat olim Catechumenis. 71.

Translatio Feſtorum quoad leges Miſſæ. 119. Decreta. 120.

SS. Trinitatis Feſtum cur tardius in Eccleſia Romana inſtitutum. 664. *ſeq.* alibi non celebrabatur in Octava Pentecoſtes, & ſuper hoc contentiones obortæ. 665. in Gallia cæptum celebrari hac die Octavæ, & in quibusdam ejus Regni Eccleſiis, bis celebrabatur. *ibid.* Romæ diem Feſti ſtatui à Joanne XXII. *ibid.* Alexander II. nihil de agendo Feſto hoc definivit, ſed non improbavit. *ibid. & ſeqq.* Alexander Papa III. quid de hoc ſcripſerit. 666. Officium adjudicatum Stephano Leodienſi. 665. Miſſæ auctor non fuit Alcuinus, ſicuti aſſerit Micrologus. 666.

S. Triphonis Miſſa poteſt celebrari in Feſto S. Andreæ Avellini cum *Gloria*, etiamſi non ſit recitatum Officium. 78.

Trium Puerorum Antiphonæ cum Cantico, & Pſalmo dicendæ Ritus. 376.

Tumulus, Feretrum, Lectica Mortuorum, Caſtrum doloris, idem quomodo, & quo loco parandus. 383.

VAſa ſacra non licuit Subdiaconis tangere, & quando illis conceſſum. 176. Chriſmate conſecranda. *ibid.* non omnibus licet Vaſa Sacra tangere. *ibid.* Lectoribus quandoque in Eccleſia Romana. *ibid.*

Velum non plicandum à Celebrante, ſed à Miniſtro. 276. ubi ponendum. 277. quando Celebrans poſſit illud plicare ſuis manibus. *ibidem.*

Velum, quo Imagines, & Cruces velantur tempore Paſſionis, debet eſſe violaceum. 521. neque removendum in Feſtis etiam Titularis, & Patroni occurrentibus. *ibid. &* 543. uſus Cappellæ Pontificiæ ubi Crux ad Miſſam ſollemnem in Miſſa Feria V. in Cœna Domini tegitur velo albo, violaceo tamen in aliis Eccleſiis. 544.

Velum humerale pro Subdiacono. 292.

*Veni Sancte Spiritus* Sequentia Miſſæ diei Pentecoſtes licet antiquiſſima noviter Romæ introducta. 664. adſcribitur Roberto Galliæ Regi, & Hermano Contracto, ſed probabilius Innocentio Papæ III. & ab eodem Miſſali inſerta putatur. *ibid.*

Veſtes Sacræ in Celebratione Miſſæ an primitus in Eccleſia adhibitæ. 26. *ſeq.*

Veſtes Chriſti coloris violacei. 163. Clericorum olim coloris violacei. *ibid.* quando in nigrum immutatæ à Monachis. *ibidem.* Cæremoniariorum Eccleſiarum Cathedralium & Caudatariorum S. R. E. Cardin. violacei coloris. *ibid.*

Vicarius Generalis, non competit ei celebrare cum duobus Miniſtris, neque cum quatuor candelis accenſis. 193. etiamſi ſit Protonotarius. 215. neque oſculari Evangelium in Miſſa, niſi ſit Epiſcopus. Decretum. 253. ei non licet benedictionem dare Concionatori antequam Pulpitum aſcendat. 265. 266. in thurificatione, & aliis, niſi Canonici ſint parati, attendenda conſuetudo. 301. parati aſſiſtentes Epiſcopo præcedunt Vicarium Generalem. 302. in Vicario, & Canonicis attendenda conſuetudo in accipiendis Cineribus, palmis &c. in thurificatione. 515. Epiſcopales functiones in Eccleſia abſente Epiſcopo illi non competunt. 677.

Vicarii perpetui tenentur diebus Feſtis, & Dominicis applicare Sacrificium pro ovibus ſuis. 464.

S. Victor Papa Decretum edidit de Paſchate celebrando in Dominica poſt Lunam XIV. primi Menſis. 650.

Victorianus Voconius Mauritaniæ Epiſcop. an fuerit Scholaſticus, cui *Canon* Miſſæ tribuitur. 152.

Vigiliæ à SS. Ambroſio & Auguſtino non fuerunt interdictæ. 701. alicubi ante Dominicas totius anni celebratæ. *ibid.* improbatæ à Vigilantio, & cur. *ibid.* Sanct. Leo Papa I. obſervantiam earum inculcat.

*ibid.* interventum fœminarum interdictum à Conc. Eliberitano. *ibid.*

Vigilia, vel Feria majori occurrente infra aliquam Octavam, vel in Octava quid in Miſſa. 82.

Vigiliæ in Adventu occurrentis, Miſſæ Ritus, & ordo. *ibid.* & cur Evangelium Vigiliæ non legatur in fine Miſſæ. 83. Decreta pertinentia ad Vigilias Feſtorum. 84.

Vigiliæ infra aliquam Octavam, circa *Credo* in Miſſa. 146.

Vigilia S. Andreæ in Adventu occurrente in Feſto Duplici translato, quid circa Evangelium in fine Miſſæ. 83. 473.

Vigilia SS. Apoſtolorum infra Octavam Corporis Chriſti Miſſæ Ritus. 79.

Vigilia Aſcenſionis ſine Jejunio. 661. ſi occurrat Feſtum Patroni principalis loci, vel Titularis, quid in Miſſa. *ibid.* ſi Feſtum 9. Lectionum, vel dies Octavæ, quid. *ib.* ſi occurrat, in Cathedralibus, & Collegiatis tres Miſſæ cantandæ, & quo Ritu. *ibid.* ſi dies Octavæ quomodo. 662. ſi Feſtum ſimplex, quid. *ibid.*

Vigilia Aſſumptionis ſi exigatur Miſſa votiva S. Laurentii quomodo. 95. ſi in Sabbatum incidat, quomodo Miſſa votiva de B. V. dicenda. 101.

Vigilia Epiphaniæ eſt privilegiata, & æquiparatur Dominicis. 501. ſi occurrat Feſtum primæ Claſſis quid in Miſſa. *ibid.* an duæ Miſſæ cantandæ, & quomodo. *ib.* ſi infra aliquam Octavam conceſſam ex privilegio, quid de Miſſa Conventuali *ib. & ſeq.* non poſſunt dici Miſſæ votivæ, neque Defunctorum. 502.

Vigilia S. Joannis Baptiſtæ infra Octavam Corporis Chriſti, Miſſæ Ritus. 79. 81.

Vigilia Nativitatis Domini celebranda cum Jejunio, ab antiquiſſimis temporibus. 484. ſi venerit in Dominica quarta Adventus quid in Miſſa. 485.

Vigilia S. Thomæ Apoſt. ſi in quatuor Temporibus. 483.

Vinum ad conſecrandum naturale, & ex vite debet eſſe. 431. alii liquores ex granis, fecibus vini, ex fructibus, ex aqua & melle decocti non ſunt apta materia. *ibid.* neque ex uvis acerbis. *ibid.* corruptis, ſeu decoctis, vel ſiccatis. 432. aquâ nimiâ permixtum, conditum, & decoctum, nec liquor nondum expreſſus ex uvis. *ibid.* vinum congelatum conſecratur validè, ſed non licitè. *ibid.* ſi congeletur quid. *ibidem.* aqua cum vino miſcenda ex præcepto Eccleſiæ tantum. 433. quid Concilium ſuper hoc definierit. *ibid.* Armeni ſolum vinum adhibent, eoſque damnat Eccleſia. 434. Aquarii hæretici ſolam aquam adhibebant. *ibid.* modica debet eſſe, vel quanta. *ibid.* ex Sacris Eccleſiæ Sanctionibus. *ibid.* an album, vel rubeum potius ſit adhibendum. 435.

Umbella ſerica alba elevanda ſupra Caput Celebrantis, dum procedit ab Altari ad Baldachinum deferens SS. Sacramentum. 590. 680. *& alibi.*

*Unde, & memores* ab Apoſtolis potius derivata cenſetur, & Alexandri Decreto roborata. 323.

Votiva Miſſa. V. *Miſſa Votiva.*

Urbanus Papa IV. Sollemnitatem Corporis Chriſti ubique celebrandam indixit. 669.

Urbanus Papa VIII. omnes Octavas interdixit à die 17. Decembris uſque ad Epiphaniam. 502.

XImenes (Franciſcus) Card. Officium Mozarabicum inſtaurat Toleti. 44. multa ex antiquo Miſſali expunxit, plura addidit, ac in Sacello majoris Eccleſiæ & quinque Parœciis Ritum illum ſervari curavit. *ibid.*

ZOſimus Papa conſtituit, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linoſtimis. 185. uſum Cerei Paſchalis ſingulis Parochiis conceſſit. 620. ſed auctor Benedictionis non fuit. *ibidem.*

# FINIS.

# Errata in Tomi I. parte I. & II.

| Pag. | Col. | Lin. | | lege |
|---|---|---|---|---|
| XVI | - - | 8 | nimirum | nimiò |
| 1 | 1 | 14 | *Thymianata* | *Thymiamata* |
| 2 | 1 | 40 | *Carimonia* | *Caremonia* |
| ibid. | 2 | 4 | Thuſciæ | Tuſciæ |
| 11 | 2 | 12 | Reudinus | Reuchlinus |
| 17 | 1 | 11 | Raynardum | Raynaudum |
| 25 | 1 | 16 | Mathæi | Matthæi |
| ibid. | 2 | 19 | Bucellam | Buccellam |
| 37 | 2 | 14 | Doroberonenſis | Dorobornenſis |
| 41 | 2 | 1 | Gaſparis | Caſparis |
| ibid. | 2 | 43 | ſollertiores | ſolertiores |
| 44 | 2 | 7 | Cavalleriis | Cavaleriis |
| 54 | 1 | 41 | Emiliani | Æmiliani |
| 74 | 2 | 8 | *Gaudemus* | *Gaudeamus* |
| 93 | 1 | 36 | Viterbi | Viterbii |
| ibid. | 2 | 11 | Gryſogoni | Cryſogoni |
| 94 | 1 | 4 | *Indulgentia* | *Indulgentiam* |
| 130 | 1 | 3 | poſſint | poſſit |
| 145 | 2 | 19 | Wandingus | Wadingus |
| 148 | 2 | 21 | agoniæ | agonis |
| 149 | 1 | 7 | agoniæ | agonis |
| 165 | 2 | 29 | poſtumo | poſthumo |
| 167 | 2 | 34 | Sanctorum. | Sanctorum &c. |
| 171 | 2 | 11 | *Quolibeto* | *Quodlibeto* |
| 176 | 1 | 35 | *Decreti* | *Decretal.* |
| 179 | 1 | 37 | Turiaſione | Turiaſone |
| ibid. | 2 | 17 | Turiaſionenſis | Turiaſonenſis |
| 205 | 1 | 21 | affert | offert |
| 224 | 2 | 11 | quo caſu | in quo caſu |
| ibid. | 2 | 38 | *Altare* | *Altaris* |
| 229 | 2 | 4 | celebrantes: | celebrantem |
| ibid. | 2 | ult. | Macrum | Macrium |
| 232 | 2 | ult. | promovetur | præmovetur |
| 282 | 1 | 27 | altitudinem | latitudinem |
| 288 | 2 | 19 | cùm, | *deleatur* |
| 308 | 2 | 32 | *inclinatus* | *inclinato* |
| 315 | 1 | 41 | altitudinem | latitudinem |
| 331 | 2 | 3 | Sigiberti | Sigeberti |
| 340 | 1 | 38 | Boldetus | Boldettus |
| 373 | 1 | 22 | protenſo | protento |
| 381 | 2 | 35 | Cavalleriis | Cavaleriis |
| 384 | 2 | 27 | manus | manum |



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

| Pag. | Col. | Lin. | | lege | |
|---|---|---|---|---|---|
| 412 | 2 | 15 | Quum | - - | Cum |
| 432 | 1 | 33 | Armila | - - | Armilla |
| 440 | 1 | 15 | Contempſonius | - - | Contenſonius |
| ibid. | 2 | 4 | *conſecrandis* | - - | *conferendis* |
| 451 | 2 | 21 | *Nicen.* | - - | *Nicien.* |
| ibid. | 1 | 33 | 2. Maji | - - | 16. Maji |
| ibid. | 2 | 25 | 1628. | - - | 1627. |
| ibid. | 2 | 4 | 26. Januarii | - - | 16. Januarii |
| 470 | 1 | 28 | ſtola | - - | ſola |
| 478 | 1 | 32 | *S. Spiritus* | - - | *ex S. Spiritus* |
| ibid. | 1 | 33 | *ſunt olim, & frequenti* | - - | *ſicut olim frequenti* |
| ibid. | 1 | 35 | *ſupplicantium* | - - | *ſupplicationum* |
| ibid. | 1 | 36 | *&c. in illorum* | - - | *ita ad illorum* |
| ibid. | 1 | 38 | *Provincia noſtra Eccleſia* | - - | *Provincia noſtra Eccleſia* |
| ibid. | 1 | 40 | *antiqua* | - - | *antiqua* |
| ibid. | 1 | 41 | *frequentioris* | - - | *frequentiores* |
| 479 | 2 | 39 | *num. 688.* | - - | *num. 687.* |
| 490 | 1 | 3 | etiam nonniſi in Append. Decret. ea collocavimus | - - | alterum eorum in Appendice Decretorum collocavimus, primum tamen reperitur in Indice ſub *num. 428.* |
| ibid. | 1 | ult. | 15. Septembris | - - | 16. Septembris |
| 513 | 2 | 13 | *n. 156.* | - - | *n. 155.* |
| 515 | 1 | 22 | 8. Maji | - - | 8. & 22. Martii |
| ibid. | 2 | pen. | *n. 606.* | - - | *n. 496.* |
| ibid. | 2 | 30 | 13. Maji | - - | 23. Maji |
| 516 | 2 | 17 | *num. 156.* | - - | *num. 155.* |
| 521 | 2 | 19 | 19. Novembris | - - | 16. Novembris |
| 542 | 2 | pen. | Reliqui | - - | Reliqua |
| 543 | 2 | 20 | 18. Novemb. | - - | 16. Novemb. |
| 576 | 2 | 6 | communis | - - | albæ |
| 581 | 1 | 5 | *n. 694.* | - - | *n. 693.* |
| 595 | 1 | 18 | particula Hoſtiæ | - - | forſan fragmentum aliquod Hoſtiæ |
| 596 | 2 | 19 | *n. 699.* | - - | *n. 698.* |
| 603 | 2 | 29 | 15. Septemb. | - - | 11. Auguſti |
| ibid. | 2 | 31 | *num. 691.* | - - | *num. 690.* |
| 666 | 2 | 29 | 13. Septemb. | - - | 18. Septemb. |
| 671 | 1 | 1 | 17. Martii | - - | 27. Martii |
| 672 | 1 | 24 | *Tit. XIII.* | - - | *Tit. XIV.* |
| 677 | 2 | 22 | Nicolaus | - - | Nicolius |
| 679 | 2 | 17 | 17. Septemb. | - - | 1. Septembris |
| 681 | 2 | 20 | *num. 153.* | - - | *num. 152.* |
| ibid. | 2 | pen. | 17. Martii | - - | 27. Martii |

| Pag. | Col. | Lin. | | lege |
|---|---|---|---|---|
| 682 | 2 | 11 | 1. Septemb. 1718. | - - 1. Sept. 1708. & 9. Julii 1718. |
| ibid. | 2 | 22 | 24. Novembris | - - 14. Novembris |
| 683 | 2 | 41 | *n. 154.* | - - *n. 153.* |
| 689 | 1 | 41 | 25. Martii | - - 21. Martii |
| ibid. | 2 | 1 | *cap. 23.* | - - *cap. 33.* |
| ibid. | 2 | 5 | Appendice | - - Appendice ſub *n. 725.* |
| 690 | 1 | 16 | Subdiacono, Cruciferario | - - Subdiacono Cruciferario |
| 697 | 2 | 3 | 11. Martii | - - 15. Martii |
| 708 | 1 | 40 | diſtribuuntur | - - diſtribuantur |
| ibid. | 2 | 38 | 13. Maji | - - 23. Maji |
| 711 | 2 | 33 | fit de Miſſa | - - fit Miſſa |
| 723 | 1 | 38 | 30. Decembris | - - 30. Septembris |
| 729 | 2 | 15 | niſi non | - - non niſi |

## In Indice Decretorum.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 731 | 1 | 6 | 312. | - - 305 |
| 732 | 1 | 11 | 306. | - - *deleatur* |
| ibid. | 2 | 26 | 89. | - - 90. |
| 735 | 2 | 31 | 160. | - - 260. |
| 743 | 1 | 10 | 8. Maji | - - 30. Maji |
| ibid. | 1 | 25 | 12. | - - *deleatur* |
| 746 | 1 | 3 | 490. | - - 489. |
| ibid. | 1 | 29 | 12. Julii | - - 12. Junii |
| 753 | 1 | 13 | Tutelaris | - - Titularis |
| ibid. | 2 | 40 | *Comajaris* | - - *Comajoris* |
| 761 | 1 | 15 | 17. Auguſti | - - 17. Aprilis |
| 763 | 2 | 40 | 1563. | - - 1663. |
| 772 | 1 | 29 | impræſcriptibilem | - - imperceptibilem |
| 773 | 2 | 37 | 19. Januarii | - - 10. Januarii |
| 774 | 1 | 7 | 11. Januarii | - - 10. Januarii |
| 775 | 1 | 2 | S. R. C. 1697. | - - S. R. C. 27. Aprilis 1697. |
| ibid. | 1 | 35 | 13. Auguſti | - - 31. Auguſti |
| ibid. | 2 | 7 | 3. Auguſti | - - 31. Auguſti |
| 778 | 1 | 37 | *Pompoii* | - - *Pomponii* |
| 782 | 2 | 15 | 4. Julii | - - 4. Aprilis |
| 787 | 2 | 6 | 234. | - - *deleatur* |
| 789 | 2 | 38 | Primicerii | - - Primiceriis |
| 791 | 2 | 43 | 23. Junii | - - 5. Maji |
| 796 | 1 | 32 | 22. Martii | - - 21. Martii |



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MERATI
in
Rubric Missæ

Th
2138

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN